
3 1761 09701438 5

# ARNOLDI GEULINCX

# OPERA PHILOSOPHICA.

VOLUMEN TERTIUM IDQUE POSTREMUM.

EX OFFICINA FRATRUM GIUNTA D'ALBANI.

# ARNOLDI GEULINCX

ANTVERPIENSIS

# OPERA PHILOSOPHICA.

RECOGNOVIT J. P. N. LAND.

SUMPTIBUS PROVIDERUNT SORTIS SPINOZANAE CURATORES.

VOLUMEN TERTIUM IDQUE POSTREMUM.






HAGAE COMITUM
APUD MARTINUM NIJHOFF.
MDCCCXCIII.

# L. S.

Jam tandem abſolutis iis quae de arte diſſerendi deque rerum conſtitutione tradidit auctor noſter, ad ejus doctrinam de vita regenda pervenimus; qua fere ſola famam ſibi comparavit, cum in illis modo aliorum doctorum opiniones repetere, modo quaeſtiones minuſculas et mere ſcholaſticas tractare lectoribus ea obiter inſpicientibus videretur. Attamen ſententiam ſuam de philoſophia morali plene exponere ipſi non contigit, id quod bene teneant oportet qui eum ex aequo aeſtimare ſuſceperint. Nam poſtquam anno 1664 tractatûs primi argumentum in diſputatione quadam (quam vide in hujus vol. pag. 275 ſqq.) adumbraverat, proximo hunc integrum Latino ſermone, deinde patrio in publicum prodidit, utpote jam maturum, ſed primum tantum et amplioris commentationis exordium. Eundem per biennium fere in ſcholis ethicis diligenter explicare, reliquos minus perfectos auditorum calamis mandare inceperat, cum necopinato occaſu interpellatus eſt. Atque etſi in fronte editionis quam anno 1675 adornavit Philaretus (ſ. Corn. Bontekoe) *Ethica omnibus ſuis partibus in lucem edita* perhibetur, facile tam apparet, defuiſſe alumnis et annotata, quibus poſteriores quoque tractatus illuſtrandi erant, et operis exitum, et certe Politiam, de qua in h. vol. p. 91 ſermo eſt. Vix enim, quid in ſocietate humana ex Ratione faciendum ſit, demonſtrare omiſiſſet is qui non ſolum de virtutibus cardinalibus, ſed de particularibus dicere inſtituerat, et iis etiam ex quibus continuo pendent illae ad Politiam pertinentes; quare ſicut ſexti tractatûs argumentum proprie Ethicam nominare jubemur,

Politiae ſeptimum fere aut ulteriorem deſtinatum fuiſſe ſuſpicari licebit.

E Philareti editione ea quoque manavit, quae anno 1696 curata eſt a Joanne Flendero et Abrahamo Hazeu Antiſt. Oeſtgeeſtenſ. (i. e. miniſtro eccleſiae Reformatae in pago nobis vicino Oeſtgeeſt). Flenderus ille eſt Sigena-Naſſovius, qui viginti annos natus ad librum Ludovici de La Forge de Mente Humana notulas marginales et indicem adjecerat [1]), anno 1724 Zutphaniae obiturus ſcholae Latinae rector atque Juris et Philoſophiae profeſſor. Et videntur quidem veteres editores nonnulla ſuo Marte mutaſſe, niſi forte exemplari uſi ſunt minus emendato quam eſt ſcholarum codex qui nobis praeſto eſt. Quod vero errores typographicos ſubinde praetermiſerunt, non meum eſt vituperare, qui in meis voluminibus etiamnum compluries literas *f* et *ſ*, *ſt* et *ſi*, *e* et *i*, *t* et *r*, etc. inter ſe permutatas deprehendam; quod autem v. g. *cum* pro *quem*, *confirmationem* pro *conformatione*, *ut velim* pro *in eum*, *priorem* pro *poſteriorem*, *ſint ſemper* pro *cenſentur*, *adeo* pro *a Deo* ſcripſerunt valde moleſtum eſt, et ſane univerſa oratio ſedulo retractanda erat. Additamenta e Belgico libello a Philareto Latine reddita in his paginis iterum exprimere nolui, quippe quae ſolius auctoris verba exhibiturae eſſent; caeterum illum hodie rariſſimum propediem ad verbum repetere in animo eſt.

---

1) De illo libro quia in diſputando de doctrinae Geulingianae fontibus ſermo aliquis fieri ſolet, hîc obiter moneo, id quod alias uberius oſtenſurus ſum, eum lingua Gallica conſcriptum anno demum 1665 exeunte Pariſiis prelum reliquiſſe, proximi anni numero notatum, deinde anno 1669 Amſtelodami apud Dan. Elzevirium, Latinâ verſione a neſcio quo confectâ, qui correctionibus nonnullis uſus ſit in calce ed. Gallicae Amſtelodamenſis (ſine anno apud Abr. Wolfgang vulgatae) indicatis atque ut videtur ab ipſo libri auctore profectis. Denique Flenderum (quem cum Flaydero quodam de arte volandi ſcriptore olim confuderunt) anno 1673 ejuſdem verſionis Bremae typis exſcribendae curam habuiſſe. Caeterum ſcriptorem Gallicum non fuiſſe theologum Reformatum, ut in lexicis quibuſdam biographicis affirmatur, ſed medicum Romanocatholicum. Quarum rerum certam notitiam acceptam comitati praeſertim refero inveſtigatoris ſollertiſſimi Pariſienſis, Luciani Herr.

Sequuntur Ethicam ſimilis argumenti Diſputationes, de quarum prima modo dictum eſt. Reliquarum ſeries, et ipſa fato interrupta, ſpecimen aliquod praebet ſtudii quod noſter in Ciceronis et Senecae ſcriptis philoſophicis collocavit; nec dubitandum quin univerſa veterum doctrinarum copia eodem conſilio perluſtranda fuerit, ne quid deeſſet novae omnibus partibus commendandae.

Principia Philoſophiae Renati Deſcartes non niſi privatim explicare per univerſitatis Leidenſis inſtituta licebat. Habemus in ea noſtri Annotata cum q. d. Praecurrentia, libri contextum explanantia, tum Latiora, quae hîc ſola in cenſum veniebant, eo quod proprias interpretis meditationes diſtinctius referrent. Illa autem, una cum Collegio Oratorio et commentatiunculis medicis, utpote nobis parum utilia praeterire viſum eſt.

Itaque feliciter ad finem adductâ et hujus philoſophi noſtratis operum editione, ipſius vitam et doctrinam ſingulari libello enarraturus, in ejus patria quaſdam ſcribendi materias collegi, quas mihi imprimis ſuppeditarunt viri peritiſſimi Piot, van Even, Vander Haeghen uterque Gandavenſis et Bruxellenſis, Rooſes, Van den Branden. Horum ergo humanitati maxime attribuas velim, quod hodie ea aſſerere licet quae in proximis paginis recenſentur.

D. Lugd. Bat. m. Aprili a. 1893.

J. P. N. Land.

# ADDENDA ET EMENDANDA

## IN SUMMIS RERUM AD

# VITAM ARNOLDI GEULINCX

## PERTINENTIUM.

(Cf. vol. I. p. XI.)

---

Anno 1619 d. 8 m. Jan. Joannes Geulincx Aegidii f. prope Lovanium natus, in qua urbe per quadriennium fere apud virum nob. van Spangen dominum in Boudries habitaverat, ab hujus fratre Cornelio, equite et confcabino Antverpienfi, literis commendatur. D. 11 ejufdem menfis civitatem adeptus, d. 15 tabellarii urbani officio donatur. Ex ipfius libello fupplici apparet, eum famulum agere apud alterum urbis confulem Henricum van den Werve.

[A. 1629 d. 30 m. Mart. baptizatur filius Joannes. Hic anno 1658 aut 1659 viduus factus, biennio poft et fortaffe diutius etiam fuperftes erat, nam ejus caufa tunc litem fibi intenderunt collegia quaedam civica, anno demum 1676 dijudicandam. Cff. Mertens et Torfs, Gefch. van Antwerpen, VI p. 10.

A. 1633 d. 23 m. Aug. baptizatur filius Aegidius, anno 1651 Lovanii inter Lilienfes minorennes recipiendus, qui m. Nov. a. 1658 licentiam in artibus obtinet inter candidatos 206 ordine vigefimus fecundus.]

Annis 1637 et 1638 eas domus comparant parentes, quae hodie infignes funt numeris 17 in vico dicto Wijngaardftraat et partis 16ae in vico Moriaanftraat. Hanc equum cum plauftro et civium farcinas Bruxellas vehendas excepiffe verifimile eft.

Ludum literarium frequentabant ejufdem ordinis pueri non apud Jefuitas, qui nobiliores docere folebant, fed apud Auguftinianos in vico Kammerftraat.

A. 1641 d. 7 m. Jan. Arnoldus Geulincx Lovanii in paedagogium Lilii inter divites (i. e. ſtipendio non gaudentes) recipitur.

Excurrebat paedagogium juxta viam Novam, inde a Sabaudica ad Dieſtrenſem uſque, ex qua (olim Dorpſtraat vocata) aditus patebat. Regentis officio fungebatur eo tempore Baldricus Buterne Montenſis, J. U. L., Subregentis Wittebort, philoſophiae profeſſorum Guilielmus Philippi Hallenſis (a. 1618 ad 1650, deinde ſolius medicinae profeſſor), Jo. Car. van Eyck (a. 1636—1642) et Seb. Stockmans (a. 1637—1650), uterque Antverpienſis.

A. 1653 primum eduntur noſtri QUAESTIONES QUODLIBETICAE.

A. 1654 d. 1 m. Sept. decanatum fac. art. gerere incipit, quo defungitur anno proximo d. 28 m. Febr. Eodem anno 1654 inter tentatores licentiandorum nominatur.

A. 1658 d. 5 m. Jan. a munere academico amovetur, ſiquidem id colligere licet e decreto tunc a paedagogii primoribus facto, quo ejus ſucceſſor deſignatus eſt Petrus Damman Winocibergenſis) -pro motus a. 1652, prof. a. 1658—1672; ob. a. 1692).

Regens tunc erat Buterne modo dictus, Subregens Barth. de Pape; Profeſſor primarius alter Aegidius de Brabant ex Lincent Namurcenſis (prom. a. 1644, prof. 1651, prim. 1655), ſecundarii Lud. Meerſmans Dieſtrenſis (prom. a. 1646, prof. 1653, prim. 1658) et neſcio quis. Uterque M. et B. poſtremo Tornaci archidaconatum Flandriae occupavit; mortui ſunt ille a. 1690, hic 1694 aetate 70 annorum.

Eodem anno exeunte uxorem ducit loco Wiert oriundam, qui eſt aut ille prope Antverpiam ſitus aut Weert S. Georgii Brabantinus haud procul a Lovanio.

Quod ad inſigne attinet quod generi attribuendum exiſtimarunt, omnino videtur illud ab Arnoldo more academico aſſumptum eſſe eo tempore quo licentiam in artibus acceperit, adeoque pro emblemate viri proprio habendum.

---

EX ETHICAE DEDICATIONE *a Philareto ad Abrahamum Heydanum ſcripta a.* 1675. „Sed providentiae divinae hoc totum eſt relinquendum, „tuaeque tutelae, vir clariſſime, cui ſane debetur haec Ethica, ſiqui„dem ipſe auctor cum viveret, et pene quod viveret, tibi deberet. „Poſtquam enim ex naufragio rerum ſuarum certe ampliſſimarum ad „hanc academiam appulſus eſſet, rem cum paupertate habuit, cum

„eaque diu luctatus eſt, eo uſque ut tandem fame pereundum, aut „honeſto viro mendicandum fuiſſet, niſi tua liberalitas et munificentia „cum ſuſtentaſſet. Haec paſſim ſapientis fortuna eſt, et quaſi foret „indignus vitâ, cum ſit digniſſimus, multi omnes machinas movent „ut non emergat, cujus virtutibus obſtat res anguſta domi, taedio „potius, ſqualore, fame, et omnis neceſſarii auxilii defectu intereat „pauper ſapiens. Hoc ſenſit noſter etiam pauper Ariſtoteles, et quaſi „non ſufficeret ſumma paupertas, inſuper experiri debuit innocens „malevolorum odio invidiam, calumniam, contemptum, eouſque ut, „ab hiſce calumniantium rabulis obturatis procerum auribus, pro „meritis ſuis primum non promoveretur ad juſtam in academia digni- „tatem, ad quam tandem a nobil. Curatoribus, poſt diſcuſſas calu- „mniae nebulas, evectus fuit. At vero humili conditione preſſus, tuam „ſemper benevolentiam et opem ſenſit; quae virtus quanto magis „rara eſt hoc quo vivimus ferreo aevo, tanto dignior omnium ad- „miratione et encomio."

---

# INSUNT HUIC VOLUMINI

# ETHICA.

E TRACTATUS PRIMI EDITIONE

LUGDUNOBATAVA A. 1665

ET CODICE SCHOLARUM MS.

COLLATIS EDITIONIBUS POSTUMIS.

# ACADEMIAE LUGDUNENSIS CURATORIBUS.

*Nobiliſſimi, Ampliſſimi Viri,*

Annus jam unus et alter eft, cum in Civitate Literaria, cujus Aediles eftis, aream mihi delegi, in qua veftris aufpiciis fundamenta jacerem condendo uni alicui novo veteris Sapientiae domicilio. Ea re Libellos vobis in lucem edidi Logicos duos; quorum alter palos et caementa, folidando paviendoque fundo, alter intritam et ferrumen conferret, quibus haec inter fe durata vincirentur et coalefcerent. Hi, quod a me juffi erant facere, ftudiofe accurateque fecerunt: fiftucas adhibuerunt, folum ftatuminibus inductis ruderaverunt, et ipfa inter fe ftatumina trabefque perpetuâ catenâ deligarunt. Jacta funt Encyclopaediae fundamenta.

Interea vero, dum haec fundamenta fibi effe fino, ut, an dehifcant alicubi vel defcifcant, an autem perftent et ferendo fint, explorem (et certe, fatente invidiâ, nihildum vitii fecerunt; fpondent fe, quod inaedificabitur, utut operofum et auguftum, aeternum latura), — quaedam, quae inter exftruendum ufui futura videbantur, parabam, aptabam, dolabam: columnas, tigna, tabulas. Tandem affidua pertaefus, feponere ea ac differre tantifper conftitui. Contuli me ad opus amoenum magis: futuri aedificii Coronidem fabricare ingreffus fum. Hanc adumbratam jam ante mihi, et typo etiam mandatam [1], aliquamdiu

[1] [Cf. infra Difp. Eth. de Virtute ct.]

jam dies totos pingo, fingo, caelo. Coronis ea, *De Virtute et primis ejus Proprietatibus* Commentatio eſt; haec in delubro Sapientiae faſtigium tenet. Camera enim in hoc delubro eſt Ethica; quid Politica? fornix aliquis in hac camera. Errant toto coelo, quibus ex alio quam Virtutis hoc coelo (templi, inquam, hujus lacunari) Reipublicae felicitas pendet. Qui ex humano vaframento ſuſpenſus eſt conſiliorum lychnus, fulget ſubinde pauliſper; admirantur illum pueri, aſſentantur paraſiti; ſed mox in ſuſpicientes prolapſus, cum eos unguine ſuo defoedaverit, pondere ſuo contuderit, inter fumum et nidorem frangitur et exſtinguitur. Nimis dentatâ ferulâ docet id olim et hodie magiſtra ſtultorum, Experientia.

Igitur in Sapientiae fano laquearium et tectum eſt Ethica. Ut a Logica fundamentum ſit firmum et bene ſiſtucatum; a Mathematica et Metaphyſica columnae robuſtae, parietes bene materiati; a Phyſica pavimentum et opera inteſtina cuncta concinne eleganterque elaborata; — tamen ſine Ethica nunquam ſartum tectum eſt hoc templum. Imo ſine Ethica non templum eſt ſed impluvium; non ad ſacra, non ad polluctum valet. In brevi tectoriorum tabo ac mucore foedum, ſtrigum et noctuarum nidis obſcoenum, ferarum cubilibus infeſtum, anguium vermiumque colluvie ſqualidum, dirum, exſecrabile, imbrium ſtillis paulatim exeditur, viatoribus ruinam minatur, et tandem procumbit, omnibus inſcitiae ac ignorantiae gurguſtiis infelicius.

Cum in Philoſophiae fano tectum ſit Ethica, Tractatus ille, qui Virtutem ipſam proxime tractat, tecti ipſius culmen et Coronis eſt. Hanc Coronidem, jam inſcriptam vobis, jam inſignibus veſtris diſtinctam, jam rite inſtructam et comparatam, hanc ego vobis Coronidem, qua par eſt reverentia, cominus inſpiciendam et examinandam offero, ſubmitto. Si quid in opere (nam in materia nihil; fidem meam interpono; tota ſolida eſt et proba) mutandum duxeritis, jubete pro jure veſtro (Aediles mei eſtis); meum erit exſequi quod jubebitis. Sicubi vero

caelaturae noſtrae pampinos et corymbos inaurandos eſſe conſtitueritis, efficiam profecto, ut in munificentia veſtra magis eluceat ars mea, et in arte mea ſplendeat aeternum munificentia veſtra. Valete. Bonis et ingenuis hominibus favete. Ita Deus faveat vobis, Reipublicae veſtrae Literariae, et Summae Rei. Si faveritis, favebit ille. Praeſto

Dabam Lugd. Bat.
27. Julii 1665.

*Nobiliſſ. et Ampliſſ.*
D. D. V. V.

Obſervantiſſimus Cultor
ARNOLD. GEULINCX.

# LECTOR BENEVOLE.

Hic eſt Libellus *de Virtutibus Cardinalibus* [1]. Nomen a vulgo ſumpſi (ſic decet), Rem a Natura (nam et hoc Philoſophum decebat) mutuatus ſum. Non enim eaedem mihi *Virtutes Cardinales* recenſentur, quae vulgo; vulgo hae: *Prudentia*, *Juſtitia*, *Fortitudo*, *Temperantia*, mihi iſtae: *Diligentia*, *Obedientia*, *Juſtitia*, *Humilitas*. *Prudentia* manifeſte excidit (viderunt id ante me complures); haec fructus Virtutis et adminiculum, non Virtus. Convenit inter nos de Juſtitia; ambigitur ergo tantum de Fortitudine et Temperantia. Sed hae abeſſe poſſunt a Virtutis exercitio, forte non ſimul, ſed ſaltem ſingulae; nam inter adverſa nullus eſt locus Temperantiae; inter ſecunda Fortitudini nullus. (Nec audio eos qui, inter ſecunda non ſuccumbere illecebris, Fortitudini, inter adverſa moderari timorem, Temperantiae adſcribunt. Laborant in *Analogo*, nec ſatis dictionem propriam a figurata diſtinguunt; nam illud *non ſuccumbere* tantum eſt *non pellici*, quod ſolius Temperantiae, et hoc *moderari* tantum eſt *non deterreri*, quod ſolius Fortitudinis eſt.) At vero nullum eſt Virtutis exercitium ſine illis quatuor, quas ego Cardinales feci. Ut enim actio aliqua ſit legitima, audienda eſt Ratio (hoc Diligentiae), faciendum quod dicit Ratio (hoc Obedientiae), et id faciendum, non plus non minus (hoc Juſtitiae), ideoque non ſui cauſâ faciendum (hoc Humilitatis eſt). Sunt igitur hac Proprietates inſeparabiles a Virtutis exercitio, et ut opus quodcunque bene a nobis fiat, neceſſum eſt in eo nos et *diligentes*, et *obedientes*, et *juſtos* ac *humiles* eſſe.

Sicut autem has res (quod dicebam) a Natura accipio, ſic

et naturaliter eas accipio ac tracto. Nihil admifceo ex facris fontibus; totum ex Ratione eft, quidquid hic eft rivuli. Hinc inter fcribendum illa miratus faepe fui, quod nunc item miror [2], gentiles noftros (non quidem iifdem quibus nos facris operatos, fed tamen eidem Rationi) magno hîc ingenio, magno animo, magno ftudio et cura, non nifi magnopere aberraffe; idque in folo tam plano, et a via tam recta ac regia, habentes etiam divinum illud Oraculum, quod inter fe toties decantabant: *Ipfe te nofce.* Quo filo fi recte ufi fuiffent, non modo faciles has vias ambulare, fed vel inexplicabilem Labyrinthum, fi res ita tuliffet, expedire debuiffent. Omnes Philautia feduxit. Neminem hic eximium facio, ne magnum quidem Platonem, qui eximendus erat (fateor) fi eorum quifquam. Omnes omnibus velis et remis ad *Beatam Vitam*; omnes de fua felicitate, et ex cupiditate fuae felicitatis laborant; atque hinc illae lacrymae. Soli Chriftiani ex Sacris fuis hic aliquid fapiunt; foli, fed inter folos quam pauci! Ethicorum Schola cum Ethnicis fuis, quorum dogmata profitetur, infanit; Populus autem ut plurimum his, quos illa Schola formavit, magiftris et oratoribus utitur.

Et Chriftiani quidem qui hic fapiunt, (ut dixi) ex Sacris fuis fapiunt. Nemo, quod fciam, Philofophum hic egit, et purae putae Rationis Naturalis acu (nam hoc *Philofophari* mihi eft) rem illam tetigit. Quid ergo? His omnibus, tum gentilibus tum Chriftianis, unus ego fubtilior? Non fum tam pueriliter affectus, ut id mihi fumam. Sed quod Microfcopio (aevi noftri et Belgii noftri invento mirabili, miraculo) atomos intuentibus ufu venit — (Nam minimae, quae attentos oculos pene fugiebant minutiae, hujus inftrumenti beneficio in juftam afpectui molem excrefcunt; ut videri jam in iis, quae alioqui vifae nunquam fuiffent, partes variae, varii colores, anguli, finus, tuberes facile poffint; fed, quod etiam mirere, cum ita Microfcopium adhibuerunt, eo paulifper fepofito, folis jam oculis notant et defignant, quae, nifi primum ope illius inftru-

menti vidiſſent, nunquam vidiſſent; audent jam nudi oculi quiſquiliarum antra rimari, quae pridem non niſi conſpicillorum vitro cataphracti ſubiiſſent), — id et mihi uſu venit. Verbum Dei eſt mihi Tubus Batavicus. Quae et ope ejus vidi, et non niſi ope ejus vidiſſem, etiam eo ſepoſito aliquatenus video; imo quaedam talia ſatis impoſterum video ſine Tubo, et tam perfecte ac ſi illo inſtructus eſſem. Acribus et acutis gentilium noſtrorum oculis non antefero meos; obtuſius illi quidem viderunt, ſed perſpicillo meo caruerunt. Chriſtianos vero eos (pauci ſunt) qui haec in ſacris ſuis agnoverunt, hortor, ut hîc eadem mecum recognoſcant. Juvat; docent id nos, qui Microſcopiis utuntur.

Ad extremum, Lector, ſaepe ſis hîc lector. Et quae legis in Libello meo, relege ea in animo tuo. Ne dubites; ibi etiam haec ſcripta ſunt.

---

# TRACTATUS I.

# DE VIRTUTE

## ET PRIMIS EJUS PROPRIETATIBUS, QUAE VULGO VIRTUTES CARDINALES VOCANTUR.

---

## CAPUT I.

### De Virtute in genere.

Ethica verſatur circa Virtutem. Virtus eſt rectae Rationis Amor unicus.

### § 1. *Amor.*

1. *Amor* varie ſumitur [1]; et primo quidem ſonat certum Affectum ſeu *paſſionem*, quae mentem humanam demulcet et ſuaviter habet. Imo haec *paſſio*, quae paſſim *Amor* appellatur, eſt tota, una, et ſola [2] mentis humanae, quatenus humana eſt et cum corpore colligata, ſuavitas. Etiamſi enim mens humana, quatenus mens eſt, capax ſit ſublimioris alicujus delectationis (quae in mera ſuarum actionum, quod hae cum ſuprema Regula conſentiant, approbatione conſiſtit), tamen quatenus corpori juncta eſt, atque in illud agere, et viciſſim ab eo accipere et quaſi pati nata eſt, non aliam dulcedinem novit quam *paſſionem.* Adeo ut *Laetitiae*, *Deliciae*, *Jucunditas*, *Hilaritas*, *Gaudium*, *Jubilum*, et ſi quae ſimilia, tantum diverſa ſint hujus Amoris nomina. Tum vero, quod in *Deſiderio*, in *Spe*, in *Fiducia* [3], caeteriſque id genus ſuave eſt, et mentem bene afficit ac delinit, Amor eſt; quod autem in his moleſtum eſt et affligit, ab Amore non eſt, aſt ab alio

aliquo affectu, qui cum Amore ſimul in iis complicatur. Jam illa mentis ſeparatae et corpore ſe abſtrahentis delectatio (quae, ut diximus, conſiſtit in nuda ſuarum actionum, eo quod hae cum Divina Lege congruant, approbatione), tam jejuna videtur plerifque [4], tam tenuis et diluta, ut eam vix aut ne vix quidem Delectationis nomine dignentur. Imo ſi ſpiritualis illa delectatio ſterilis ſit, et non procreet illam [5], quam procreare ſaepe alioquin ſolet, corporalem ac ſenſibilem delectationem (Amorem paſſionem), conqueruntur ſe vitam agere in luctu et ſqualore, contabeſcere ſe, et etiamſi Deo ac Rationi obediant, omni tamen praemio et ſolatio deſtitutos eſſe.

2. Et ita quidem, quid ſit Amor *paſſio*, ſatis intelligitur. Talis tamen Amor in definitione Virtutis non eſt accipiendus [6]. Quamvis enim hic Amor Virtutem ſubinde comitetur (Boni enim inenarrabilibus interdum delectationibus et animi deliciis affluentes ſunt), non eſt tamen ipſa Virtus, ſed tantum praemium quoddam accidentale Virtutis, quod, ut ſubinde Virtutem conſequitur, ita et ſubinde deſtituit. Alius igitur eſt Amor quidam, qui Virtutem conſtituit, nempe firmum propoſitum [7] faciendi, quod Recta Ratio faciendum eſſe decreverit. Quia autem hic Amor operationem aliquam ſpectat, vocari poteſt *Amor effectionis*; ſicut alius ille Amor, de quo paulo ante agebamus, vocari poteſt *Amor affectionis*. Et non tantum firmum Propoſitum faciendi, quod Ratio faciendum eſſe decernit, pertinet ad Amorem effectionis; ſed generatim omne firmum Propoſitum aliquid agendi [8] illo nomine intelligendum eſt. Etiam firmum Propoſitum injurias tuas perſequendi et ulciſcendi, Amor eſt; non quidem erga eum quem ulciſci et punire conſtituiſti, ſed erga te ipſum, quem ultione illâ pacare, placare, paſcere, et oblectare vis. Igitur Amor affectionis eſt quaevis in humana mente ſuavitas; Amor autem effectionis eſt quodvis firmum propoſitum.

3. Eſt vero Amor affectionis frequentior, et apud populum

magis famoſe nomine *Amoris* intelligitur; ſed Amor effectionis magis proprie [9] magiſque naturaliter nomine *Amoris* ſignificatur. Imo videtur Amor affectionis iſto nomine *Amoris* non alia de cauſa venire, quam quod Amor affectionis ſaepe pariat Amorem effectionis. Alioqui non magnopere amari nos intelligimus ab eo, quem ſcimus bene quidem erga nos affici, ſed affectum ſuum, effectum non dare [10], et oblata occaſione non ſuccurrere nobis, nihil pro nobis praeſtare vel moliri; aut certe talem ejus Amorem non magni facimus. Argumento claro, quod *Amor* magis proprie magiſque naturaliter ſonet Amorem effectionis, quam affectionis.

4. Vulgus, quando nomine *Amoris*, fere Amorem affectionis, ſeu certam illam *paſſionem* [11], quam num. 1. diſcuſſimus, intelligunt, hinc totam etiam Virtutis rationem illi paſſioni aſſignant, putantque ſe tum demum probos eſſe, cum tenero aliquo affectu in Deum et Rationem feruntur; ſed cum deliciis his (nam ita fieri natum eſt [12]) exui ſe ſubito vident, anguntur, conſternantur, non aliter quam ſi hoc ipſo certam et indubitatam Virtutis jacturam feciſſent. Quibus anxietatibus et ſcrupulis non aliter exſolvi poſſunt, quam ſi vere humiles eſſe diſcant [13]; ſtetque illis hoc, ſui oblectamenti aut ſolatii gratia nihil, ex contemplatione vero Rationis omnia, et facere, et miſſa facere. Perverſiſſimum eſt autem ſcrupulos illos expellere directe velle [14]; quae melius conſtabunt ex iis, quae dicam infra cap. 2., ubi de Humilitate ex profeſſo agam.

5. Comitantur interim inter ſe hi Amores (affectionis et effectionis) ſaepiſſime; et ſubinde quidem Amor affectionis generat Amorem effectionis, ſubinde contra. Amor affectionis in civili commercio ſaepe generat Amorem effectionis. Primo enim, qui ambiunt, quique beneficium aliquod aucupantur, gratiam inire ſtudent apud eos, quorum favore id impetrare ſe poſſe confidunt, eorumque ſibi affectum demereri conantur blanditiis, aſſentationibus, officiis, muneribus, et, ſi nihil aliud ſuppetat,

precibus. Hunc Amorem affectionis ſi ſibi demeruerint [15], ſatis certi ſunt naſciturum inde Amorem effectionis, ſeu propoſitum benefaciendi, et ex hoc, ipſa beneficia quae aucupantur. Contra vero Amor effectionis ſubinde etiam generat Amorem affectionis. Quod in ſublimiori commercio uſu venit [16]; velut cum verus aliquis et cordatus Philoſophus diſcipulum, puta Socrates Platonem, Sapientia imbuendum ſuſcipit. Primo enim Socrates animum ſuum inducit benefacere Platoni, bene illum inſtruere, et ſibi ſimilem, id eſt, bonum reddere (quod eſt ſummum benefaciendi propoſitum); ex quo Propoſito naſcitur in Socrate tener aliquis affectus erga Platonem, ſeu talis aliqua ſuavitas animi, qua cum in alios ferimur, eos amare vulgo dicimur. Idem etim obtinet in Virtutis exercitio. Probi enim non primo tenere et ſuaviter erga Deum ac Rationem afficiuntur, ex qua deinde animi teneritudine ac ſuavitate moveantur ad obediendum Deo ac Rationi (is enim proceſſus illegitimus eſt, et vitio non caret, ut infra patebit, ubi de paſſionibus agemus), ſed contra, primo firmiter volunt Deo et Rationi obedire; et inde naturaliter ut plurimum pullulat [17] in iis ſuavitas quaedam erga Deum ac Rationem, et talis animi teneritas, quam *Amorem* generatim, et ſpeciatim in hac materiâ *Devotionem* vulgus vocat.

6. Porro Amor effectionis rurſum duplex eſt, nempe Amor *Benevolentiae* et Amor *Concupiſcentiae.* Amor Benevolentiae eſt Propoſitum firmum alteri benefaciendi. Et hic Amor etiam non conſtituit Virtutem; Virtus enim eſt Amor Rationis, at nos Rationi bene aut male facere non poſſumus; nihil ei ſeritur aut metitur, cum nos bene agimus; nihil ei detrahitur, cum male. Ratio enim in nobis eſt imago divinitatis; cui proinde, quatenus imago eſt (et ſic tantum amanda) non potius quam ipſi Deo bene vel male fieri a nobis poteſt [18]. Sic ſi moderate, ſi fortiter te geras, Rationi quidem obtemperas, ſed hoc tibi bonum eſt, hoc tibi bene cedit, non Rationi; ſi vero

petulanter aut effeminate facias, hoc tibi probro eſt, qui Rationi non auſcultas; ipſam Rationem ſordes tuae temerare non poſſunt [19]. Sicut, quod ſpeculum veras rerum imagines reflectit, laudatur; quod falſas et contortas, vituperatur; res ipſas ideo, quae repraeſentantur, vituperandas nemo vel laudandas putat [20].

7. Amor Concupiſcentiae non eſt aliud quam firmum propoſitum aliquid conſequendi; qualis eſt amor hominum [21] erga opes, honores, voluptates, etc., quae homines ſibi ipſis conſequi ſtudent; unde non eſt aliud quam Amor ſui, ſeu Philautia. Hic Amor longiſſime abeſt a ratione Virtutis; eſt enim fomes Peccati, aut potius ipſiſſimum Peccatum; ut infra melius patebit [22], cum de Peccato agetur. Enimvero oportet eum qui oculum adjecit Rationi, a ſua ipſius ratione recedere quàm longiſſime [23]. In via Virtutis opponuntur iſtae rationes; huic tergnm obvertit; in illam obviis ulnis fertur, quiſquis laudatam illam ſemitam inſiſtit. Neque ullum certius criterium, penes quod ſpecioſos illos improbos, Virtutem tam callide mentientes, internoſcere poſſimus, quam frivolum illud verbum, quod illis in ore frequenter, in mente ſemper: *Meum.* Qui enim ſe curat, et rem ſuam agit, ſceleſtiſſimus eſt hoc ipſo [24]; utut caeterum magnifice Virtutem crepet, aut etiam ſcienter et perite de illa diſputet.

8. Atque hi ſunt tres Amores, qui jam in mentionem inciderunt (Amor affectionis, et duo Amores effectionis, benevolentiae ſcilicet et concupiſcentiae). In Scholis etiam hi tres Amores ſatis decantati ſunt; ſed, ut vidimus, ſunt extra rationem Virtutis, ad naturam ſeu eſſentiam ejus non pertinent. Reſtat quartus quidam Amor, qui Scholis, quantum perſpicio, non ſatis innotuit; pertinet tamen etiam ad Amorem effectionis, poteſtque vocari *Amor obedientiae.* Atque non eſt aliud quam firmum propoſitum id exſequendi, quod alius juſſerit. Et hic demum Amor Virtutem conſtituit [25]. Rationem enim,

quam Virtute amamus, amare non debemus aliter, quam firmo Proposito faciendi id unum, quod ipsa jusserit.

§ 2. *Ratio.*

1. Quid sit Ratio, non debet dici, imo ne potest quidem (vide sis Logicam nostram, praesertim par. 4. sec. 1. cap. 6. et ibid. cap. 13. num. 4.). Quid, inquam, sit Ratio, satis superque notum est nobis omnibus [1], quorum hoc insigne est, rationales esse [2]. Nec refert, quod Ratio quam plurimis occasionibus ignota sit, obscura, perplexa; nam sufficit eam in aliquibus saltem circumstantiis perspectam habere [3], ut non ignota dicatur. Sicut patrem suum filiusfamilias novit, etiamsi non noverit illum eminus versantem, aut in tenebris, aut in conferta hominum huc illuc discurrentium turba, aut habitu peregrino vel muliebri larvatum [4]. Sed haec latius discutere non est hujus loci, et, ut dixi, Logicam meam adeas licebit. Igitur ad rem.

2. Virtus est Amor Rationis, et non tam proprie, aut saltem non tam prope, ipsius Dei in se [5]. Deo enim, quidquid agamus aut non agamus, necessario obedimus; alioqui enim quomodo Deus erit (quod necessario est) beatus, si voluntati ejus resistere quisquam valet? si fiat aliquid, quod ipse fieri non vult? Nihil enim aliud est infelicem esse, quam pati aliquid contra animi sui sententiam; et unusquisque nostrum est infelix hoc ipso, quo aliquid fit vel est, secus quam volumus. Igitur Propositum obediendi Deo in se, et separatim a Ratione [6], tam est ineptum in nobis, quam propositum procurandi, ut mons habeat suam vallem, aut tres anguli in triangulo simul sumpti aequales sint duobus rectis. Absolutae illi, verae, et rigidae Dei voluntati parere velle, est actum agere [7]; velis nolis, parebis, sicut et res omnes necessario parent. (Quomodo autem inde nullatenus sequatur, quod Deus sit auctor Peccati [8], item quomodo haec cum libertate actionum nostrarum consistant [9], non est hîc

dicendi locus.) Nihil illa Veritate liquidius clariusque cogitari potest, quamdiu seorsim ab objectionibus et sophismatis, quae in Scholis contra eam moveri solent, consideratur: *Deo necessario morem gerunt omnes, imo omnia* [10]; sed Legi, quam Deus nobis dixit, id est Rationi, parent aliqui, et hi *Boni* dicuntur; quidam reluctantur, et hi *Mali* sunt.

3. Est etiam Virtus Amor Rationis *rectae.* Nam depravatam Rationem amare non est Virtutis. Ratio autem, cum circa res naturales et physicas versamur, depravatur praejudiciis et captionibus; cum vero circa res morales et Ethicas versamur [11], cum iisdem illis depravatur, tum insuper cupiditatibus et passionibus. Unde patet, depravatam Rationem non esse Rationem; sicut enim impurum aurum non est aurum, sed aurum et scoria, sic depravata Ratio non est Ratio, sed Ratio cum praejudiciis, captionibus, cupiditatibus, affectibus. Unde nec erat necessum, in Definitione adjicere illam particulam *rectae*, quia ex se inest, cum *Rationis* dictum est; sicut cum *Aurum* dicitur, per se inest *purum.*

4. Virtutem etiam Rationis Amorem *unicum* [12] dixi. Nam Virtus solam Rationem admittit, solam illam sinu complexuque suo dignatur; omnem aliam contemplationem excludit. Unde qui partim Rationis, partim sui commodi, voluptatis, aut honoris ergo, negotium aliquod gerit, male negotium illud gerit, et non ex Ratione; quia nihil est ex Ratione, nisi quod totum, quantum quantum est, ex Ratione est. Inter praecepta Rationis hoc unum est: *Omnia contemnenda, praeter Deum et Rationem*; unde nemo potest amare Rationem, nisi illam solam amet. Inest igitur etiam ex se satis illa particula *unicus*, et Virtus brevius jam definiri potest: *Amor Rationis.* Nam, et quod hic Amor obedientiae esse debeat, et unicus esse debeat, et erga Rationem rectam, non depravatam, satis innuit notio Rationis.

## § 3. *Habitus.*

1. Peripatetici et Scholae Virtutem *bene agendi habilitatem* eſſe volunt, *frequenti bonarum actionum exercitio comparatam* [1]: ſed ſero veniunt [2], nam ante hanc eorum virtutem Virtus eſt. Probae enim actiones unde? Non aliunde ſane, quam a Virtute [3]. Igitur Virtus eſt ante probas actiones; igitur multo magis erit ante illam a frequentia bonarum actionum emanantem habilitatem. Adde, quod haec bene agendi per multas actiones bonas acquiſita facilitas, felicitas potius, et magis praemium Virtutis, quam Virtus eſt. Adde, quod eſt res mere naturalis, quae ex ſemine ſuo neceſſario propagata, nullum habet cum rebus moralibus commercium.

2. Quod vero Virtutem ideo in habitu conſtituendam putent, quod etiam probi vocentur, qui dormiunt, aut animo forte vagantur et aliud agunt, rancidum eſt, et plane putentem Scholam nobis inhalat. Res morales moraliter tractandae ſunt [4], et non iſtis ſpinis. Ecce, vir dives etiam dives dicitur, cum peregre profectus, opes ſuas reliquit in patria; redux enim iis, cum volet et ut volet, utetur; ſic vir probus, cum dormit aut dormitat, adhuc probus dicitur, quia, cum res feret, propoſitum ſuum, quo ſolo bonus eſt, reſumet. Et quamvis ſoleat propoſitum reſumere, non tamen illa conſuetudine propoſiti, ſed ipſo propoſito bonus eſt. Sicut nix albere quidem conſuevit [5], ſed non illa conſuetudine albendi, aſt ipſa albedine alba dicitur; etiamſi forte ſolitum illud et conſuetum requiratur, ab hoc ut abſolute alba dicatur; cum alioqui ſi promiſcue alberet et non alberet, non magis alba quam non alba diceretur; ſic, etiamſi forte conſuetudo aliqua boni propoſiti bonarumque actionum requiratur [6], ut quis paſſim inter homines bonus dicatur, tamen adhuc illa conſuetudine et habitu non eſt bonus; et ſic illa conſuetudo ſeu ille habitus non eſt ipſa virtus.

3. Sed etiamſi forte inter nos probi viri compellatione non

gaudeat [7], nisi qui assuevit bene agere, absolute tamen potest jam nunc repente bonus esse, qui hactenus nequam fuit; si nempe animum aversum a Ratione, jam illico convertat ad Rationem, et certum nunc ei sit, non *passionibus* suis indulgere [8], sed soli Rationi morem gerere. Cum vero nemo sit bonus nisi per Virtutem, efficitur etiam hinc, illum bene agendi habitum non esse virtutem, utpote quem nemo, quando is tantum usu et exercitio paratur, habeat repente. Et sane omnes omnium Christi Ecclesiarum Oratores id saepiuscule pro concione inculcant populo, bona opera non esse facienda ex habilitate vel consuetudine [9], sed ex Amore in Deum, aut, ut loqui malunt, caritate. Quo abunde testantur, se Virtutem in habitu et consuetudine non ponere; nam si consuetudo virtus foret, utique actio, quae ex illa consuetudine procederet, proba foret.

4. Est interim in illo, qui Virtutem subito consecutus est, aliquid usui, consuetudini et facilitati simile [10]. Cum enim amet (nam Virtus amor quidam est, ut patet ex § 1.), eas, quae adversus Rationem insurgunt, difficultates contemnit et vincit. Neglectus autem difficultatum facilitati similis; et populo videtur is facile superare difficilia, qui difficilia magno animo superat. Sapienti vero etiam hîc, inter Consuetudinem et Amorem, latum discrimen est. Callum habet Consuetudo, non sentit incommoda; Amor tener est, et incommoda sentit ad vivum, sed obterit ea, perrumpit, et vincit. Itaque forte felicior Habilitas, sed Amor longe generosior est.

## CAPUT II.

### De Virtutibus Cardinalibus.

Virtutes Cardinales sunt Proprietates Virtutis, quae proxim et immediate [1] ab illa dimanant, et ad nullam externam ci cumstantiam speciatim referuntur [2]. Tales sunt hae quatuoi *Diligentia*, *Obedientia*, *Justitia*, *Humilitas*.

## Sectio I.

### § 1. *Diligentia.*

1. Et Diligentia quidem primo nafcitur ex Virtute [3] feu Amore Rationis; quia, cum natura Rationis in eo tota fit [4], ut dictet, ut praefcribat, ut fuggerat, liquet eam a nemine adamari rite poffe [5], qui non aufcultet, qui non mentis aurem arrigat, et totum animum attendat ad hoc dictamen. Et in ifta mentis ad Rationem attentione, aufcultatione defixâ et altâ, Diligentiam repono. Quae proindc eft mentis a rebus extra fe pofitis, in fe, in adyta fua, jugis quaedam et profunda receffio, ad confulendum, quolibet occurrente negotio, facrum hoc Rationis Oraculum.

2. Partes Diligentiae (quod ex definitione liquet) funt duae, Averfio et Converfio. Averfio, inquam, mentis a rebus externis et fenfibilibus [6] (harum enim occurfu mens turbari poteft et impediri ab aufcultando) et Converfio mentis intra fe ipfam. Ibi enim et non alibi Rationem deprehendit loquentem fibi docentemque [7]. Quantumcunque enim Ratio extrinfecus fapientum voce vel ftylo aures nobis oculofque feriat, nunquam tamen nifi intus et in mentis penetrali percipitur; imo quicquid extrinfecus rationum nobis adfertur, id omne, nifi cum forte negligimus, et aliud agere malumus, ad interiorem illam et vivam in nobis Rationem examinandum revocamus [8], applicamufque ad Lydium hunc lapidem, ut iftâ velut affrictione judicemus, recipiendumne fit an rejiciendum. Enimvero nihil eft tam magnum, fublime, fanctum, quod non aliqua ratione Rationis examini fubjiciatur. Etiamfi enim quaedam fint, quae captum Rationis excedunt, et ejus ponderibus penficulari non debent, hoc tamen a quo refcivimus? utique non nifi ab ea, quae id ipfum in nobis teftabatur, Ratione. Hactenus ergo etiam ifti examini fe ftiterat.

3. Adminiculum hoc Diligentiae erit, fi ea faepe et faepius

apud animum noſtrum revolvamus, repetamus, ruminemus [9], in quibus aliquando clare et liquido Veritas ac Ratio nobis affulſerunt. Perpetua enim et familiari illa conſuetudine complexuque Rationis, tandem etiam ibi aſſequemur illam, ubi vel maxime fugere intelligentiae noſtrae vim ac notionem videtur. Quemadmodum enim convictores et domeſtici tui, qui te quotidie multum utuntur, etiam in crepera luce verſantem, aut indutum habitu peregrino, facile et ad primum ſubinde intuitum agnoſcunt; vicini non tam prompte; et aegrius longe aut nullo modo, qui te raro conveniunt; — ſic qui alicubi tantum conſueſcit cum Ratione (quod perfacile, ubi illa ſatis aperta claraque), poſtea etiam deprehendit et retegit eam [10], ubi ſe quam cautiſſime celare, et toto Democriti puteo ſubſidiſſe videbatur. Qui vero Rationem in propatulo verſantem, vilem putat et contemnit [11], nunquam illâ fruetur, ubi recondita eſt et cara; ſicut enim aperta Ratio vilis eſt hominibus, quia facile datur ejus copia, ſic reconditae abſtruſaeque Rationi viles ſunt homines. Ratio autem ubi cara eſt, eum ſibi potiſſimum deſpondet, cui non diſplicuit cum vilis eſſet [12]. Hinc rudi adoleſcentiae, quam ad veram ſinceramque Virtutem informare conſtituimus, conſulere melius non poſſumus, quam ſi eam per id aetatis, quo paſſim ad Ethicam minus apta [13] cenſetur, iis primum diſciplinis addicamus, in quibus nihil niſi Ratio et Demonſtratio valent; quales ſunt Geometria et Arithmetica et quaedam aliae [14]. Sed quid de his generatim cenſeam, in Saturnalibus meis [vol. I. pag. 41 ſeq.] videas licet.

4. Fructus Diligentiae eſt Sapientia [15]. Nam Sapientia non eſt aliud quam recta perceptio ejus quod recta Ratio dixerat; haec autem ſine dubio naturaliter provenit ex ſtudioſa Rationis auſcultatione [16]. Quomodo enim ſcies quod Ratio dicit, ſi non auſcultas cum dicit? ſi vero auſcultas, jam diligens es, et facile etiam percipies quod dicit, et ſic ſapiens eris. Sapientia in rebus Ethicis ſeu Moralibus mutat nomen ſuum, vocaturque

*Prudentia* [17]; nam ſapere in iis quae ad Virtutem faciunt, hoc vero eſt prudentem eſſe; Sapientia autem in rebus Phyſicis ſeu Naturalibus ſimpliciter nomen ſuum retinet, et *Sapientia* tantum vocatur. Poſſet tamen majoris diſtinctionis ergo vocari *Sapientia ſpeculativa.*

5. Sed ingerit ſe difficultas aliqua, *Philarete* [18]: ex qua Diligentia proveniat illa *Sapientia ſpeculativa* [19]? Nondum tamen hîc caput difficultatis eſt; facile enim reſpondebis, Sapientiam ſpeculativam provenire ex Diligentia ſeu auſcultatione ad Rationem, quatenus Ratio etiam in rebus Naturalibus verſatur. Sed unde haec Diligentia? et a quo Amore Rationis? Hîc caput difficultatis eſt. Non enim apparet, Diligentiam illam eſſe ab Amore obedientiae erga Rationem; nam hic Amor in illis, quae merae ſpeculationi ſubjecta ſunt, quales res Phyſicae, non habet locum. Non etiam ab Amore affectionis erga Rationem; quia quod ex illo Amore eſt, Peccatum eſt [20], et ad intemperantiam pertinet, ut alibi oſtendemus. Quorſum autem *Sapientiam ſpeculativam* Peccato ſupponere? cujus germana ſoror (Prudentia) vera eſt Virtutis ſoboles [21],

— *magnum Jovis incrementum.*

Sed nec ab aliquo alio Amore effectionis erga Rationem (puta benevolentiae, vel concupiſcentiae) progigni poteſt illa Diligentia, quae in Theoreticis verſatur; quia (quod cap. 1. § 1. num. 6. et 7. vidimus) hi Amores in Rationem non quadrant. His ita perpenſis, dico Diligentiam illam, quae *Sapientiam ſpeculativam* parit, naturaliter oriri ex Virtute; ſeu ex Amore obedientiae erga Rationem. Ideo enim probi (qui ſoli ſapiunt [22]) Rationem in rebus Phyſicis auſcultant, ut melius eam agnoſcant (quod etiam ex dictis jam ſtatim num. 3. colligi poteſt), meliuſque et promptius dictamen ejus exſequantur in rebus Ethicis. Alio aliquo Amore (qui nempe ipſâ ſpeculationis ineſcetur dulcedine) ad ſpeculandum adduci, vanitatis et intemperantiae genus eſt,

et haud unquam ſolidam illam ac genuinam Sapientiam pariet [23], ſed ad ſummum ſpuriam aliquam et inanem, opinionibus, ſuſpicionibus, deliriis, ſomniis, erroribus, et futilibus argutiis ſcatentem. Sed iſta clarius patebunt, cum de Praemio Virtutis agemus. Quamvis igitur Ratio in Theoreticis non poſſit a nobis amari amore tali, qui nos inſtiget ad ei ibi obediendum, poteſt tamen ibi amari eo amore, qui inſtiget ad ei obediendum alibi, nempe in Practicis et Moralibus. Eadem autem eſt Ratio, quae et res Phyſicas nobis exhibet, et Ethicas injungit [24].

§ 2. *Obedientia.*

1. Altera proprietas Virtutis eſt *Obedientia.* Cum enim Amor Rationis ad Diligentiam te adduxerit, Diligentia Rationis auditorem te fecerit, eamque audiendo didiceris, quid ipſa praecipiat (quod Sapientiae et Prudentiae eſt), reliquum eſt ut, eodem Amore Rationis inſtigante, quidquid Ratio praeceperit, exſequare (quod Obedientiae munus eſt); ſiquidem repugnat amare te Rationem, intelligere etiam quid ipſa velit, id tamen, cum res poſtulat, effectum non dare. Etiamſi autem Obedientia naſcatur ex Virtute poſt Diligentiam, imo etiam poſt Prudentiam, tamen proxime naſcitur ex Virtute [1] (Virtute enim ſeu Amore Rationis, agitur ad exſequendum quod Ratio praecipit, quiſquis rite obediens eſt); ſecus atque contingit in Prudentia, quae ex Virtute quidem naſcitur, ſed remote, nempe mediante Diligentia. Ita ut Diligentia et Obedientia filiae ſint Virtutis, haec natu minor, illa major; Sapientia vero atque Prudentia ſunt neptes Virtutis, quia ex Diligentia naſcuntur proxime, non autem proxime ex Virtute.

2. Partes Obedientiae ſunt duae: Facere et Omittere: omittere quod vetat Ratio, facere quod jubet. In Phyſicis unum atque ſimplex inſigne Rationis eſt: *Exhibere*; in Moralibus geminum [2], *Praecipere* et *Vetare.* Obedientia in rebus Phyſicis nulla proprie; quamvis enim, quod exhibet ibi Ratio,

cernamus, id tamen cernere non eſt Obedientiae; aut, ſi ideo cernis et notas, quae Ratio ibi exhibet, quia Ratio jubet ea cernere et notare, hoc jam non ad Phyſicam pertinet, ſed ad Mores [3]. Solum igitur in rebus Moralibus locum habet Obedientia; quae proinde vetanti Rationi omiſſionem accommodat, mandanti actionem. Et quidem quod jubet Ratio, praeſtandum eſt aliquando; quod vetat, faciendum eſt nunquam [4]. V. g. jubet Ratio comedere, bibere, corpus reficere, hoc igitur aliquando faciendum, ſcilicet ubi, quando, et quomodo faciendum Ratio praecipit; ſed vetat Ratio ſe ipſum interimere, id ergo nunquam faciendum eſt.

3. Adminiculum Obedientiae hoc erit [5], ſi animum paulatim abducamus ab agendis iis, quae mere hominum inſtitutis, moribus, et conſuetudine contineri certo ſcimus; aut potius quam ſtudioſiſſime caveamus, ne quid unquam horum faciamus (facienda enim ſunt aliquando ex praeſcripto Rationis [6]) quia moris ſit, aut conſuetudine receptum, aut conſenſu hominum ac auctoritate firmatum, ſed ſolum quia Deus jubet et Ratio poſtulat [7]. Alioqui enim Rationis dictamina facile obſcurantur, opacantur, et confunduntur cum iis [8] quae uſu et legibus humanis conſtituta ſunt. Unde popularis ille Philoſophus (Ariſtoteles lib. 1. Ethic. cap. 3.) conqueritur, *in rebus*, *quae honeſtae*, *quaeque juſtae ſunt*, *quas Ethica conſiderat*, *tantam eſſe diſſenſionem*, *ac tantos in iis verſari errores*, *ut lege humanâ tantummodo*, *non naturâ conſtare videantur.* Ita homini vano, qui pleraque definivit ad commune judicium, pleraque ad popularem intelligentiam accommodavit, hîc haeret aqua; et merito laborat in Scientia quae maxime ſublimis, et earum rerum eſt, quae longiſſime ſunt ab imperitorum intelligentia ſenſuque diſjunctae [9]. Sed nec demonſtrare ſe res eas velle, nec ad amuſſim exigere, ſed craſſe tantum obiterque tractare, confirmat [10]; et, quo iterum popularis ſit, aliis etiam circa res Ethicas verſantibus [11] idem juris eſſe contendit: *Satis erit*, inquit

ibidem, *cum de rebus et ex rebus ejuſmodi verba facimus*, *ſi rudem quandam veri formam adumbremus*, *et cum de rebus quae plurimum eveniunt*, *atque ex talibus diſputationem inſtituimus*, *ſatis erit*, *ſi talia quoque concludamus. Eodemque modo*, *quaecunque ab alio dicuntur*, *accipi probarique debent*; *eſt enim hominis probe inſtituti*, *tantam in unoquoque genere ſubtilitatem deſiderare* [12], *quantam rei ipſius natura recipit.* Atque adeo latam viam munivit popularibus vitiis, quae paſſim, in ſequentibus librorum ſuorum paginis, pro virtutibus, lectoribus ſuis venditat [13]. Contra vero ſtatuunt omnes pii, res has non levi manu adumbrandas eſſe, ſed penitus in animo exarandas et exaggerandas eſſe; his dies atque noctes incumbendum; magnam perſpicacitatem, magnam ſubtilitatem hîc requiri, vel ad hoc ſolum, ut ea quae Ratione conſtant, diſcernere valeamus; ſine quo delectu nemo unquam bonus fuit.

4. Fructus Obedientiae eſt Libertas [14]. Nemini enim ſervit qui Ratione ſervit, ſed liberrimus eſt hoc ipſo; facit quod vult, quod non vult non facit, et tantum facit ac non facit, quantum ipſe conſtituit, non citra, non ultra, ne latum unguem quidem (in quo ſane conſiſtit ſumma libertas). Cum enim vir bonus ac Rationi obediens id unum ubique et faciat, et facere conſtantiſſime velit, quod Ratio praecipit; id vero nec faciat umquam, nec unquam facere animum ſuum inducat, quod illa prohibet; liquet eum et facere ſemper quod vult, nec unquam facere quod non vult. Et ſi forte veneat, et calamitoſam ſervitutem ſervire cogatur; tamen etiam tunc liber eſt, etiam tunc agit quod vult [15], et hoc unum agit. Herus eum ſuus bajulare jubet? bajulabit quidem; arare? arabit; pecudes paſtum exigere? verrere? nere? et quae id genus alia ſunt durae vel abjectae ſervitutis? faciet; non tamen quia jubet herus [16], ſed quia ipſe vult [17], haec faciet. Nam Ratio, rebus ita ſe dantibus, haec facienda decernit; ipſe autem hoc unum vult, decreto iſto ſtare. Nec ideo ſervire putandus eſt, quia et injungit

herus, et ipſe quod injunctum eſt exſequitur. Si enim vicinus tuus, quoties te domo egredientem videt, egredi mandet, quoties ingredientem, ingredi, quoties ad iter accinctum, eo contendere jubeat, quo cogitas; ridebis forte nugas hominis male feriati, ceterum te illi, etſi quod ab eo juſſus es efficias, obedire non putabis; nempe non ideo egrederis, ingrederis, proficiſceris, quia vicinus tuus hoc juſſit, ſed quia tu ſic conſtituiſti. Ita et vir bonus, qui ſervum agit, quod imperatum eſt, faciet, non quia ſic imperavit herus, ſed quia ipſe ſic conſtituit [18]. Unde, ſi mandet herus, ut conſervum ſuum occidat [19], ut rapiat, ut inſidias ſtruat, ut ad vim ac ſtuprum inferendum ſibi praeſto ſit; non faciet, quia non vult. Non vult autem, quia Ratio vetat; non faciet, inquam, licet, nî fecerit, herus ei flagra, lora, furcam et mortem intentet. Ex quo clare patet, eum alias non feciſſe quidquam, quia id fieri herus vellet, ſed quia ipſus [20]. Itaque liberrimus in illa ſervitute fuit, ut qui nihil unquam fecerit praeter propoſitum ſuum:

*Vir bonus et ſapiens audebit dicere: Pentheu,*
*Rector Thebarum, quid me perferre patique*
*Indignum coges? Adimam bona (nempe pecus, rem,*
*Lectos, argentum). Capias licet. In manicis et*
*Compedibus ſaevo te ſub cuſtode tenebo.*
*Ipſe Deus, ſimul atque volam, me ſolvet. Opinor,*
*Hoc ſentit: Moriar, mors ultima linea rerum eſt.*

## § 3. *Juſtitia.*

1. Tertia filia Virtutis eſt Juſtitia, quae eſt praeciſio ejus quod nimis, et ejus quod minus eſt, ab actionibus illis, quas Obedientia praeſtat. Oritur etiam proxime ex Virtute, praeſertim ob illam particulam *unicus* [1] repertam in definitione Virtutis; qui enim unice amat Rationem, non plus minuſve faciet aut mittet, quam Ratio faciendum vel mittendum eſſe decreverit. Naſcitur Juſtitia poſt Obedientiam; nam Juſtitia actionem aliquam

ſupponit, a qua (nam hoc ejuſce munus eſt) exceſſum pariter et defectum reſecet; actionem autem illam edit Obedientia. Sed et hoc verum eſt, actionem nullam ab Obedientia manare, quam Juſtitia jam ante non circumciderit et caſtigarit; non eſt enim actio Obedientiae, in qua plus minuſve ſit quam Ratio praeſcribat: et hac conſideratione [2], Obedientiam Juſtitia praevertere videtur. Sed hoc eſt ingenium harum ſororum [3]: natalium ſuorum, quos admodum claros habent, ordinem deditâ operâ celare nos ſtudent; et quam, cum primum aſpiciebas, ut majorem natu ſalutaveras, hanc, ſi denuo aſpicias, minorem dicas. Nam et ipſa Diligentia, quae Obedientiam aetate liquido praecedere videbatur, ſi diligenter eam contemplere, non niſi Obedientia quaedam videbitur; cum enim Rationem auſcultamus (quod Diligentiae eſt), etiam Rationi auſcultamus et paremus (quod Obedientiae eſt). Ratio enim jubet auſcultare; igitur ſi auſcultemus, obedimus, et Diligentia noſtra non niſi Obedientia eſt [4]. Ita nos ludere gaudent dulces iſtae Deae [5]; ſed nos, homines qui ſumus, abſtinebimus curioſo nimis et defixo in Divas obtutu; ſatis ſit eo illas ordine ſalutaſſe, quem nobis obiter aſpicientibus ingenuus pudor et reverentia noſtra dictabat. Atque adeo rite ſalutavimus; nam ſi oculis ita remiſſis fides habenda eſt (et eſt, cum aliud hîc non liceat), judicabimus Diligentiam natu maximam eſſe, ſuccedere Obedientiam, poſt has Juſtitiam e Virtute prodiiſſe.

2. Juſtitiae partes duae ſunt: Puritas et Perfectio. Puritas reſecat quod nimis eſt, eſtque velut dexterum brachium Juſtitiae, quo gladium portat; Perfectio ſupplet quod minus eſt, eſtque velut ſiniſtra manus, quae ſtaterâ inſtruitur. Id quod nimis eſt, vocatur *Vitium per exceſſum*; id quod minus eſt, vocatur *Vitium per defectum*. Igitur poſito nomine Virtutis alicujus, ſi ei particulam *nimis* adjunxeris, hoc ipſo Vitium in exceſſu ſignificaveris (ut *nimis liberalis*, id eſt prodigus, eſt vitium in exceſſu ad liberalitatem); ſi vero particulam *minus* adjunxeris,

hoc ipſo Vitium in defectu dixeris (ut *minus liberalis*, ſeu avarus, eſt vitium in defectu ad liberalitatem). Unde et *libido* non opponitur caſtimoniae per exceſſum [6], ut male cenſet vulgus Ethicorum, ſed per defectum; qui enim libidini deditus eſt, is non nimis, ſed minus caſtus eſt; contra vero ſtupor ille [7], quem caſtimoniae per defectum opponi putant, is ei in exceſſu opponitur; qui enim generationi non vacat, cum Ratio id juſſerit, is non minus, ſed nimis caſtus eſt. Sed bene notandum particulas illas *Minus*, *Nimis*, alienantes eſſe [8], ut Logici loquuntur; nam et qui minus, et qui nimis quam par eſt, caſtus eſt, nequaquam caſtus eſt. Poteſt autem idem Vitium diverſâ conſideratione, et per defectum, et per exceſſum eſſe [9]. Sic ubi dandum, et *liberalitas* exercenda eſt, *prodigalitas* ad exceſſum pertinet (nam prodigus nimis liberalis eſt), ubi vero parcendum eſt ſumptui, et *frugalitas* exercenda, prodigalitas in defectu eſt (nam prodigus minus frugalis, minus quam decet parcus eſt); contra vero avaritia, quae liberalitatis defectus eſt, eadem eſt frugalitatis et parcimoniae exceſſus. Sic etiam *ſuperbia* generoſitatis exceſſus, ac modeſtiae defectus eſt; *ignavia* autem vice verſa, modeſtiae exceſſus et generoſitatis defectus eſt. Et quod in hiſce paucis notavimus, locum habet in aliis quamplurimis, ſi non in omnibus. Quamvis autem haec ad Logicam aliquam conſiderationem ſpectare videantur, eſt tamen ipſi Prudentiae inſignis quidam eorum uſus [10], ut ſuo loeo videbimus.

3. Adminiculum Juſtitiae hoc erit: ſi ſerio apud animum noſtrum perpendamus, res non eſſe quod eſſe paſſim dicuntur, ſi tantillum deſit aut ſuperet [11]. Vulgus jactat et prodigit nomina, extenditque facile ad ea quibus non quadrant; quod *fere* eſt, *eſſe* dicunt: quod *vix* eſt, dicunt *non eſſe*. Et tolerandae forent haec vitia nominum, ſi non ea rebus ipſis adſpergerent, et ex nominibus aeſtimare res ipſas aſſueſcerent [12]. Ii vero qui animum a vulgo ad Philoſophiam traduxerunt, facile

capiunt, rerum eſſentias ſimiles eſſe numeris, qui vel unius unitatis (in numero autem quid unitate minus?) acceſſione vel detractione, illico naturam ſuam mutant, et in alios numeros degenerant; nam ſi ternario unitas accedit, non ternarius jam, ſed quaternarius eſt; ſi diſcedit, non etiam ternarius, ſed binarius eſt. Igitur et ille, qui vel tantillum plus minuſve facit quam Ratio dicit, non facit quod Ratio dicit, ſed alias res agit, Deo ac Rationi rebellis eſt, et peccator. Fere obediverat, fateor; ſed fere obedire, non eſt obedire; vix mali aliquid fecerat, fateor; ſed tamen mali aliquid fecerat; quid autem refert, quod non longe ſit a Ratione [13]? Hoc modo, abiiſſe ab illa, ſcelus eſt. Stat quis in praerupto faſtigio; vacillat, pedem inde movens; quid refert, ſi pedem non procul inde moverit? hoc ſolum, pedem inde removiſſe, horribilis ei lapſio et nex eſt. Naufragium in conſpectu terrarum, in ipſo portu, etiam naufragium eſt, non minus ſane quam in vaſto mari, ubi

— *nihil eſt niſi pontus et aether.*

Haec ſi mature et ſaepius apud animum noſtrum revolverimus, ſtudebimus pro virili parte parvos etiam defectus ac exceſſus ab actionibus noſtris removere; et ſic, quantum mortalibus datum eſt, juſti erimus.

4. Fructus Juſtitiae eſt Satietas [14]. Quia enim Juſtitia pariter et quod redundat et quod deficit ab actionibus reſecat, eo illas redigit, ut ſatis ſint, ſeu *ſatiſfactiones* ſint; nam *ſatis* hoc ipſo manet, quo *minus* pariter ac *nimis* reſecta ſunt. Solus ergo Juſtus ſatiſfacere poteſt; reliqui omnes aut minus faciunt, aut nimis. Et populus quidem facile agnoſcit vitium in defectu, et eum qui minus quam ſatis facit, non bene facere, facile intelligit; ſed non perinde populus vitium videt in exceſſu [15]. Nam ſi ſatiſfacere bonum eſt, pluſquam ſatiſfacere melius videtur; unde cum ſuos, et quos ſibi utiles fore ſperant, in convivium adhibent, poſitâ jam ultimâ menſâ, rogant, coenam

frugalem et nimis parcam aequi bonique consulant hospites; lautius se accepturos, cum forum melius dederit; hi autem assentantes respondent, satis, imo plusquam satis [16] obsonii fuisse. Et quidem ea parte, qua excessus (seu id quod plusquam satis est) continet in se mediocritatem (seu id quod satis est), eâ, inquam, parte excessus non est malus; sed excessus continet aliquid ultra mediocritatem, seu ultra *satis*; hoc autem non potest esse aliud quam *frustra*; nam quod ultra *satis* est, necessario *frustra* est (cum *satis* satis esset). Quod vero *frustra* est, agnoscitur ab omnibus malum esse. Sed Defectus item (seu id quod minus est quam satis), qua parte continet in se initium aliquod mediocritatis (seu ejus quod satis est), non est malus [17]; sed initium illud non perfici, supplementum abesse, ultimam manum non admoveri operi, hoc malum est.

## Sectio II.

Quia de Humilitate pluscula dicenda sunt, visum est nobis Caput hoc bifariam dispartire. Haec est Virtutum Cardinalium summa; et Virtus, cum adhuc in Diligentia, Obedientia, Justitia versatur, rudis est; Humilitas circulum absolvit; ultra eam Virtuti nihil addi potest.

### § 1. *Humilitas.*

1. Humilitas est contemptio sui prae Amore Dei ac Rationis [1], Contemptio, inquam, non *positiva*, sed *negativa*. Non requiritur ad Humilitatem, ut quis se ipsum positive contemnat [2], infamet, verberet, aut aliter male accipiat; id enim per se nullius Humilitatis est; sed summae dementiae, nam Ratio per se nihil tale nobis injunxit. Et inculco *per se*, quia fieri potest ut ex causa subinde aliquid horum praestare teneamur; v. g. partes nostri corporis, cum id aegrotat, interdum scarificandae, inurendae, secandae sunt, imo etiam

— *immedicabile vulnus*
*Enſe recidendum eſt*, *ne pars ſincera trahatur.*

Sic etiam cauſae aliquae particulares eſſe poſſunt, ob quas crlmen aliquod, quod perpetraſti, non celes, et te ipſum in invidiam, in odium, in contemptionem adducas; ſed quae ſic ex cauſa tantum et in loco facienda ſunt, cum generatim et rotunde loquimur, dicimus non eſſe facienda. Requiritur ergo ad Humilitatem contemptus *negativus* ſui ipſius [3], quo quis de ſe non laboret, ſe non curet, nullam ſui, prae Amore Rationis, rationem ducat. Non quod vir bonus parare non poſſit ea, quae corpori commoda, quae animo ſuavia ſint; ſed quod non poſſit ea ſui cauſâ, ſui contemplatione parare, ſed ſolius contemplatione Rationis, quae quandoque jubet corpus reficere, et animum relaxare [4]. Quo pacto autem haec, quae ad commodum et voluptatem ſpectant, agendo, ipſam nihilominus commodi ac voluptatis contemplationem ſeponere, et quaſi ex animo delere poſſimus et debeamus (nam dictu inopinatum eſt hoc atque mirabile), infra commodius expediam.

2. Humilitas etiam genus ſuum ducit ex Virtute [5], et quidem proxime [6]. Amor enim Dei ac Rationis (qui eſt ipſa Virtus) hoc agit in amante, ut ſe ipſe deſerat, a ſe penitus recedat, nullam ſui rationem ducat; in quo uno vera ac genuina conſiſtit Humilitas [7]. Igitur filia Virtutis Humilitas, ſed quantum ex vultu conjicere poſſum, poſt reliquas ſuas ſorores in lucem edita, et natu minima eſt [8]; priores enim illae, quas jam ſalutavimus, circa ſolam Rationem [9], ex cujus amore conceptae ſunt, occupantur totae; Diligentia illam audit, Obedientia ei paret, Juſtitia reſecat impedimenta parendi; tandem Humilitas, omnibus reſectis, ſe ipſam etiam abjicit, ut jam ne hilum quidem ſit, quod Obedientiam in officio ſuo remoretur. Sed hîc mihi rurſum non conſto; cum enim haec dico, Humilitatem interea diutius intueor, ac cum ſororibus ſuis comparo;

natu jam non minima, ſed maxima [10], et ortu ſuo ipſam Diligentiam antevertere videtur. Altum enim ſilentium requirit illa auſcultatio, in qua Diligentiam repoſuimus, et non tantum alios non audiat neceſſum eſt, qui probum Rationis auditorem praeſtare ſe contendit, ſed ne ſe ipſum quidem; quomodo enim idoneus Rationis auditor, qui adhuc ſecum garrit? imo vel muſſitat? imo vel hiſcit? Oportet ergo ut jam ante totum ſe rejecerit (id eſt, humilis ſit), qui Rationem ut decet auſcultabit; ecce hoc pacto Humilitas ante Diligentiam eſt. At rurſum coecutio [11]; jam enim Humilitas mihi non ſoror Juſtitiae, ut pridem, ſed ipſa Juſtitia videtur. Nam ſe negligere, omnem ſui contemplationem abjicere et reſecare (quae Humilitatis eſſentia eſt), quid hoc aliud eſt, quam ſtringere gladium illum *Juſtitiae*, quo quod redundat et quod deficit reſcinditur? Aliud ex alio me impedit et ludit; jam enim Humilitas mihi Obedientia videtur. Quid enim Ratio praecipit tantopere? imo quid aliud Ratio praecipit, quam ſui non habere rationem? id cum praeſtet Humilitas, non aliam illam dicere debemus, quam Obedientiam. Jam prorſus nihil abeſt, quin Humilitas mihi ipſiſſima Diligentia ſit. Qui enim ſe non audit amplius, nihil ille praeter Rationem audit; et ſe non audire Humilitas eſt, Rationem vero audire, Diligentia. Sed ſatis eſt: crebrâ ſuâ Metamorphoſi, plus ſatis deſultorios nos habuit haec Pandora [12].

§ 2. *Inſpectio Sui.*

1. Partes Humilitatis ſunt duae: Inſpectio ſui et Deſpectio ſui. Quantum ad priorem, haec eſt illud Veteribus tam decantatum, *Ipſe te noſce*, quod olium Apollinis templo inſcriptum. *Atqui videtur haec inſcriptio tanquam Dei ſalutatio quaedam ad homines, ejus loco, quae ſalvere jubet, Salve; quaſi non probe dicatur Salve, neque jubere hoc invicem deceat, ſed temperate vivere.* Divinum eſt illud Platonis in Charmide; et dant me in

ſtuporem iſta verba: *Quaſi non probe dicatur Salve*, *neque jubere hoc invicem deceat*, *ſed temperate potius* (ſeu humiliter, ſic Chriſtiani loquuntur) *vivere*. Vereor ut de industria dixerit, et ne non caſu. Digitum intendit ad fontem Humilitatis; rem acu tangit; ſed tantum acu.

2. Haec ſua ipſius Inſpectio in diligenti naturae, condicionis, et originis ſuae diſquiſitione conſiſtit [1]. Quam ut rite conſequar, primum ſic reputo, et mecum ſic ſolus loquor: Tam multa ſunt, quae video, tam varia. Video pulcherrimum illud ſolis jubar, quod dierum ac noctium, hiemis et aeſtatis, caloris ac frigoris viciſſitudines mihi parit; video ſubinde noctis tenebras diluentem Lunam, et infinita minora lumina, ſuperiorem illam regionem interpolantia. Video nubes, ſaepe candidas, nonnunquam atras, interdum quamplurimis coloribus ſub veſperam ac auroram diſtinctas; hinc ſubinde tonitruum horribiles fragores exaudio; tum tremulas coruſcationes et triſulca fulmina conſpicio; nimbos inde, grandinem, et nives decidentes; et mox vaſtum illud ac immane ſpatium, a fumis iſtis et nebulis deterſum, ac limpidum, amoeniſſime coeruleum. Circum me aërem, ventis in me impulſum, ſentio, et audio illum alternis per os meum ac nares illabentem ac elabentem, inter reſpirandum quidem leniter, inter ſuſpirandum autem vel anhelandum eonfertim et vehementer. Mare etiam propter me cerno, turbidum, inquietum, ad litora ſua ſtatis horis aſſurgens ſubſidenſque. Video lacus, fontes et flumina. Video terram, innumerabili ſtirpium, plantarum, lapidum, ac metallorum ſobole foetam et fertilem, et tum in ipſa, tum in aquis ac aëre infinita volantium, natantium, gradientium, repentium genera. Haec omnia cum video, Mundum hunc [2], aut aliquam ejus partem videre me dico [3]. Sed haec omnia cum video, clariſſime mihi ſum conſcius, nihil horum feciſſe me [4], nihil horum facere poſſe; me cuncta haec inveniſſe hîc.

3. Tandem eſt etiam Corpus aliquod, quod mecum magis

junctum eſt, vel eo nomine, quod hujus interventu reliqua corpora, quae jam nobis in mentionem inciderunt, percipiam, atque aliter ea percipere non valeam (nam, ſi oculis iſtis caream, non videbo; ſi auribus, non audiam). Hoc quia mecum ita junctum eſt corpus, *Meum corpus* [5] vocare ſoleo. Me hoc etiam corpus agnoſco clariſſime non feciſſe [6], me nihil ſimile facere poſſe; etiamſi enim tale aliquod corpus aut generaverim forte, aut etiamnum generare poſſim, tamen generare tale corpus (planiſſime intelligo) non eſt facere tale corpus; non magis ſane, quam agrum conſerere, ſit frumentum et floſculos, quae reddit ager ille, facere [7].

4. Jam Corpus meum varie quidem pro arbitrio meo movetur (lingua namque in ore meo huc illuc titubat, cum loqui, brachia jactantur, cum nare, pedes projiciuntur, cum ire volo). Sed motum ego illum non facio [8]: neſcio enim quomodo peragatur; et qua fronte dicam, id me facere, quod quomodo fiat, neſcio [9]? Neſcio enim, quomodo, et per quos nervos, aut alias vias, motus e cerebro in artus meos derivetur [10]; neſcio quomodo ad ipſum cerebrum perveniat [11]; et an perveniat? Aut ſi id Phyſicis rationibus ac Anatomicis experimentis aliquatenus aſſecutus ſum, ſentio nihilominus liquido [12], me ab illa cognitione in motu membrorum meorum non dirigi, et aeque prompte aut forte promptius jam olim ea moviſſe, cum id me toto coelo fugeret. Ad haec, cum forte vehementer defatigatus ſum, aut potius inſcio me, manum meam vel pedem Paralyſis invaſit, eodem ſubinde modo me ad motum habeo, atque ut cum integer eram, idem, quantum eſt ex parte meâ, contribuo [13]; et tamen motus non ſequitur. Argumento claro, quod ego non faciam illum [14], ne tum quidem, cum etiam ad arbitrium meum quaedam in corpore meo moventur.

5. Quod ſi motum non facio in corpore meo, multo minus eum extra corpus meum facio; multo minus alia facio quae, paſſim cum populo agens, facere me tam aſſeveranter dico,

ſcripturam, picturam, panem, laterem, ſcamnum, menſam, calceum, veſtem [15]; haec enim non niſi per motum fiunt, quem cum ipſe non faciam, non eſt quod ea etiam quae jam ſtatim commemorabam, aut alia ſimilia, facere me perſuaſum habeam.

6. Denique huc mihi deveniendum eſſe perſpicio, ut ingenue fatear, nihil me extra me facere; quidquid facio, in me haerere; nihil horum quae ago, ad meum aliudve corpus aut alio quoquam manare. Etiamſi forte alius quiſpiam ſit, qui inconſulto meo, ſed arbitratu ſuo, actionem meam ad corpus aut aliud quippiam pertinere velit, et volendo faciat ut pertineat; ſic ut meae partes hic nullae ſint, et ea non ſit vis meae actionis, ſed ſuae. Interdum enim id ago [16], ut alio pertineat actio mea, et tamen operam ludo, etiam tunc, cum id totum impendo, quod ex parte mea ſufficit, quodque alias impendere ſolebam, cum ſe extra me actio mea exſerebat.

7. Alius igitur quis animat actionem meam, cum extra me dimanat [17], et vim ei ac pondus, quo tantum valeat, quod a me accipere non poterat, impartit. Is idem terminos poſuit [18], ultra quos eam efferre non conſtituit; etiamſi enim ad imperium voluntatis meae [19] (hîc actio intra me eſt) ſubinde manus mea ſic moveatur (hîc actio extra me eſt, et jam in corpus meum tranſlata, non equidem a me, ſed ab eo qui hoc poteſt), ut ſimul moveantur lapides aliqui, digitorum meorum uncis implexi, fiatque hoc modo certus acervus, quem domum aut turrim voco, quam etiam aedificare me dico; tamen ad imperium voluntatis meae [20] non perinde, aut ſidera ſurſum deorſum, ultro citroque commeabunt, aut nubes praeſto erunt, ut ſata mea perpluant, aut ſecedent, ne mihi officiant apricanti, aut mare aliter ac ſolet fluet refluetque.

8. Sum igitur nudus ſpeculator hujus machinae [21]. In ea nihil ego fingo vel refingo; nec ſtruo quidquam hîc, nec deſtruo; totum id alterius cujuſdam opus eſt.

9. Sed et quo pacto hujus ſcenae ſpectator ſim, inquirendum eſt [22]. Nempe vaſtum illud coeruleum, tum aërem, mare, terram, tum horum incolas, ſidera, nubes, animalia, plantas, et foſſilia [23] cum video, ſatis ſuperque [24] perſuaſum habeo, ea omnia ſic eſſe ut video. Sed etiamſi ſic eſſent, quid opus eſt ea me videre? Nimirum, quia oculos habeo [25]. Sed quid hoc eſt, *oculos habeo?* Pelliculas, membranulas, tunicas, certis liquoribus, certo modo diſtentas, compoſitas, conformatas. At nec liquores illi, nec illae tunicae [26] vident; ego tamen video: ego igitur aliud longe ſum ac illa [27]. Ego, inquam, ope illorum video; et tamen, quid opis ad videndum conferant [28], non video, plane non intelligo. Nam quod oculi (id eſt tunicae illae ac liquores) ſpeciem (id eſt impulſum quendam) recipiant ab objectis, efficere quidem hoc poteſt, ut oculi reflectant eam ſpeciem ſicut ſpeculum, vel tranſmittant intro in cerebri parte aliqua tanquam in cera imprimendam; ſed hoc nihildum ad videndum facit, quia nec ſpeculo imaginem repercuti, videre eſt, nec cerae ſignum impreſſum eſſe, videre eſt; ſed aſtantem hîc oculos adhibere, imaginem illam, ſignum illud oculis ſuis percipere, cognoſcere, id demum videre eſt. Si igitur aliud non conferant (et quid conferre aliud poſſunt?) oculi ad videndum, oportet rurſum alios me habere oculos, ut videam ſpeciem ab oculis meis reflexam, aut cerebro meo impreſſam; de quibus rurſum oculis eadem recurret quaeſtio, aut potius querela. Oculi igitur ad videndum nihil conferunt? Conferunt ſane: experimento mihi et intimâ conſcientiâ notiſſimum eſt, oculos ad videndum facere. Quid ergo? Hoc unum: non naturâ, non vi, non poteſtate ſuâ quidquam conferunt ad videndum (ſicut quod Longum eſt, id naturâ, vi, ac poteſtate ſuâ hoc habet, quod ſecari et dividi poſſit in partes). Sed quod oculi hîc aliquid praeſtent, et aliquid ad videndum conferant, id omne non a ſe, non a me, ſed aliunde habent.

10. His ita perpenſis, perſpicue intelligo, eo mihi deve-

niendum eſſe, ut agnoſcam, ſicut actio mea non pertingit ad res hujus Mundi, ita nec actiones iſtarum rerum ad me pertinere. Alterius hîc iterum vis et induſtria ſubolet mihi, vis et induſtria non enarrabilis. Quamvis enim planiſſime intelligam, non objecta, non oculos vi ſuâ facere, ut ego videam; quamvis item planiſſime intelligam, aliud proinde quiddam eſſe (quod *Numen*, quia nomen ei dari non poteſt aliud, vocabimus), quod vi ſuâ haec praeſtet; modum tamen, quo haec praeſtat, nec intelligo, et intelligo intelligere me nunquam poſſe. Ineptiſſimus autem eſſem, ſi, quia modus rei mihi ignotus eſt [29], rem ipſam inficiari vellem [30], quae hac inquiſitione mihi reddita eſt notiſſima perſpectiſſimaque; et ſimiliter facerem ac ſi quis negaret ferrum ad magnetem ire, quia modum non intelligit, quo it: aut ego ipſe videre me negarem, quia (ut jam vidi) neſcio quomodo videam.

11. Jam itaque novi condicionem meam [31]. Nudus ſum hujuſce Mundi contemplator; ſpectator ſum in hac ſcena, non actor; et tamen Mundus, quem ſpecto, ſpeciem ſuam, qua ſpectetur a me, ingerere mihi non poteſt; appellit eam ad corpus meum, atque ibi deſtituit [32]; quod ulterius eam in me ipſum et mentem meam ſubvehit, Numen eſt.

12. Novi condicionem meam; inquirendum reſtat, quomodo ad illam devenerim. Haereo, neſcio, nec habeo quod dicam aliud, niſi *neſcio*. Neſcio modum, quo ſum in hac condicione (quam mihi confeſſionem veritas jam proxime inſtitutae diſquiſitionis extorſit); tantum abeſt ut ſciam [33], quomodo ad illam condicionem devenerim. Illud probe novi, nullum me interpoſuiſſe judicium voluntatis meae [34], non huc arbitrio meo me veniſſe; nec enim interrogavit aliquando me, qui me tam mirabiliter poſuit hîc, num hîc eſſe mihi luberet. Ignarum me Deus huc exegit, nedum voluntarium.

13. Et ſicut delatus ſum huc [35], ita et hinc auferri me poſſe video jam aut alias, imo jam jam [36]; auferri ignarum [37]

rurſus, nec voluntarium, ſed inſuper (quod turpe eſt) invitum. Neſcio enim qua mea vernilitate malo iis quae juſſit Herus [38], quam juſſis ejus adhaerere; is, cum me miſit huc, ſimul juſſit [39] hîc manere, donec revocaret; ego labes [40] malo manere, quam, cum revocat, redire. Aut hoc verius erit: male mihi conſcius ſum [41]; nam qui ſcire et animo penitus infixum habere debueram, nihil hîc poſſe me, ita me geſſi, ac ſi omnia poſſem; quantum in me fuit, ima ſummis paria feci, turbavi, miſcui [42]. Sed cum equidem in res extra me poſitas [43] nihil poſſem committere, totum id turpitudinis et turbarum in me admiſi. Timeo itaque redire [44] ſervus nequam, imo detrecto ſi poſſim; et vel ſic ſcelus ſceleribus addo.

14. Haec ſumma eſt eorum, quae ex iſta Mei ipſius [45] inſpectione didici; quae et ita perſpicue didici, ut ad eam quam apud me, omneſque ea mecum mature perpendentes, certitudinem et evidentiam habent, Mathematicorum Apodixes [46] aſpirare non valeant: 1. In hoc mundo me extra me nihil agere poſſe. 2. Omnem Actionem meam, quatenus mea eſt, intra me manere. 3. Eam vi divina aliquando extra me diffundi. 4. Eatenus vero non eſſe meam Actionem, ſed Dei. 5. Diffundi autem, cum Deo videtur, et quantum Deo videtur, ſecundum leges ab ipſo liberrime conſtitutas, et ab arbitrio ejus penitus dependentes [47]. Ita ut ejusdem prorſus momenti ſit, idem in re ipſa miraculum, ex imperio voluntatis meae linguam in ore meo tremere, cum terram dico, et ex eodem imperio terram ipſam tremere [48]; intereſt tantum, illud ad tempus aliquod fieri Deo placuiſſe, non hoc. 6. Tantummodo ſpectare me hunc Mundum [49]. 7. Ipſum tamen Mundum non poſſe ſe mihi ſpectandum exhibere [50]. 8. Solum Deum mihi exhibere illud ſpectaculum. 9. Idque modo ineffabili, incomprehenſibili; quapropter inter ſtupenda Dei miracula, quorum me in hoc Mundo ſpectaculo dignatur, ego ipſe ſpectator [51] maximum ejus ſum et juge miraculum. 10. Poſſe me

ab illo ſpectaculo avelli [52], poſſe me ex hoc Mundo eripi, et quidem jam jam. Eſſe autem me in hoc Mundo non eſt aliud, quam me ſpectare hunc Mundum (quod meum quidem eſt, ſed a Deo), et quaſdam ejus partes, ſeu quaedam in eo corpore movere (quod ſolius Dei eſt [53], et mihi tantum attribuitur ac imputatur, quia fit ad voluntatem meam). 11. Illam mei e Mundo ereptionem, quae Mors vocatur, me timere. 12. Tum quia aſſuevi rebus corporeis, et difficile eſt avelli, tum quia ſum mihi male conſcius, ſcio, quae reddenda eſt, non bene mihi conſtare rationem.

### § 3. *Sui Deſpectio* [1].

Altera pars Humilitatis eſt *ſui Deſpectio.* Haec eſt Humilitatis complementum; cum *inſpectio* rudimentum tantum aliquod et initium contineat. Haec tamen Forma educenda nobis eſt ex iſta Materia; latet in ejus gremio. Conſiſtit ea Deſpectio in mei ipſius derelictione, qua ego Deo, cujus, ut vidi, totus ſum (totus huc veniendo, totus hîc agendo, totus hinc abeundo), totum me relinquam, tranſcribam, dedam; nullâ mei ratione ducar, omnem mei a me curam ſtudiumque deponam; et, qui nihil in rem ullam juris habeo, ne in me ipſum quidem, nihil etiam iſtius juris affectem; non quod mihi lubet, ſed quod Deus jubet, curem; non de mea felicitate, beatitudine, ſolatio, ſed de mea obligatione laborem.

### § 4. *Prima Obligatio.*

1. Procedens igitur juxta illud propoſitum, tam evidenter ex mei ipſius inſpectione deductum, tam probum, tam legitime fnndatum, video primum [1] hanc eſſe meam obligationem: *Cum me Deus avocat e vivis*, *et redire jubet*, *non longe recuſare*, *ſed praeſto eſſe*, et advolare promptum ac alacrem; non moras nectere (nam qui tarde facit, diu noluit), et ne quidem conſcientiâ rei hîc male geſtae a revertendo deterreri [2] (nam

ſervus, quem delicti ſui conſcientia remoratur, et hero vocanti protinus non adeſt, iterum delinquit). Quid quod ea tergiverſatio ex diametro adverſatur derelictioni, qua me ipſum ex lege Humilitatis, quam nunc lumine naturae tam claram mihi et indubitatam feci, deſerere, abjicere, et ejurare teneor? Quomodo enim me deſero, et Deo totum me tranſcribo, qui adhuc meam vicem unice ſollicitus ſum, et obedire renuo, ne vapulem [3], qui tam merito vapularem?

2. Et verum quidem eſt, tergiverſationem meam inanem eſſe [4], nullam Dei imperio remoram injicere poſſe. Cum enim evocabit me Deus, velim nolim, adero; ſed tantum ineptus ego et vanus, quem in re tam ſeria nugari juvat, et operam perdere reluctando. Itaque reſipiſco jam, et hoc ſtat: *Cum Deus me hinc arceſſet, nil me retardabit; ſtatim veniam, omni animo veniam, veniam lubens, volens; advolabo. Alae tamen mihi non erunt* [5], *quae tam multos in ſe rabidos et violentos ſuſtulerunt, vitae taedia, vel ſortis humanae calamitates. Veniam modo, quia Deus vocabit; ſatis erit, eum vocare; hoc me omnibus remis et velis potentius urgebit. Dirae me formidines inceſſent* [6]*? torquebunt cruciatus? exercebunt agones? Patiar; nihil, quantum homini fas eſt, hîc agam, nihil, inquam, propter haec agam, aut agere recuſabo. Totum me Deo reddam, cui me totum debeo. De me conſulat ille, ut videbitur. Optimum factum erit, quidquid ille faciet.*

## § 5. *Secunda Obligatio.*

1. Altera mea Obligatio eſt: *Non abire non evocatum, injuſſu ſummi illius Imperatoris de praeſidio et ſtatione vitae non diſcedere.* Clare ſequitur haec mea, ſicut et praecedens Obligatio, ex Derelictione mei [1], qua meipſum derelinquere teneor, etiam quoad exitum meum ex hoc Mundo. Illum enim, utpote totum divini juris, totum Deo ſubmittere debeo; aliquid mihi juris in eum vindicare nefas eſt. Quod ſi tamen hîc mihi

quicquam arrogare volo, et malus quidem ſum atque impius, qui mihi id ſumo, quod meum non eſt, ſed Dei; et fruſtra ſum, qui id attento, quod conſequi non poſſum; deridiculus pumilio [2], qui clavam iſti Herculi de manibus extorquere conor. Sicut enim neceſſario veniendum eſt, cum Deus evocat, ita cum non evocat, neceſſario manendum eſt; nemo illi intercedit, nemo ſe voluntati ejus interponit, omnino rem illam integram ſibi reſervavit.

2. Etiamſi autem ſtultâ quadam et puerili perſuaſione [3] inductus exiſtimare ſolerem, poſſe me mori cum vellem; tamen hoc non ita, et falſum fuiſſe me, ex mei ipſius inſpectione clariſſime edoctus ſum. Imprimis enim non diſcedam a corpore meo [4], mere ſi ab illo diſcedere voluero; intime mihi conſcius ſum, me id non poſſe. Reſtat igitur [5], ſi a corpore meo diſcedere certum habeam, manus ei meas inferendas, foedandum id ante, laniandum, aut praefocandum eſſe. At non ita verberibus et plagis accipiam corpus meum, niſi illud motum fuerit *; motum autem in eo efficere ego non poſſum (nimis id mihi clarum et illuſtre facit ſincera mei ipſius inſpectio). Ego tantum velle hîc poſſum, et cum volo, Deus ſaepe motum illum impartitur, quem volo; non quia ego volo, ſed quia ipſe vult me volente motum illum fieri. Ut ſi puſio cunas ſuas, in quas conditus eſt, agitari velit, ſaepe agitantur, non quia ipſe hoc vult, ſed quia mater vel nutrix, quae aſſidet, quaeque id praeſtare poteſt [6], id etiam ipſo volente praeſtare vult. Si igitur ego quidquam gravius de me conſulam, ſi pectus mihi pugione perfodere, aut gulam laqueo frangere conſtituam, motum, qui ad hoc exſequendum requiritur, ego non faciam. Deus forte faciet, et hoc ipſo abiget me hinc; non quia ego abire conſtitui, ſed quia ipſe me conſtituente id conſtituit [7]. Ego tamen nefarius, qui nondum interpoſitâ Dei auctoritate, meo judicio et con-

* [Ed. Pr. *niſi illud movero;* at ea corrigi juſſit auctor in Cod. ſcholarum.]

ſilio diſcedo; ego nefarius, qui, quantum eſt ex parte mea [8], non vocatus exeo; exire, inquam, volui, antequam intelligerem me vocari.

3. Probe jam capio hanc meam Obligationem, amplector, recipio in me; mecumque ſic ſtatuo: *Juſſu Dei hic manebo; injuſſu ejus non abibo. In me uno adhaereant [9] hominum omnium odia, obtrectationes et calumniae, omnia mea beneficia in contumeliam accipiant, diris me devoveant et exſecrentur; non niſi exſilium me maneat, egeſtas, orbitas, ſolitudo, carcer; exquiſitis tormentis [10] inſtet tyrannorum rabies et furor, ac mille mihi mortes intentet; Corpus meum [11] fames, ſcabies, tabes depaſcatur; Animum meum timor [12], dolor, taedium, et ſcelerum conſcientia ſtrangulet; Mentem meam oblivio, ſtupor, hebetudo, fatuitas habeat. Certum tamen mihi eſt, mortem non praeoccupare [13], non manu facere, ſed placidum operiri; Deus enim his calamitatibus ſupereſſe me jubet. Si non juberet, eriperet; mos ei gerendus eſt, non mihi, qui laſcivire mallem quam exerceri [14]. Enimvero ſi favor hominum [15] et blanditiae me palpent, ſi omnes mihi vultu ac animo ſtudeant, benedici mihi omnes et benefici applaudant, gratulentur, gratificentur, laudibus in coelum ferant; ad haec divitiis affluam, veſtibulum meum maximâ quotidie clientum frequentiâ celebretur, agam indies cum amicis [16], cum conſanguineis, cum neceſſariis, cum lectiſſima caſtiſſimaque conjuge, cum cariſſimis pignoribus; Corpus meum ſit robuſtum [17], formoſum, vegetum, omnibus numeris abſolutum; altus Animus [18], ſecurus, recte factorum conſcientiâ ſubnixus, laetus; Mens acuta, ſcita, ſapiens, inquirendis agitandiſque rationibus paſta ſemper et expleta [19]; — haec omnia ſi me deliniant [20], ſuavientur, amplectantur, nihil tamen horum me tenebit, nihil horum erit mihi cauſa hîc manendi. Manebo inter illa, non tamen illorum gratiâ; non ob illa, ſed ob legem quam mihi Deus dixit, hic manebo; illa ſola ſtringet et ligabit me, illa ſola a me, ut hîc manere velim, impetrabit.*

4. Eſt vero haec ſecunda Obligatio maximi in Ethica

momenti [21]; et qui hanc non ſatis intellexerunt Philoſophi (quales quidam Stoici, et nominatim Seneca) aberrarunt a janua, totam viam Virtutis ignoraverunt; imo loco Virtutis immanem quandam libidinem, Philautiam meram, ipſiſſimum Peccatum nobis induxerunt. Qui enim integrum et liberum ſibi eſſe vult, hinc abire, cur ille veſcitur? cur artem addiſcit aliquam, aut vitae inſtitutum aliquod amplectitur, ut habeat quo veſcatur, niſi quia libet? Libet enim ei jam in vivis manere; ideoque parat ea quae ſunt ad victum, ad commodum, ad voluptates; cum in vivis manere non amplius libuerit, abibit; et ſic omnia faciet, omnia miſſa faciet, quia libet: quid hoc aliud, quam effraenata libido, perpetuum ſtudium ſui, ſumma Rationis deſpectio?

5. Et certe Seneca prae reliquis unum hoc ſpectare ac ſequi videtur, ut efferae tali, nulliſque cancellis circumſcriptae licentiae claſſicum canat, ad eamque immani ac inſolenti verborum, ſententiarum, exemplorumque paſſu (in quibus animi plus ſatis [22], ſed parum mentis) viam nobis praeeat. Ipſemet Epiſt. 70. cum ſibi objeciſſet: *Invenies etiam profeſſos Sapientiam*, *qui vim afferendam vitae ſuae negent*, *et nefas judicent*, *ipſum interemptorem ſui fieri*, non aliud habet quod reſpondeat, quam: *eos qui hoc dicant*, *praecludere viam libertati* [23], Licentiae dicere debebat, et indomitae libidini; neſcit vero ipſe, quid ſit libertas. Haec fructus eſt Obedientiae, non ferociae; et vide ſis Lector hoc cap. ſect. 1. § 2. num. 4. Libertatem ſanam et veram. Juvat hanc in rem verba ejus, quae habet lib. de Providentia cap. 6., hîc attexere. Ubi, cum inter caetera, Deum bonos viros ſibi pares, imo etiam in quibusdam ſuperiores fatentem induxiſſet [24], tandem etiam ſic perorantem facit [25]: *Ante omnia cavi*, *ne quis vos teneret invitos; patet exitus*; *ſi pugnare non vultis*, *licet fugere. Ideoque ex omnibus rebus*, *quas eſſe neceſſarias vobis volui*, *nihil feci facilius quam mori. Prono animam loco poſui*; *trahitur* [26]. *Attendite modo*, *et*

*videbitis quam brevis ad libertatem et quam expedita ducat via. Non tam longas in exitu vobis, quam intrantibus moras posui; alioqui magnum in vos regnum fortuna tenuisset, si homo tam tarde moreretur quam nascitur. Omne tempus, omnis vos locus doceat, quam facile sit renunciare naturae, et munus suum*[27] *illi impingere, etc. Non in alto latet spiritus, nec utique ferro eruendus est, non sunt vulnere impresso penitus scrutanda praecordia*[28]*; in proximo mors est. Non certum ad hos ictus destinavi locum; quacunque pervium est. Ipsum illud, quod vocatur mori, quo anima discedit a corpore, brevius est, quam ut sentiri tanta velocitas possit. Sive fauces nodus elisit*[29]*, sive spiramentum aqua praeclusit, sive in caput lapsos subjacentis soli duritia comminuit, sive haustus ignis cursum animae remeantis interscidit, quidquid est, properat. Ecquid erubescitis? quod tam cito fit, timetis tam diu*[30]*?*

6. Haec ille; et pensitemus. *Ne quis vos teneret invitos.* Certe tenentur hîc, qui boni sunt; sed non inviti tenentur. Lege Dei hîc alligantur[31]; hanc vero medullitus amant, tota mente atque omni animo volunt ei parere; nihil illis accidere potest tam dirum, nihil imminere tam horridum et exsecrabile, quod eos ad animam projiciendam adducat; hoc enim quid esset aliud quam legem illam violare? Verbo dicam: tenentur, sed liberrimi sunt[32]. *Si pugnare non vultis, licet fugere.* Egregium vero imperatorem[33], qui sic milites suos alloquitur; imo vecordem, imo nugatorem. Talem tibi Deum facis, o Seneca! quid enim hoc aliud in imperatore, quam nugari? *Instruxi vos ad pugnam, commilitones; in aciem eduxi; vos vero, cum visum fuerit, fugite.* Quanto satius: *Vos pugnate viri; state, state, et, nisi cum receptui signum dedero, ne redite*[34]. Porro Deus apud Senecam: *Ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius quam mori.* Ita quidem omnibus non bene rem examinantibus persuasum est, mori se cum volunt; sed quam falsi sint, paulo ante vidimus. Verumtamen demus id

facile esse, quod vires nostras in immensum excedit. Non solet equidem Deus tales motus, quales ad hominem aliquem e medio tollendum requiruntur, voluntati nostrae denegare; atque eâ ratione dicere possumus: *facile est se ipsum interimere.* Facile; sed an faciendum [35]? Multa sane facilia sunt, eademque nefaria; et vel fugere, cum hostis ingruit [36], quam facile est militi, tam etiam turpe; hoc Romae diffiteri non audeas, o Seneca! *Non tam longas in exitu vobis*, *quam intrantibus moras posui.* Falsum; momentum est quod impendimus intrando, momentum est quod impendimus exeundo; et quî aliter possemus, qui partium omnium expertes, partim adesse, partim abesse non possumus, sed necessario vel adsumus omnino, vel omnino desumus? Corpus quidem nostrum partes habet, secundum quas paulatim in usus nostros augeri perficique solet; nullas nos ipsi [37]. Nam si v. g. quis legat hanc scripturam, seque legentem audiat, et legendo rationes quas hîc adferimus perpendat, interim vero etiam ex pedibus laboret, aut aliter affectus sit; — clarissime tamen percipit, sibique intime conscius est, non alium esse qui videt, alium qui audit, aut dolet, aut ratiocinatur; sed se unum ac eundem oculis videre, auribus audire, dolere pedibus, mente philosophari. Adeoque nullas unquam in se ipso [38] partes invenit, sed ad summum in corpore suo. Quae sic obiter et perfunctorie; nam latius alibi, et in Metaphysica discutiam; hîc occasionem captavi, quod haec consideratio ad sui cognitionem non nihil conferre videtur. *Omne tempus*, *omnis vos locus doceat*, *quam facile sit renunciare naturae*, *etc.* Ejusdem farinae cum praecedentibus. Et hae omnes rationes docent, esse facile; nulla, faciendum. Sed age; cum vita est mihi reddita tam dura, et eâ me exuere certum habeam, nonne potius illum suâ exuam, qui meam mihi tam acerbam facit? saepe enim hîc aliquis est in culpa. Et, si vitam mihi egestas gravem facit, cur gravem vitam potius abjicere constituam, quam aliorum fortunis per rapinas et latrocinia sustentare?

Si tantum vanae illi facilitati ac libertati ſtudendum foret, Seneca, hoc mihi facilius liberiuſque videretur; nam ad tuam illam libertatem ſat cito venirem, cum hac meâ frui amplius non liceret. *Quod tam cito fit, timetis tam diu?* Quod tam cito fit, aeternis ſuppliciis luitur, et nunquam eluitur nefas [39]. Similia fere ſunt, quae Epiſt. 58. et 70. ac alibi debacchatur. Non laborat, quemadmodum probet quod dicat, ſed quemadmodum fortiter incutiat, et velut colaphum infringat legenti. Saepius ubique inculcatum, *exitus multos eſſe, faciles eſſe*, et vix aliud quidquam rationis. Quid refert? non licet exire; Deus vetat; quod ſatis ſupra demonſtravi; et nemo eſt quin ſentiat, modo animum attendat, et mature ſecum perpendere velit, quae ibi demonſtrata ſunt.

## § 6. *Tertia Obligatio.*

1. Tertia Obligatio mea proxime dimanat ex ſecunda [1]; illa vero Obligatio haec injungit, *Corpus meum reficere* [2], edere, bibere, dormire; et haec omnia moderari [3]: famem, ſitim, ſomnum praeſtolari, non accerſere, non luxu ante-capere; ubi occuparunt, iis quae in promptu ſunt profligare. Nam haec ipſa, quae ad producendum vitae filum a Natura deſtinata ſunt, id cito, ſi intempeſtiva aut immoderata fuerint, abrumpunt; et merito dictum eſt: *Plures occidit gula quam gladius.* Huc etiam ſpectat Obligatio *cavendi mihi a manifeſtis vitae periculis, et remedia adhibendi*, ac aliorum etiam *opem implorandi*, *mendicandi* [4], ſi forte in aquam, in latrones, in morbum, in egeſtatem, et id genus alia vitae diſcrimina praecipitatus ero. Haec enim et ſimilia, ad quae Obligationes illae digitum intendunt, ſi exſequi praefracte nolo, me ipſum occido, quod e diametro pugnat cum ſecunda Obligatione.

2. Huc etiam ſpectat Obligatio *generandi* [5]. Sicut enim Deus me unum hominem hîc manere juſſit, ſic et genus humanum hîc manere juſſit; et ſicut *edere* debeo, ut ego hîc maneam,

ſic et aliqui *generare* debent, ut genus humanum hîc maneat. *Edere* enim eſt ſe nutrire ac reficere, *generare* vero eſt ſpeciem ſuam nutrire et ſuſtentare. Sicut autem corpus noſtrum non tantum nutrire debemus, quo perduret, ſed augere etiam, quo functionibus illis, ad quas a natura deſtinatum eſt, ſufficiat; ita genus humanum non tantum inſtaurare generando, ſed et multiplicare nobis incumbit. Ab hac autem Obligatione generandi eximuntur ſubinde, qui egregie probi ac docti, alios etiam probitate morum ac doctrinâ facile poſſunt ad virtutem informare. Sicut enim modicâ cibi ac potus abſtinentiâ pravi humores concoquuntur et ſubiguntur in corpore; tum vero vel in bonos corriguntur, vel melioribus ſuperantibus, eo mandantur, ubi corpori moleſtiam et periculum creare non poſſunt; — ſic etiam hac generis humani quaſi abſtinentiâ, vaſtum illud corpus, quod toto orbe diſperſum eſt, in praecipuis ſuis membris ad Sapientiam et Virtutem excolitur, atque adeo ipſum totum quodammodo magis pulchrum, ſanum, et vegetum redditur. Caeteri, qui tantum aeris in cenſum non deferunt, qui nec tantum moribus et doctrinâ valent, ad proletarios plerumque referendi; proli generandae et educandae vacare debent: major pars orbis adhuc incolis caret. Non tamen aut hos omnes generationi addicam, aut illos omnes generatione interdicam. Omnia vero hic depromere nec poſſum, nec debeo; hoc confirmo, eos qui ſui commodi, aut licentiae, aut honoris, aut admirationis apud plebeculam gratiâ, coelibem vitam agunt, Dei mandato contravenire.

3. Verum enim vero [6], ne offendam hîc alicubi, ne forte labar, cautio eſt. Cavendum, inquam, magnopere eſt mihi, ne, dum huic tertiae Obligationi vaco, oblivifcar priorum Obligationum [7], in quibus haec fundatur; ne ita ſuperiorem hanc contignationem ornem et onerem, ut inferiores illae fatiſcant, et hac in illas illiſâ, tota in ſe corruat et concidat compages. Et imprimis memor eſſe debeo (quod hujus aedificii funda-

mentum eſt [8]), *me dereliquiſſe me*, *me Deo totum mancipaſſe me.* Ex quo ſequitur, ſtudioſe quidem me et ſedulo hanc tertiam Obligationem exſequi debere; ſed ſine ſollicitudine [9], anxietate, curâ, ſaltem quam ipſe vel accerſam vel alam. Nam ſi quae incidat [10] (homo enim ſum), eam, tantum quod mearum eſt partium ſatagens, aliorumque omnium incurioſus, negligere potero, et nullo numero habere. Scio enim non eo me, quo non timendum eſſe demonſtravero, impetraturum a me, ne timeam; ſuadere hîc aliquid poſſum, ſaepe non perſuadeo. Cur autem hîc anxius ſim et ſollicitus? Pro quo anxius et ſollicitus ſim? Pro Deo? Nugae. Pro me? Amiſi jam dudum me, non invenio me. Pro meis [11]? Multo minus; quia, ubi non eſt *Me*, non eſt etiam *Meus.* Gravis annona? Non eſt quod metuam. Cibus non ſuppetit? aut ſuppetit quidem, ſed corpori tabido non apponit? In parvo eſt; jam enim vocare me Deus incipit, et hac Obligatione, cui hactenus vacaveram, intercidente, reſtat alia, cui mos gerendus eſt; nempe veniendum eſt ad appellantem me, ad vocantem me. Edi hactenus ut viverem; et vivere volui, quia Deus juſſerat ut hoc vellem; jam cum edendo, cum vivendo obedire amplius ei non poſſum (quia ſibi hoc pacto obediri a me amplius non vult), reſtat ut id agam, quod nunc jubet. Vocat me nunc e vivis, vocat me ad ſe; veniam igitur, et nihil mihi longius erit quam ut veniam. Quomodo me accipiet, non laboro, qui de me non laboro [12]. An protinus in aliud corpus me refundet [13]? An me exutum corpore retinebit apud ſe [14]? An accipiet me, ut ego malus ſum [15]? An ignoſcet mihi, ut ipſe bonus eſt [16]? An haec duo ineffabili modo conjunget [17] (multa enim, quod inſpiciendo me didici [18], ſunt ejus in me reconditae et ineffabilis ſapientiae monumenta), et pietati ſimul ac juſtitiae ſuae ſatiſfaciet? Divinare aliquid poſſum, ſi curioſe quaeram; ſed tamen quaerere tantiſper differo, neſcire affecto. Occupatus ſum meis Obligationibus, ſum in officio, in negotio totus,

necdum vacat mihi ad alia. Quaeram primum, quid mihi Herus meus injunxerit; tum ſi quid otii ab officio ſuperet, in illa ſcrutanda conferam; imo tum demum ſcrutabor ea, cum id Herum meum velle reſciero; hactenus equidem ad Herum meum pertinere illa, caeterum mea nihil intereſſe videbantur. Igitur rigide (et ſic debeo) inſiſtendo Obligationibus meis (nam nihil meum eſt praeter illas) nullam mihi vel cogitatione fingere poſſum timoris aut ſollicitudinis anſam; quoquo me vertam, omnia jubent me ſine cura eſſe [19], omnia jubent me bono animo eſſe.

4. Nunc ad quartam Obligationem properemus. Ante tamen ſubſiſte paululum, Philarete; ſine tibi ſcrupulum aliquem eximam; ſtimularet te forte poſthac et pungeret. Propoſitum autem mihi eſt, omni ſtudio cavere et providere, ne quid te in hac regia ad Virtutem via remoretur. Secundam Obligationem (meminiſti enim) in eo fundavi totam, quod exire hinc pro arbitrio noſtro non poſſemus, non mori nos cum volumus, nihil nos hac in re valere; adeoque nihil valentibus nihil etiam attendandum; quodcunque hîc negotii eſt, Deo committendum eſſe, qui ſolus potens, ſolus vitae neciſque dominus eſt. At vero ad edendum [20], ad bibendum, aliaque, quae tertiae Obligationis ſunt, exſequendum, nihilo plus valemus. Motus enim hîc adhibendus, in quo nihil nobis eſt juris; nulli eum imprimere corpori, in nullo corpore ſupprimere eum poſſumus; quod et ſecunda Obligatio ſupponit, et noſtrum inſpectio nos abunde docuit. Quin igitur, Philarete, hanc tertiam Obligationem reſcindimus? Ad edendum, ad bibendum nihil valemus? Nihil interponamus nos [21]. Manus non excurrat in cibum; oneratam jam praedâ ſuâ non revocemus ad os; non dentes interjectis fruſtis inter ſe committamus; quae dentes ſubigêre, lingua non mandet gulae. Equidem accepimus quoſdam patrum memoriâ hoc inſaniae genere correptos fuiſſe, qui in arbores et tecta ſcanderent, ibidemque perdii et pernoctes negarent fas eſſe ſibi de corporis refectione laborare, teſtati, ſe id negotium Deo

integrum relinquere; pafceret ille, fi vellet; fin minus, e vivis eriperet. Stolidi [22]! mifelli! Ne longius abeam: tenetur fcrupulus; excutiendus eft, eja! fed, ut video, fubtiliter. Deus injiciendo nobis fecundam Obligationem, qua jubet hîc manere, fimul etiam juffit nos affentiri [23], acquiefcere, approbare, et conferre quantum ex parte noftra poffemus, ad manendum. Ac proinde juffit nos velle (quid enim nos aliud conferre poffumus?) eos motus, quos ad pafcendum reficiendumque corpus neceffarios effe voluit. Id ita effe, experimento difcimus [24]; videmus enim motus illos non fuppetere, nifi eos efficaciter velimus; iis vero non fuppetentibus, migrare nos e corpore, et non manere, ut tenebamur. Ratio igitur illa, quae fecundam Obligationem fundavit, non poteft evertere tertiam, quam fecunda fecum neceffario trahit; et fciendum utique, hanc tertiam Obligationem, ceu fuperiorem contignationem, inaedificatam effe fecundae, ceu inferiori contignationi; non autem proxime in hujus aedificii fundamentum quadrare; cui fi eam inaedificare proxime volueris, fateor, corruet. Hoc breve dicam, Philarete. Ubi nos nihil poffe videmus, nihil etiam debemus attentare; debemus (ut Scholae loquuntur) habere nos *mere negative;* nifi cum forte Deus affentiri nos et cooperari vult. Hoc autem velle eum in refectione noftri corporis, docet nos, ut dictum eft, experientia.

## § 7. *Quarta Obligatio.*

1. Quarta Obligatio proxime fundatur in tertia; Haec *jubet me artem aliquam addifcere*, *vitae condicionem et inftitutum aliquod amplecti*, *ac*, *poftquam amplexus fum*, *inftituti illi ac muneri diligenter vacare; et*, *nec id oblatâ quavis mutandi anfâ refpuere*, *nec tamen* [1] *fi male elegerim*, *quafi condicionem vitae et vitam ipfam promifcuas habeam*, *mordicus retinere.* Nifi enim haec fervavero, quo vefcar, quove aëris injurias a me abarceam (quod tertiae Obligationis caput eft), non fuppetet.

2. Ea vero vitae condicio captanda eſt, quae ad corpus ſartum tectum conſervandum ſufficiat. Aliquid hîc ultra, quod voluptati vel pompae ſit, quaerere, eſt ſe quaerere, onus Ætnâ gravius, quod tam feliciter abjecerat et perdiderat Humilitas. Tantum igitur ſit condicionis, quantum ad victum, et tantum victus, quantum ad vitam ſufficit, vitae denique tantum, quantum Deus dederit. Atque ita ſemper cavendum [2], ne qua ſuperior contignatio, inferiore latior ampliorque, vitium faciat, dehiſcat, diſſolvatur, atque inferiores etiam, uſque ad ipſum Virtutis fundamentum, contignationes in eandem ſecum ruinam trahat.

3. Enimvero non tantum provincia quae mihi ſufficiat, ſed et cui ſufficiam ac par ſim, eligenda eſt [3]; nec committere debeo, ut incuriâ ac temeritate meâ velut tempeſtate ad quamcunque vitae condicionem delatus, in illâ tanquam in ſcopulo adhaereſcam. Corpore bene robuſto [4], ingenio obtuſo, animo debili ſum? inter fabros et bajulos merebo. Corpore ac ingenio debilis, animo feſtivus et hilaris? cauponem agam. Corpore ac animo imbecillus, ingenio aliquid valens? ſartor ero, vel ludi magiſter. Mens ſublimis eſt et perſpicax? philoſophabor, et alios ad ſapientiam ac virtutem inſtituam. Ad haec animus magnus, conſtans, inconcuſſus eſt? conferam me ad capeſſendam Rempublicam. Nullam ex his provinciis prae alia ſuſpiciam; illa mihi ſpecioſiſſima videbitur, quam ductu Rationis occupabo, aut quomodocunque Deus dabit; omnes nervos intendam, ut illam exornem.

4. Et ſedulo quidem haec omnia tractabo, ſed ſecure [5]; memor, me omnia agere ac non agere, non quo mihi ſtudeam, ſed quo Deo pare am [6]. Repulſam paſſum ſum? et officium, quod ſola Ratione permotus ambibam, competitori meo ceſſit? quid tum? Deus juſſit me petere, non juſſit impetrare; Deo autem obedire volebam, cum ambire volebam; aliud nihil volebam. Provincia quidem obtigit mihi quam petebam, ſed actiones

in eâ adminiſtranda ac ſententiae meae, non perveniunt ad illum exitum qui mihi propoſitus erat? quid refert? Deus exitum non injunxit mihi, ſed propoſitum; hoc voluit juris mei eſſe, illum tam obligationi meae ſubtraxit quam poteſtati. *Si ergo Deo parere vis, et (ut debes) hoc unum vis, quid eſt, anime mi, quod angaris?*

## § 8. *Quinta Obligatio.*

Quinta Obligatio [1] quartae inaedificatur proxime. Illa praecipit, *multa facere, multa pati, ut aut inſtitutum ſemel vitae curſum perpetuo et aequabiliter ſervem, aut mutem etiam aliquando, et iter, ſi opus eſt, alio flectam.* Somno temperandum, abſtinendum luſu, ſudandum et algendum, exantlandi labores, devoranda taedia, antequam in arte vel diſciplina quapiam, cui nomen meum dedero, mediocrem progreſſum faciam. Quid ſi de faſtigio Sapientiae cogitem, ut pluribus proſim? Duriora me manebunt, imo non dura jam, ſed dira; aliorum me flagellabit cenſura, aliorum arrodet invidia, aliorum ſupprimet aut ſubruet etiam impotentia. Quod ſi Ratio me ad honores in Republica petendum adducat? competitores, ſuſurrones, obtrectatores, ambitus, repulſa, inquies, vigiliae, ingratae multitudinis imperitia et ſaevitia, haec omnia in me inſtituta, parata, intenta ſunt. Rus me mittit Ratio, aut ad operas, tabernarios, cerdones mandat? Quotidianum me penſum et ſervitus exercebit, rei familiaris anguſtia conſtringet, contemptui ero, aliis faſtidium, aliis ludibrium debebo. Si denique ex praeſcripto Rationis condicionem meam deſeruero, et ad aliam defecero? jam facienda mihi ſunt illa, quorum ſum inſolens et ignarus; inter nova omnia ac recentia quaedam me implicabunt inopinata, quaedam me repentina conſternent; multis ſermonem dabo, rudem me et veterem tironem alii reprehendent, alii ridebunt. Haec igitur omnia ferenda et concoquenda ſunt; Deus impoſuit, cui nos totos dedimus.

§ 9. *Sexta Obligatio.*

1. Quintae Obligationis additamentum continet legem *remittendi ſubinde animum* [1], *ne is perpetua contentione frangatur.* Gratiis ſubinde litandum eſt, ambulandum, vagandum; luſibus, jocis, amicorum fabulis et ſalibus indulgendum, epulandum, potandum, ſaltandum, et (fere dixeram) deſipiendum, ſed (ut ait ille) in loco [2]. Retro ſubinde animus in haec ludicra recedat, ut deinde, collectis viribus, et velut curſu concitatus, tanto fortius longiuſque ſaltu ſe tranſmittat in ſeria. Contentior eſt arcus quem, poſtquam relaxatus fuerat, denuo contendimus. *Cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat; et Cato vino laxabat animum curis publicis fatigatum; et Scipio triumphale illud et militare corpus movit ad numeros.* Proba ſunt haec, et quae deinceps uſque ad finem libri iſtius Seneca ſubjungit. Hoc aegre fero, male materiatis aedibus (Tranquillitati Animi) malo fundamento (Philautiâ) ſubnixis, coronidem illam imponi; crede mihi, non ferunt. Nos illam coronidem domicilio, quod vitium non facit, imponimus, domicilio ſarto tecto, cujus fundamentum eſt Deus. Tu relaxari vis [3], ut quod te turbabat excutias, et hoc excutere, ne quid tranquillitati, aut potius Libertati tuae, quam unice et tam impenſe deperis, officiat; — hîc finis. Nos relaxari volumus [4], ut mox intendi poſſimus, et muneri noſtro pares eſſe volumus, ut ſuppetat quo veſcamur; veſci volumus ut vivamus; vivere volemus quia Deus voluit; non amplius id volemus, ubi ipſum id non amplius velle reſciemus. Et ita quidem nos affectos eſſe, ad libertatem noſtram facit; nos vero ad libertatem noſtram illa non facimus. Liberi erimus ſi iſta faciamus; non ſi, ut liberi ſimus, iſta faciamus. Si enim iſta fecerimus ut liberi ſimus, hoc ipſo non liberi, ſed ſervi noſtri erimus, nobis ipſi ſerviemus; quae duriſſima eſt et deplorata ſervitus. Quid eſt igitur propoſitum nobis, quo intueri, et quo curſum noſtrum dirigere debeamus? Deo obedire; hic finis noſter eſt, hoc ſatis eſt.

2. Verum enim vero, quod ante inculcabam, totam hanc ad perpendiculum exigendam eſſe ſtructuram, id jam iterum iterumque inculco [5]. Nam ſi, ſuperiore aliquâ contignatione protuberante, totum Virtutis domicilium deforme ſit et caducum, quanto erit hoc magis inconcinnum et indignum, ſi ampla nimis ac inſana coronis [6], quae ornatui eſſe debebat, ſit oneri, et vaſtâ ſuâ ac velut ingratâ mole ſubjectis aedibus, quibus ſuffulciri debet, ruinam minetur? Tantum igitur inter amicos (nam ſic loqui ſolemus) deſipiendum eſt, quantum ad ſapiendum ſatis eſt; tantum remittendus animus, quantum opus eſt ut contendi melius poſſit; tantum genio indulgendum, quantum par eſt, ut ille torpori, moerori, caeteriſque quae in officio nos irretiebant impedimentis perrumpendis ſufficiat. Aliquid ultra quaerere, rurſum eſt ſe quaerere, et e Virtutis aedificio deſilire; tanto periculoſius, quanto jam in illud aſcendebamus altius [7].

3. Sed jam dudum obſervat me Philaretus; videtur interpellare me velle [8]. *Quid*, inquit, *jam inter improbos et probos intereſt, ſi et hi genio indulgeant et iſti? ſi pariter ludant, debacchentur, pergraecentur? Improborum hoc mihi videbatur, genio ſuo indulgere; proborum vero, genium ſuum defraudare.* Saepe equidem [9], Philarete, probi ac improbi paulum diſtant externis actionibus; animi ſententiâ ſemper immane diſtant. Improbi ex *propoſito* indulgent genio; probi ex *cauſa*; improbi, quia *lubet*, probi, quia *jubet Deus.* Et bene ſenſiſti [10], Philarete, proborum hoc eſſe, genium ſuum defraudare. Dictum inopinatum et mirabile tibi imprimo: Dum genio ſuo indulget vir bonus, tum vel maxime genium ſuum defraudat; non enim indulget genio ſuo quia hoc amat (potius hoc oderit), ſed quia hoc debet. Atqui, ſicut qui medicum adit pharmaci bibendi cauſâ, non id facit quo pharmacum bibat, ſed quo ſanus ſit; item ſicut mercator in Indiam forte navigans, qui ſubortâ tempeſtate merces ſuas ejicit in mare, non id facit quo eas ejiciat,

ſed quo ſalvus ſit; — ſic vir bonus, qui tantum ideo indulget genio ut Deo pareat (alioqui non indulturus), non genio ſuo indulgere, ſed Deo parere, et genium ſuum (ut elegans et verum hîc adagium eſt) defraudare dicendus eſt.

4. Inſtare Philaretus [11], imo, ut video, expoſtulare mecum: *Scita ſunt iſta, ſubtilia, et Scholae potius accommodata quam vitae. Sed dic, ſodes, quilibet jam bonus erit? Cum enim cuticulam curare inſtituit, cum ſaltabit, cum ineptiet, Dei (nam Dei eſſe dicebas) praeceptum obtendes. Quis Diſciplinae tuae ſectator probos jam et improbos, quos ita promiſcuos habes et confundis, internoſcet?* Bona verba, Philarete, bona verba! Mali cum ſimulant virtutem, non ſunt boni, ſed eo pejores, quod ſimulent et fucum faciant. Divinas leges comeſſationibus et libidinibus ſuis praetexant, quid juvat praetexere? ſub praetextu ſcelus eſt. Sed ita larvatos [12] internoſcere non poterimus! Quid noſtra intereſt? num nos ipſi ſic larvati ſimus, facile intelligimus; id noſtra intereſt. Enimvero, Philarete [13], ſi totam vivendi rationem, auſteram, rigidam, ſine ulla relaxatione contentam (quod nefas eſt) praeſcripſerimus, putaſne te jam melius probos inter ac improbos internoſciturum? Falleris; felicius hîc ſimulant et diſſimulant; inamoenam illam fabulam, moeſta facie, caperata fronte, fortibus oculis, diſtricta in optimum quemque cenſura, ad vivum ſaltant olim et hodie tot perſonati nebulones. Eidem vino forte ſuccenſi, per tegmen ſuum tranſlucent; nam recte dictum eſt: *In vino veritas*, et non niſi vir bonus, qui nunquam non patet, hîc bene patet: ſolus ille *πρέπον* illud et decorum ſervat, non facturus detrimentum (quod olim de Scipione tripudiante Seneca dixit), etiamſi ab hoſtibus ſuis ſpectaretur. Quin ſecerni [14], ſi opus eſt, boni a malis, et internoſci, etiam in his animi remiſſionibus et oblectamentis facile poſſunt. Quamvis enim in his idem ſaepe et mali et boni faciant, aliter tamen hi ac illi faciunt: boni, tanquam non facturi niſi juberentur; mali, tanquam facturi

etiamſi vetarentur; boni, tanquam aliud agentes; mali, tanquam id unum agentes; boni, tanquam advenae et alio properantes; mali, tanquam indigenae et manſuri; boni capiunt voluptatem, mali captant; boni capiunt voluptatem, mali voluptate capiuntur. Putas haec omnia diſſimulari poſſe, Philarete? nihil horum ad oculos, ad os, ad manus, ad totius corporis ambitum manare?

5. Atque hae ſunt leges, quae hinc abeuntem me et hîc verſantem dirigunt, praeſcribunt moriendi mihi vivendique normam. Nam exitus meus, ſeu mors, in duabus prioribus Legibus directe verſatur (1. *Cum vicor, exire non gravate*; 2. *Niſi vocor, non exire omnino*). Converſatio mea, ſeu vita, verſatur in tribus vel quatuor reliquis legibus (3. *Corpus reficere*; 4. *Vitae inſtitutum aliquod ſequi*; 5. *Multa hîc ferre, multa facere*; 6. *Inter caetera, animum ſubinde relaxare*).

## § 10. *Septima Obligatio.*

1. Quaerendum reſtat [1], num ab Humilitate etiam Lex aliqua manet, quae verſetur circa adventum meum in hunc mundum, id eſt, *nativitatem meam* (*naſci* enim mihi non eſt in lucem edi, ſed corpore jungi, et intrare in hunc Mundum, in quo etiam eram, cum matris utero incluſus eram [2]). Eſtne igitur Lex aliqua Humilitatis, quae circa *nativitatem* meam verſetur? Eſt ſane [3]. *Ut* ſcilicet *illam boni conſulam*; *ne illam deteſter unquam*; *ne de illa conquerar. Ne eo dementiae et impotentiae aliquando veniam*, *ut natum eſſe me*, *poeniteat me. Ne eos exſecrer*, *qui corpus meum generaverunt*; *multo minus eum* (quod ſine horrore cogitare non poſſum) *qui me in corpus meum miſit*, et cum eo tam mirabiliter copulando me, fecit ut *meum* eſſet [4]. Ne cum inſipientibus illis cenſeam (licet populo, quod aliter atque ipſe et ſplendidius inſanierint, *ſapientes* viſi fuerint): *Optimum eſt non naſci; proximum huic*, *quamprimum ad mortem ire.* Quin imo optimum eſt, natum eſſe me, et ideo optimum,

quia Optimus id voluit. Ad mortem autem ire me ſerius ocius non intereſt; tunc optimum erit, cum ille Optimus ire me voluerit.

2. Eſt quidem miſeriarum ingens pelagus [5], in quo hîc fluctuo; de alia calamitate in aliam jactor [6], et ſaepe de hac in illam relabor. Nam ſi inter continuas in hoc mundo corporum colliſiones, corpus *meum* (quod ex facili fit) alicubi laedatur, et vel ab aethere circumfuſo terrae allidatur (cum *cadere* me dico), vel a concitatis minutiis et irruente corporum ſcobe contextus ejus diſſolvatur (cum *uri* me dico), neceſſum eſt dolere me. Quod ſi pars ea quae laeditur, ad ſenſum vel motum comparata ſit, illico vel ſenſus me, vel motus, vel eorum rectus uſus deſtituit; et oculo laeſus, coecus ſum, aut coecutio; linguâ, balbus ſum aut mutio. Si vero periculum ſit, ne focus, qui in corde meo jugiter ardet, exſtinguatur (quod iterum facile, adempto ei vel pabulo vel ſpiraculo), jam cum morbo, id eſt, imminente morte conflictor, animam ago, dirâ formidine concutior, incredibili moerore deficio, intolerabili premor et elidor anguſtiâ. Haec vero graviora ſunt [7]; mens mihi ex *inſcitia* laborat, animus ex *malitia. Mens ignara;* nam quae ſcire debuerat, et ſcire facile poterat, quaerere contempſit; maluit aliena quaedam ſupervacanea, et quae meâ non referunt, indagare; hinc et mea pariter et aliena neſcio. In illa non inquiro; quid mirum ſi ignoro? haec vero non niſi ex illis ſcire poteram, et quomodo alia ſciam, qui me adhuc et mea neſcio? *Malus animus*, ſui amore percitus, omnia ſibi rabide appetit cum inexplebili cupiditate, omnia ſibi ſubjicit, omnla ſibi mancipat; et ubi Deum ipſum ſervire ſibi voluit [8], *pietatem* appellat. Divinas Leges, quas reſipiſcens paululum et valetudinem ſuam aliquatenus paſſa mens detexerat, quasque ipſe amplexus etiam fuerat, et in ſe tam ſancte receperat, non ſervat; in eas juratus cum ſit, audet tamen paſſim contra venire; ne unum quidem diem ex illis agit. Haec animi mei in propoſito inconſtantia,

levitas, perfidia, tot indies et indies experimentis [9] tam mihi innotuit quam quod maxime; et ne hac quidem obteſtatione tam ſeriâ redibit ad frugem. Non redibit, quamdiu hîc morabor; conclamatum eſt; fidem, quam etiamnum interponit ſuam, nimis levant tot ſplendida, quibus me huc uſque fefellit, mendacia.

3. Cur hae tot et tantae in me conſpirant calamitates [10]? An alibi in Deum peccavi [11], hîc vero, in corpus tanquam in ergaſtulum detruſus, quas merui poenas pendo? et inter alias hanc bene gravem, quod oblitus ſim criminis quod luo? Nam vapulanti ſolatium aliquod eſt, ſcire cur vapulet. An patrum ut avorum meorum aliquis [12], an forte primus homo peccavit? et infelicem illam heriditatem ad me alioſque ſuos poſteros, quos in eadem charybdi laborare video, devolvit? Jam enim experimento dediciſſe videor [13], ſubinde vitia quaedam corporis, imo et animi et mentis, a parentibus in liberos diffundi, et velut per manus tradi. At non ſunt hae calamitates [14] niſi querulis et ſui ſtudioſis, non vero iis qui humiles ſunt, qui ſe totos Deo devoverunt. Nam ne ipſa quidem animi pravitas [15], et Divinae Legis tranſgreſſio, calamitati aut vitio vertenda videtur iis, qui eam approbando et aſſentiendo nunquam fecerunt ſuam, ſed animi poenitentiâ et ſeriâ deteſtatione, quoties et quamprimum occupaverat, excuſſerunt; tum animi contentione quantâ poterant maximâ, et propoſito non delinquendi de caetero, a ſe quam longiſſime removerunt. Nihildum inquiro [16]: haec quae perſtrinxi [17], inciderant, ut quae obvia erant, et ſaepe audieram. Nihildum inquiro, quod inquiſitionem illam hactenus ex Humilitatis uberibus [18] emulgere non poſſim. Humilitas non jubet hîc quaerere, ſed utcunque ſit, boni conſulere. Bonum eſt, natum eſſe me, vel ſic; quia Deus naſci me voluit, et ſic. Undecunque hoc fiat, quod ſic, non moror; tantum aſſentio voluntati ejus, et quia voluit me naſci, juvat me natum eſſe quomodocunque. Non ſunt ergo

inquirenda iſta [19]? Non, inquam, inquirenda ſunt hîc [20]. Non etiam alibi [21]? Alibi videbo; hîc nihil ad rem.

4. Atque ita dictum [22] de Obligationibus illis, quibus me totum Deo obſtrinxi, iterumque obſtringo; iterum illi me totum do, dico; me delatum huc (probo quod detulerit) [23]; me abeuntem hinc (abire volo [24] cum dicet; nolo cum non dicet); me agentem hîc (volo vivere [25] quod juſſit, volo laborare [26] ut edam). Si quid alîus adhuc Obligationis ſit, quod mihi incumbat, cum hoc tam bene quam illas meas Obligationes percepero, exſequar etiam tam prompte. Alioqui ſi quam mihi legem ferri ſivero, quae num a Deo lata ſit neſciam [27], ſuſpicer tantum ab eo latam eſſe, aut aliis id ipſum credam, vel libidinis meae temeritate confingam; non Deo, (quod unice debebam), ſed meis opinionibus, meae levitati [28], meae ſtultitiae parebo; non Deum, ſed (quod dicitur) lapidem e ſepulcro pro Deo venerabor; me colam, et in me, quod mei turpiſſimum eſt, colam; mea commenta, meas nugas obſervabo, aut blande ſcabam et fovebo eam, quam alii mihi per ſummam injuriam affricuerunt ſcabiem. Herus meus non muſſitat, non inſuſurrat mihi ad aurem, ut haerere debeam aut dubitare, num quid mandet et quid mandet. Quod fieri a me vult, herilem in modum intonat. Audio ſatis, niſi cum ipſe inter dicta ejus, cupiditatum mearum crotalis et crepitaculis, importunius ſtrepo. Non inſcius idiomatis mei eſt, non per interpretem, non abſens per internuntium agit mecum. Si quando per alios [29] officii mei monere me conſtituit, teſſeram illis dat indubitatam (Rationem), ut etiam tunc magis ille mecum (neque enim hoc alienum ducit majeſtate ſuâ) quam hi loquantur. Servus inutilis et demens, qui relicto penſo, id facere ingreditur, quod noctu ſomniaverat herum imperare; aut luce palam in foro ſaltat et tricatur, quia id herum velle nugator aliquis dixerat. Quod ſi adiri poſſit herus, ſi et imperaverit, neminem niſi ſe clare jubentem audire, jam etiam nequam eſt ille ſervus et furca dignus.

## § 11. *Adminiculum Humilitatis.*

1. Humilitatis adminiculum hoc erit ſummum, ſi firmiter animum noſtrum inducamus, eorum quae agimus, aut agere omittimus, ad Felicitatem noſtram nihil, ad Obligationem omnia referre. Ita ſuſtineamus animum et refraenemus; ita coërceamus eum intra gyrum ſuarum Obligationum, ut tranſilire, et efferre ſe in deſideria ac vota ſuae gloriae felicitatiſque non poſſit. Deſeramus inauſpicata haec ſigna, quae tanto apparatu, tanto conſenſu et concurſu, tot ſtudiorum conſiliorumque impedimentis et ſarcinis genus humanum ſequitur. Quaeritur dies nocteſque Felicitas; hoc eſt Palladium illud, ad quod diripiendum contendunt; in hanc expeditionem magnis quidem, ſed irritis votorum et conatuum paſſibus eunt. Nec pudet illos tam turpis militiae, aut potius ſervitutis; ultro, et ſine delectu, in his caſtris nomen ſuum profitentur cujuſcunque ſortis et condicionis homines, vulgus pariter et Philoſophi. Publicum eſt auctoramentum, et in ore omnium: *Quod felix fauſtumque ſit.* In haec verba jurant [1]; ſed nos ejuremus. Nunquam ſub hoc ſacramento expugnata Felicitas fuit; imo non aliâ de cauſâ [2] infelices omnes ſunt et miſeri, quam quod felices omnes et beati eſſe volunt. Umbra eſt Felicitas: fugit te cum ſequeris eam; ſequitur te cum fugis eam. Sed et fugientem te ne non ſequatur, cautio eſt; ſi enim ingenium Felicitatis edoctus, ideo fugeris eam, ut te ſequatur, non ſequetur; nam ſic fugere Felicitatem non eſt eam fugere, ſed ſequi. Nemo unquam Felicitatem aſſecutus eſt, qui ad illam aſſequendam aliquid fecit; ne is quidem, qui callidus fugit hanc Amazonem, ut Parthorum more invitaret ad ſequendum, et fugiendo caperet inſequentem, aut quod ſuavius forte putat, caperetur. Mens vere humilis, ſubmiſſa, imo ſubmerſa, et in Obligationes ſuas, quibus Divinae Legi obſtricta tenetur, abſorpta ultra pedes, quibus ad Felicitatem eat, ultra manus, quibus eam prendat,

ultra pectus, quo aſpiret ad eam, ultra os, quo invocet eam, ultra oculos, quibus collineet in eam, ultra cerebrum, quo vel per ſomnium de illa conſequenda cogitet; — Mens inquam, tam alte Obligationum ſuarum aquis hauſta, involuta, condita, ſola capax eſt Felicitatis; illa ſe feliciter abſcondit, et feliciter inventa eſt ab ea, cui ſe tam diligenter abſconderat, Felicitate; illa ſola feliciter fugit, et in id quod fugiebat feliciter incidit.

2. Verum non eo haec a me dicta ſunt, quod putem viro bono felicitatem ſuam pugnis et fuſtibus abigendam, et, nî diſceſſerit, conterendam et mactandam eſſe [3]. Immane illud eſt, truculentum, imo et impium. Deus brabeum offert; tu ſic accipis? ſceleſtiſſimus es; igitur et hoc brabeo, quod ſolius inſigne Virtutis eſt, indignus. Illud volui dicere, non aucupandam, non ſtudio venandam eſſe Felicitatem, et ne quidem venationi huic de induſtria ſuperſedendum [4], ut nempe, cum aliud agere videmur, in caſſes noſtros incidat incauta Felicitas. Hae enim tantummodo ſunt artes venandi, et ſic ſuperſedere venationi, non eſt aliud quam perite et callide venari. *Fugere* igitur *felicitatem*, quod ante dicebam, perinde mihi eſt atque *non aucupare.* Utar paulisper ſtylo Scholae, ſi quis, quod illo ſcriptum eſt, melius intelligere ſe putet; ſerpam tantiſper (non aliter conſtant haec ſacra), tunc denuo aſſurgam. *Debemus nos habere mere negative ad Beatitudinem noſtram*; *id eſt*, *propter Beatitudinem conſequendam nihil facere vel omittere debemus*, *ſed facere debemus quod jubet Deus*, *mere quia jubet*, *et omittere quod vetat Deus*, *mere quia vetat*, *ibi ſiſtendo. Ita ut tota actio noſtra et tota omiſſio noſtra procedat ex motivo Obedientiae*, *nunquam autem ex motivo Concupiſcentiae. Poſſumus vero etiam ſpeculative nos habere ad Beatitudinem noſtram*, *ſed non practice*; *id eſt*, *licet per intellectum videre et praevidere*, *quod Beatitudo nobis obventura ſit*, *ſi haec et illa fecerimus*; *ſed non licet haec et illa facere eo intuitu*, *ut Beati ſimus. Hoc enim expreſſe eſt contra*

*fundamentum Humilitatis, ſeu contra ſecundam partem Humilitatis, de qua ſupra diximus, qua jubemur nos ipſos, et noſtra omnia abnegare, et in totum ac in ſolidum Deo reſignare. Si quis vero exiſtimet Deum in Sacris Literis jubere, ut propter aeternam Beatitudinem noſtram operemur, is mere ideo propter aeternam ſuam Beatitudinem operetur, quia (ut ipſe apprehendit) Deus hoc mandat; ſic enim propter aeternam ſuam Beatitudinem operari, non eſt proprie propter illam operari, ſed propter mandatum Dei, quod ſupponitur* [5]. *Sicut ſervus, qui hero jubente (aut qui ſaltem ſincere putat herum jubere) ut vicinorum alicui operam ſuam accommodet; ſicut, inquam, ille ſervus accommodando ſuam operam, non ſervit iſti vicino, ſed hero ſuo; quia totum motivum iſtius ſervi eſt voluntas heri, non autem utilitas aliqua vel commoditas vicini; ſic etiam motivum iſtius hominis, de quo jam ſtatim dicebam, non eſt ſua Beatitudo, ſed voluntas Dei. Adeoque abſolute dicendus eſt propter Deum agere, non autem propter ſe aut ſuam Beatitudinem. Videat vero ut hoc ſerio putet, et non ore hoc agat, ſed corde; nam facile hîc eſt decipi a propria ſua Concupiſcentia.*

3. Enimvero de felicitate ſua nemo videtur debere cogitare [6], nemo deditâ operâ deliberare, niſi qui faſtigium inſederit rerum omnium, aut in faſtigium illud eniti ſe poſſe confiſus fuerit. (Audet hîc quiſquam attentare? Mitto Briareum et fabulas; videor mihi per nebulam videre * Tyrannum aliquem, attollentem criſtas, et hîc aliquid machinantem aut imaginantem ſibi. Fatuelle! omnibus cucurbitis capitulum inſulſius! Sed quid opus eſt indignatione! qua nec dignus es. Anticyram, actutum Anticyram: ad *Ipſe te noſce*, inquam, ut ſaneris.) Reliquos autem omnes, utpote qui in alterius imperio et poteſtate ſint, primum de Obligatione ſua laborare, Oracula Rationis conſulere, et, cum didicerint quid ſibi faciendum ſit, morem

* Cajum illum, a quo Belgicum noſtrum *Kai*, aut ſimilem aliquem morionem.

gerere, aequum eſt. Ubi morem geſſerint [7], tum vero felicitas eos, quantam capere poſſunt maxima, etiamſi id ipſi non egerint, conſequetur. Haec cum manifeſtiſſima ſint omnibus, quibus mentem huc advertere et aliquamdiu defigere non eſt grave; quae cauſa communis illius et pervagatae quidem, ſed et perverſiſſimae dementiae, vel potius impotentiae, ut primum ſibi de felicitate ſua deſpiciendum putent homines, primum illi oculum adjiciant; deinde vero, quid ſit illud, quod eo quo intendunt, ferat deducatque, perquirere et deliberare conſtituant? Inde enim fit, quod, etiamſi interdum, et in quo ſita ſit Felicitas, et quae faciant ad illam conſequendam, feliciter invenerint, tamen, quia hoc illis propoſitum eſſe non debebat, infeliciter aberrent. Sed quae tandem cauſa hujus erroris [8]? Capio [9]. Effuſus extra ſe totus, cum corpore confuſus, diſtractus, diſperſus homo eſt; aegre ſe colligit, aegre ſe intra ſe revocat, ut ibi ſe videat, et ſe ſub Deo videat, et ita ſub Deo, ut nihil cuiquam tam ſubjectum et obnoxium cogitari poſſit. Quamdiu ſic peregre verſatur homo, et in ſenſus ſuos, quibus extra ſe quodammodo tendit, effunditur, nihil equidem offendere poteſt, quod generi ſuo aut praeſtet aut par ſit; manifeſte genus humanum praecellit omnia quae ſub ſenſus ſubjiciuntur, caetera vero, quae ſenſum fugiunt, tacita ſunt vagabundo illi, et muta, et in nullo numero. Illud Philtrum [10]; et haec ex illo Philtro inſania. Videtur jam ſibi de faſtigio et Felicitate poſſe cogitare; ſomnum eſt ei genus ſuum; ipſe igitur, ſi modo congeneres ſuos ſuperet, ſummus erit. Ea propter, quoſdam eorum ſibi cedere coget (lites intentabit et bella); quibuſdam perſuadebit ut cedant (blanditias interponet et munera). Quoſdam, ne ſe in culmen ſcandentem remorentur, deturbabit de gradibus; quoſdam dolis irretiet; quoſdam beneficio devinciet; et multas ſimiles cum Comoedias tum Tragoedias nobis excitabit. Nec excutientur intemperiae, non redibit ad mentem, donec Helleborum, quo divinus Melampus agrum

noſtrum conſevit, ederit et ruminarit. Medicamentum tetrum inſolentibus, et his qui ei non aſſuevere, fateor [11], imo quod accerſendae, non pellendae inſaniae eſſe, imperiti dicunt; ita potenter movet, et quidquid uſquam in cerebro bilis atrae [12] repererit, utut inculcatum ſit, emungit. Verum uſu jucundiſſimum redditur, et omni Loto ſuavius; ineſcantur [13] quotquot iterum iterumque guſtaverunt, et non medicamenti jam, ſed cibi vicem habent, quotidie ſaepius eo veſcuntur; et dici non poteſt, quantum iis ab hoc paſtu ſaginetur et roboretur animus. Ager hic in Libelli noſtri dioeceſi pagos, aut (quia ſinguli parvi ſunt) paginas aliquot occupat, nempe paginam 31., 32., etc. uſque ad 37. Quin repetis, Philarete [14], felicem agrum, quem jam ſemel paragraſti; et legas, quo penum tuum abunde inſtruas, ſeu cibo ſalubri et ſucculento, ſeu medicamento ſalutari. Ego interim ex hoc colle [15], quem ſtudio Agri illius eminus videndi conſcenderam, recipiam me in viam meam a qua digreſſus fueram, et pergam; tu cum videbitur (nam omnia tuta ſunt) ſequeris. Vale [16].

4. Non eſt accerſenda Felicitas, ſed nec arcenda; exſpectanda quidem, ſed non affectanda; captare eam non licet, ubi ultro ſe ingeſſerit licet capere; ubi Deus eam detulerit nobis, decet uti; quam ille mittit oportet admittere. Admittere, inquam, animo grato [17], et propitii Numinis agnoſcente beneficium [18]. Caſtae illae deliciae mentis Deo dicatae, mentis in Dei Legem juratae, et ſe ipſam penitus ejuratae; caſtae illae deliciae (quid enim praeter nomen ingeminem? cum res exprimi dicendo non poſſit), deliciae dulces, purae, generoſae. Nemo novit haec gaudia, niſi qui gaudet haec gaudia; nam in ſinu gaudent quotquot hîc gaudent [19]. Quam felix, quem conſolantur haec gaudia, quem ſuaviantur, quem pacant et placant! Quam felix, qui capit iſta gaudia, et jam ipſe ſe prae gaudio non capit! Quod ſi tamen Virtutem ſecter [20], ut gaudiis illis affluam, jam Virtutem non ſector, ſed gaudia [21]; jam non Rationi auſculto, ſed mihi; jam non Deo parere volo,

ſed mihi Deum. Itaque nec gaudia illa quae ſectabar aſſequar; nam gaudia ſunt, non illecebrae; decora ſunt, non lenocinia; et amorem Dei ſequuntur haec praemia, non amorem mei. Malebam [22] mihi gaudere quam parere (parere enim volebam, ut gaudere poſſem); magis ergo me ipſum amavi quam Deum; quo jure, atque adeo quo potius ore praemium ab illo poſco? Si vero bene (quantum mihi conſcius ſum) agentem me gaudia tamen illa deſtituant, nihildum eſt quod angar, nulla etiamnum cauſa triſtitiae vel querelae. Neceſſum enim eſt, alterum ſit de duobus [23]: aut Virtutem coluiſſe me ob gaudia quae illam comitari ſolent, aut, poſthabitis illis gaudiis, Divinae Legis contemplatione feciſſe me quodcunque feci. Si hoc, quid doleo non aſſecutum me, quod ſecutus non fui? Si illud, non ſum fruſtratus; nihil enim feci, quod eo quo per vota tendebam referret. Gaudere volebam, ideo Virtutem colui; at haec ſic culta non facit ad ultroneos illos floſculos voluptatum, quos ex ea carpere vanitas mea geſtiebat. Nemo indignatur, ſi ſibi caput ſcalpenti ſummos honores in Republica populus et imperia non detulerit (nam caput ſcalpere non facit ad honores et imperia conſequendum). Et nihilo plus ad ſolidam voluptatem conſequendam facit Virtus, ideo culta [24] ut cultori ſuo injiciat voluptatem. Et jam olim aſtutiores voluptatum aucupes [25] nullam probant, quae ſtudio vel arte parata ſit, voluptatem. Sed cum omnes qui hîc venantur fruſtra ſunt, tum hi, quo perite magis aucupantur, hoc magis ridicule falluntur [26]. Quomodo igitur comparare nobis poterimus voluptatem, ſi neque ſtudium, neque negligentiam ad illam ſibi comparandam adhibere liceat? Inducito, deleto liturâ bene magnâ hanc Quaeſtionem totam; tota menda eſt. Conde mihi animum in ſuas Obligationes, ut ne unguiculus quidem ſuperet, quem in ſua commoda, voluptates, ſolatia, aliudve omnino quidquam quod ad ſe referre ſolet, quodque felicitatem ejus conſtituere videtur, impingat, et ad ſe trahat.

## § 12. *Fructus Humilitatis.*

1. Fructum ſuum [1] Humilitas geſtat in pyxide [2]; sed o ne referet! Conſciverunt ſibi omne genus calamitatum, et morborum animi ac ſubinde etiam corporis, qui avidi nimis et incauti, intempeſtive hanc ſibi pyxidem recludi voluerunt [3]. Quod eſt igitur in pyxide Pandorae venenum tam praeſtans, quod in auras ſe protinus, qua poteſt, tam tetro et peſtilenti halitu diffundat? Summa, quae in te cadere poteſt, Sublimitas [4], celſiſſima, ad quam ſubvehi poteſt, Felicitas; haeccine venena? Venena, inquam [5], ſi affectes; ſed id ipſum quod ſunt, ſi exſpectes, et cancellis tuarum Obligationum circumſcriptus, integrum Deo relinquas de tua ſubvectione pariter et abjectione, de tua felicitate pariter et calamitate negotium. Reliquiſti te [6], qui humilis es, Altiſſimo; ille te habet (nec enim te jam alius habere quisquam poteſt [7]); quam ſublimis es! Cum te dereliquiſti, eum amare cepiſti, qui est Omnipotens; ille te redamat (nec enim aliter poteſt ille generoſus [8]); quam felix es! Tu amas illum Amore Obedientiae (hoc unum potes [9]); ille te redamat Amore benevolentiae ac beneficentiae, (nam et ipse hoc unum erga te poteſt [10]). Tu amas pro modulo tuo (nam homo es); ille redamat pro modo ſuo, id eſt ſine modo (quia Deus eſt). Atque haec ſic obiter dicta ſint de hoc fructu Humilitatis [11]; quae nos pluribus pro rei dignitate perſequemur, cum de Praemio Virtutis tractabimus. Moneo: non dixi, *Humiles primum amare Deum, ac deinde redamari a Deo*; non dixi, inquam, et hoc ſatis eſſe debebat. Sed ſycophantae tantum apud imperitos (mancipia ſua) valent, ut ſubinde non dicere non ſit integrum, niſi ſimul dicas, te non dicere; ita genus hoc hominum gaudet aliorum hominum ſervitute.

2. Sed ecce tibi inſperatam in Theologeio cutaſtrophen [12]! Humilitas Diligentiae linguam excidit [13], Obedientiae oculos eruit [14], Juſtitiae vero neſcio quam potionem miſcuerit [15],

nam haec tota deriguit, et nullam in partem flecti poteſt. Bene res habet, quod in agro Melampano [16] verſetur meus Philaretus; vapularem [17], ſi in hac Tragoedia offenderet me a cortinis. Sed, o Spectatores, pulchrae ſunt iſtae Divae vel ſic; imo non niſi ſic pulchrae ſunt [18]. Videte; quam ſunt venuſtae! quam lautae! quam decet eas haec forma! Meram gratiam ſpirant iſtae plagae, quibus hae ſorores a ſorore ſua acceptae ſunt; ſed ſuntne plagae, an potius decora? Elinguis illa et muta quam eſt placida! quam pacata! quam eleganter ſilet! quam eleganter noſtros ſtrepitus ac celebritatem fugit! Ut coeca illa mitis eſt! et illam ſic duci a venerabili hoc ſene (An parente ſuo [19]? Videtur) quam eſt pium! Et rigida illa nonne viget? ore ſublimi, contento corpore, nonne tota generoſa eſt et plena majeſtate? Videte; quid niſi tres Charites videtis?

Neſcio quid audio turbarum. Germanus noſtri Philareti [20], qui forte in foris adeſt, ſuccenſet mihi; quaeritur cum ſtomacho, me aedilitatem [21] ſine populi ſuffragio gerere; me in Scenam produxiſſe Deas; nec perſonatas, ut alii, ſed ipſiſſimas; me Tutelares ſuas, Ludias feciſſe. Non feci, non produxi; eas ſibi eſſe ſivi; fuerunt in ſacrario, fuerunt in Theologeio ſuo; inde viſum eſt iis, quod vidiſtis modo, ſpectaculum nobis facere. Et profane [21] non fabulas agunt Divae, ſed ſacris operantur. Myſtagogus ego: pandam tibi haec myſteria; ſed ita demum (nam nefas aliter) ſi initiêre.

---

# TRACTATUS II.

## DE VIRTUTIBUS VULGO DICTIS PARTICULARIBUS.

### PROOEMIUM.

*Virtus una eſt* atque *unica*. Cum igitur plures virtutes dicimus, non in ea conſideratione ſtamus, qua virtus ipſa ſecundum ſe et abſtractim conſideretur, ſed mentem demittimus in conſiderationem officiorum virtutis, quae ſunt effecta in quae virtus propendet. Cum enim *virtus* ſit *propoſitum faciendi quod jubet Ratio* (ut patet ex tractatu primo), hinc illa ſemper in factum aliquod propendet, quod *officium* ejus dicitur. Officia haec admodum diverſa ſunt; ſaepe enim virtus propendet ad faciendum ſumptum, atque ad hoc officium comparata *liberalitas* vocatur; ſape ad parcendum ſumptum, atque ab hoc *frugalitas* vocatur; saepe ad alloquendum, jocandum, et ab hoc officio *comitas* atque *urbanitas* vocatur; ſaepe ad ſerio graviterque cenſendum, et ab hoc *gravitas ſeveritaſque* vocatur; modo virtus inter ſecunda verſatur, induitque ſibi *temperantiae* rationem, modo inter adverſa, et *fortitudo* vocatur. Modo aliis atque aliis circumſtantiis uſque in indefinitum quaſi veſtitur et induitur, accipitque ſibi pro earum diverſitate diverſa nomina ac totidem velut inſignia; ipſa tamen in his omnibus una ſemper eademque eſt.

Et *Cardinales* quidem virtutes ſunt inſeparabiles ab eo officio, quod virtus informat, neceſſario enim in omni tali officio deprehenduntur; *Particulares* vero ſeparabiles ſunt, et virtutis officium dari poteſt, in quo haec aut illa particularis virtus non reperitur; ut in officio liberalitatis nullo elucet frugalitas, ſic nec in officio frugalitatis liberalitas conſpici, nec in officio comitatis ſeveritas comparere debet. Sunt igitur virtutes *Cardinales* proprietates quaedam virtutis in officium et opus ſuum exeuntis, quibus proinde virtus nunquam,

quotiescunque officio aliquo suo ac munere defungitur, destitui potest; quaeque autem virtus *Particularis* accidens est virtutis in officium suum exeuntis, quae proinde a virtute sic exeunte separari facile divellique potest; quae omnia melius patebunt ex proxime sequentibus.

Virtutes *Cardinales* non sunt aliud rei, quam virtus exiens in officium quodcunque tandem; Virtutes autem *Particulares* non sunt aliud rei, quam virtus exiens determinate in hoc officium vel illud; v. g. *liberalitas* est virtus exiens in sumptus, *frugalitas* est virtus abstinens a sumptu. Considerantur tamen aliquando etiam virtutes particulares ut priores officio, et non tam ut exeuntes quam ut exiturae, si occasio ferret. Adeoque *liberales* etiam dici possunt, qui jam sumptum nullum faciunt (facturi si occasio ferret, si materia vel seges suppeteret, essentque et quae et quibus darent), et *frugales*, qui jam sumptus magnos faciunt (non facturi si res aliter se daret). Atque hac ratione viro bono omnes virtutes particulares competunt; estque et *fortis* et *temperans*, simulque et *comis* et *severus*, idemque *liberalis* et *frugi*, etc. Sed juxta priorem rationem vir bonus habet saepe unam virtutem particularem (cum nempe unum aliquod virtutis officium exsequitur), aliis vero quibusdam caret (quarum scilicet jam non obit officia). Posterior acceptio melior est et magis propria; non enim satis proprie dicimus eum virtute aliqua carere, qui officium hoc, quod virtus illa praestare debet, eo quod materia vel instrumenta deficiant, non exsequitur; sicuti nec artificem arte suâ destitutum esse putamus, cum instrumentis artis suae vel materia in quam agit destituitur; pictorque adhuc videtur, qui penicillo, tabula et coloribus caret. Idem est de viro bono, et liberalis est etiam tunc, cum nec quid, nec cui det, habet.

Habet igitur hic Tractatus secundus partes tres; sed si et quatuor paragraphos partem esse volueris, erunt quatuor: Pars I. De *Virtutibus particularibus in genere*, quae primis 4 §§. continentur. Pars II. De *Virtutibus particularibus circa nos*, nempe *temperantia et fortitudine*. Pars III. De *Virtutibus particularibus circa Deum*, nempe *pietate et religione*. Pars IV. De *Virtutibus particularibus circa* alium quemcunque hominem (*proximum* Christiani vocant), nempe de *justitia et aequitate*.

## PARS I.

### De Virtutibus particularibus in genere.

#### § 1. *Virtutis Officium.*

*Officium Virtutis* eſt objectum obedientiae, ſeu factum illud et opus, in quod virtus inclinat. Virtus enim eſt propoſitum faciendi; factio ex iſto propoſito manans eſt Obedientia; factum ipſum nobis Officium vocatur. Si qui alii aliter hoc ſumpſerunt, morari hoc nos non debet; definienti hoc jus eſt, dicere quid quolibet nomine ſignificatum velit, etiamſi forte alii alia ſignificari voluerint.

Ex hac definitione Officii patet, ipſam etiam Virtutem inter Virtutis Officia eſſe; nam ex propoſito faciendi quod jubet Ratio, facimus ipſum propoſitum faciendi quod jubet Ratio; et ſicut delectatio, qua aliquid nos delectat, ipſa per ſe delectat, ſic propoſitum, quo facere aliquid proponimus conſtituimusque, ipſum per ſe propoſitum nobis eſt. Unde magnopere cavendum hìc, ne ante propoſitum illud, quo virtus continetur, illecebras aliquas et velut incitamenta aliqua nobis fingamus, quibus nos alliciat invitetque Ratio ad propoſitum tale, quo conſtituamus facere quod jubet Ratio; hoc eſt enim Virtutem omnem evertere, et ad Philautiam, quam tanto ſtudio primo Tractatu excluſimus et abarcuimus, deficere. Illecebrae enim et invitamenta quaecunque non aliud procreare poſſunt quam Amorem Paſſionem; quicquid ex hoc amore fit, peccatum eſt, et ad intemperantiam pertinet, ut §. de Temperantia mox videbimus. Virtus ergo ſi illecebras illas et invitamenta Rationis praeſupponat, quibus Ratio nos invitet ad obediendum ſibi, neceſſario ipſa ad libidinem et intemperantiam pertinebit virtus, hoc eſt, virtus non erit virtus ſed vitium, quod perquam abſurdum eſt. Propoſitum igitur obediendi Rationi eſt primum, et ex ſe ipſo quodammodo naſcitur; ipſum tota Virtus, et Virtutis etiam quoddam Officium eſt.

Ex dictis etiam facile liquet, Officium quoddam Virtutis *internum* eſſe, quod in mente ſeu animo abſolvitur; aliud *externum*, quod extra mentem in corpus aliaſque res ſe diffundit. Etiamſi enim in res externas nihil agere poſſimus (quod in inſpiciendo nos ipſos Tract. 1. didicimus), tamen virtus ſubinde jubet conferre, quantum ex parte

noſtra poſſumus (id eſt, efficaciter velle) aliquid, quod ad res externas attinet; ut ſatis patet in Obligatione comedendi, etc., de qua vid. Tract. 1.

Sequitur etiam facile ex dictis, Officium Virtutis aliquando informatum eſſe a Virtute, aliquando vero informe, et Virtute velut vacuum; ſic v. g. effuſe dare et ſumptum magnum facere Officium eſt liberalitatis, ſed non ſemper a liberalitate informatur, aſt ſaepe a prodigalitate (nam et prodigi effuſe largiuntur, et ſumptus magnos faciunt), ſaepe ab ipſiſſima avaritia (nam avari dant ſaepe, ut plura des), ſaepe a vanitate et jactantia, aliove quovis vitio.

Officium informe et Virtute vacuum ſubinde ab indole ſen ingenio, ſubinde a caſu ſeu fortuna, ſubinde (et hoc frequentiſſimum eſt) a vitio aliquo informatur. Sic multi abſtinent injuriâ et ſaevitiâ, quia naturâ molles, mites, et ad miſerationem proni ſunt (hic Virtutis Officium Virtute vacat, et informe eſt eatenus, informatur vero ab indole et inclinatione naturali). Quidam liberales ſunt in quodam caſu et fortuna, cum, quod relinquere debebant moriendo, in eos per hereditatem tranſtulerunt (hic Virtutis Officium obit fortuna). De Vitio autem, quomodo Virtutis partes expleat aliquando, jam diximus.

Officio *Deficium* opponimus (liceat ſic vocare). Eſt factum illud et opus, ad quod peccatum inclinat. Patet autem facile, et Virtutem in Deficio, et Peccatum in Officio ſubinde reperiri: illa quidem per ignorantiam (ut cum filius patrem, commilitonem, ſocium occidit in bello juſto, putans eſſe hoſtem); hoc vero per ſimulationem, malitiam, et perverſitatem (ut cum large donat quis, ut avaritiam ſuam tegat).

## § 2. *Virtus Individua.*

*Individuum* eſt *quod dividi in partes non poteſt. Virtus* ergo *individua* nobis dicitur, quia una Virtus ſine alia eſſe non poteſt, ſed neceſſario, ubi una eſt, ibi omnes, ubi una aliqua non eſt, ibi nulla.

Quod quidem in Virtutibis *Cardinalibus* clariſſimum eſt ex praeced. Tract., ubi demonſtravimus, Virtutem, quotieſcunque in Officium ſuum tendit, neceſſario quatuor hiſce comitatam eſſe: *diligentiâ*, *obedientiâ*, *juſtitiâ*, et *humilitate.* De Virtutibus *Particularibus* non perinde liquet; quinimo falſiſſimum hoc Stoicorum dictum eſſe videtur, quod hic amplectimur, *unam particularium Virtutum ſine aliis eſſe non poſſe.* Quid enim abſurdius populo videtur, quam eum qui comis

et facetus est, castum etiam et pium et religiosum esse debere; nec possè eum qui gravis ac severus est, avarum et sordidum essè? Res tamen ita se habet, et populo tantum officit praejudicium, quo laborat admodum, dum Officium Virtutis cum Virtute confundit, quae quam diversa tamen sint, satis liquet ex praeced. §., ubi ostendimus, non alterum modo ab altero (quod ad distinctionem satis est), sed utrumque ab altero divelli et separari posse; nam et Officium Virtutis saepe sine Virtute, et Virtus saepe sine Officio, imo cum Deficio reperitur, quae ib. satis demonstrata sunt.

Hoc ergo movet populum, cur putent urbanum esse eum qui castus non est, quia saepe vident, aliquem urbanitatis Officium explere, qui castimoniae Officium deserat; quod nos non negamus, sed luce meridiana clarius esse dicimus; ast vero consequens inde esse, ut urbanitas a castitate divulsa sit, hoc pernegamus. Nam is qui in casu posito urbanitatis Officium exsequitur, castitatis non item, is sicuti castus non est, sic nec urbanus, et Officium urbanitatis apud ipsum informe est, et urbanitate illâ, quae vera Virtus est, vacuum. Cur enim partes urbanitatis explet ille? Anne quia Ratio hoc suadet? Nihil minus; Ratio enim etiam suadet, et aeque suadet, castitatis partes explere; proinde si Ratio eum movet, nihil causae est, cur alteras complectatur, alteras deserat. Non est ergo Ratio, quae ipsum ad urbanitatis Officium impulit, sed libido; seu urbanus fuit quia hoc esse placuit, non vero quia Ratio jussit; haec enim perinde castum esse jubebat, quod ipse esse noluit.

Ita sicuti, duobus mihi perinde ab amico commendatis, si uni operam meam addicam, alterum deseram, non amici commendatio causam dedit huic operae meae, sed selectio et arbitrium meum; sic duobus nobis a Ratione Officiis injunctis, si alterum quidem exsequamur, alterum deseramus, exsecutionem illam non Ratio sibi vindicat, sed libido et beneplacitum nostrum. Igitur nec in exsecutione illâ Virtus est, seu amor Rationis, sed libido seu Philautia.

Ratio itaque generalis, cur Virtus nulla ab alia Virtute divelli possit, haec est, quod certissimâ ratione convincamur, Virtutem illam, quae ab alia divelleretur, non Virtutem fore sed libidinem, quae ex jam dictis clara sunt. Praejudiciumque, quo ante cum populo laborabamus, excutiemus facile, adhibitâ bonâ inter Virtutem

et ejus Officium diſtinctione, quae quidem diſtinctio clariſſima eſt omnibus perceptu; ſed homines (ut plerumque alias) magis laborant hîc inadvertentiâ quam ignorantiâ.

## § 3. *Virtus Aequabilis.*

Id eſt, Virtutes omnes inter ſe ſunt Aequales; nulla eſt aliâ major minorve. Paradoxum ingens populo; quaſi vero (inquiunt) non majoris Virtutis ſit patrem ſervare, quam ſervum; Rempublicam a ſervitute vindicare, quam civem unum. Sed errant hîc iterum propter confuſionem eandem, quam ante expoſuimus, nempe Vitutis *Officium* cum *Virtute* confundunt. Majus ergo Officium eſſe dicimus patrem ſervare, quam ſervum etc.; majorem Virtutem pernegamus; majora ſunt iſta quam haec Officia, ideo quia magis urgent, et poſito caſu, quo alterum deſerendum ſit, potius hoc quam illud deſerendum erit. Veluti ſi naufragio facto pater ſimul ac ſervus cum aquis et morte luctentur, unus vero tantum eripi et ſalvari poſſit, quis dubitet patrem ſalvare, ſervum deſerere?

Etiamſi vero Officia Virtutis alia quaedam majora urgentioraque ſint aliis, alia tamen Virtus aliâ Virtute non major eſt; ſi enim hoc foret, minor Virtus non Virtus, ſed vitium eſſet. Incumbit enim nobis facere quam optime poſſumus (nemo id negat, niſi qui ſe a lumine naturae manifeſte avertit); ſi ergo quid minus fecerimus, in vitio erimus. Res eſt manifeſta; pater ſit in periculo atque ſervus, (ut jam ponebamus); ſi patrem ſalvare major, ſervum minor virtus ſit, erit ergo haec Virtus veriſſimum ſcelus. Nam ſervum eo caſu ſalvare, patrem deſerere, nemini non ſceleſtum atque nefarium videbitur; hoc vero quam abſonum, Virtutem concedere aliquando vitium fieri. Pari pacto concedas, lucem aliquando eſſe tenebras, calorem frigus, et quidvis demum quod abſurdum vocare ſolemus.

Officium vero Virtutis aliquando a vitio informari, imo ſaepius ita fieri, nil mirum videri debet nobis, § 1. id jam luculenter edoctis. Cum ergo etiam in exemplo antepoſito patrem ſalvas, ſervum deſeris, non majorem Virtutem amplecteris et minorem relinquis, ſed ſimpliciter virtutem amplecteris et ſcelus relinquis. Sin contra ſervum liberas, patrem deſeris, jam quidem minoris Virtutis Officio defungeris, ſed Officio informi, a Virtute vacuo, et ſcelere pleno.

Et certe non poteſt eſſe dubium aliquod de aequabilitate Virtutum, bene perpendenti, nihil juris eſſe fortunae in Virtutem. Si enim alia aliâ major ſit Virtus, a fortuna pendeat neceſſum eſt, optimuſne ſim an paulo deterior. Mihi enim occaſio eſt ſervum ſalvandi, patris non item (hic enim in periculo nullo verſatur), tibi occaſio ſalvandi patrem, liberandi rempublicam, quod mihi privato non licet; tu ergo caſu et bona fortunâ me melior eris; non ergo per Virtutem melior eris; non ergo etiam melior eris (Virtus enim ſola eſt, quae et bonum et meliorem, et quicquid hîc gradûs eſt, efficere poteſt, fortuna nihil hîc valet). Vides ergo quam abſurda ſint haec quae ſequuntur; nempe me melior eris, ſed nullâ tuâ Virtute; adeoque et melior eris et non melior.

Eſt vero haec perſuaſio, qua populus perſuaſum habet Virtutes alias eſſe majores, alias minores, quam pernicioſiſſima. Hinc enim incipiunt Virtutem cum bonis fortunae enumerare, qua perſuaſione confirmata, jam tota Virtus profligata eſt, incipiuntque nobis magis probi videri, qui magis fortunati ſunt. Hoc vero eſt totam Virtutis rationem evertere. Sive igitur patriam liberet vir bonus, ſive domi ſuae cum amicis ſuis urbanus ſit et facetus, aeque bonus eſt; majus quidem illud Officium quam hoc, non etiam major Virtus, utpote cujus tota eſſentia atque natura in hoc uno abſolvitur: *efficaciter volo id unum facere quod jubet Ratio.*

## § 4. *Virtus Una.*

Haec §. complectitur duas praecedentes; nam ſi Virtus *una* ſit atque ſimplex, neceſſum eſt, etiam *individuam* eſſe; nam dividi non poteſt quod unum et ſimplex eſt. Poſſet tamen individua eſſe, et non ſimplex; ſi nempe omnes ejus partes ſeu particulares Virtutes ita inter ſe arcte cohaererent, ut divelli a ſe invicem diſtrahique non poſſent; quae et Stoicorum mens fuiſſe videtur, quorum hoc ſcitum eſt: *Virtutes omnes catenae in morem connexas eſſe, alteram ideo ſine alterâ non acquiri; qui vero unam adeptus ſit, ei nec caeteras deeſſe.* Non plus ergo dicimus, cum Virtutem *unam*, quam cum individuam dicimus. Similiter ex unitate Virtutis etiam *aequabilitas* ejus ſequitur (unum enim idemque ſibi quam maxime aequabile eſt); ſed ex aequabilitate non viciſſim unitas efficitur.

Unam vero tantum esse Virtutem satis manifestum est ei, qui rite Virtutem inter ac Officia ejus distinxerit. Seclusis enim mente ac cogitatione omnibus a Virtute Officiis, unum quid simplexque apparet, quod in alia resolvi non possit, nempe *propositum faciendi quod jubet Ratio.* Etiamsi enim propositum hoc in diversissima tendat Officia (nam et ad dandum subinde, et subinde ad retinendum, ad loquendum modo, tum ad tacendum, modo ad comiter et festive se habendum, modo ad graviter et severe se gerendum inclinat), tamen idem quid atque unum simplex in omnibus illis respicit, nempe exsecutionem Rationis. Seu etiamsi diversa sint istius propositi objecta materialia (ut Scholae loquuntur), unum tamen atque simplex est objectum formale, seu una atque simplex causa movens, nempe *ut fiat id quod Ratio postulat.* Actus autem diversitatem suam non desumunt ex materiali, sed ex formali objecto. Sic idem amor est, quo pater fertur et ad castigandum et ad consolandum filium suum; etiamsi enim castigare et consolari multum differant, tamen haec objecta tantum sunt, motivum vero, quo pater agit, unum idemque est, atque adeo unus idemque elucet in utroque Officio amor. Idem facile applicatur ad amorem illum qui Virtutem constituit.

Cum igitur Virtus tantum una sit, solemus tamen Virtutes plures dicere; sed tunc mentem reflectimus ad Officia Virtutis, diversasque circumstantias in quibus Virtus reperiri potest. Et ut omnes illas Virtutes particulares generali aliquâ divisione complectamur, possumus Virtutem considerare: 1. ut relatam ad Officia illa quae circa nos versantur (et in hac consideratione *temperantiam* atque *fortitudinem* invenimus); 2. ut relatam ad ea Officia quae circa Deum versantur (et in hac consideratione deprehendimus *pietatem* atque *religionem*); et 3. ut relatam ad Officia versantia circa alios homines. Et in hac consideratione quam plurima reperiuntur Virtutis nomina, seu particulares Virtutes, v. g. *liberalitas* atque *parcimonia; generositas* atque *modestia; comitas* atque *gravitas; clementia*, *justitia particularis*, quae et in contractibus, et in praemiandis bonis, puniendisque sontibus elucet, multaeque similes, quas longum esset hîc recensere. Omnes tamen commode revocantur ad *justitiam* et *aequitatem*, ut infra satis apparebit, cum de his agetur. Pet *justitiam* autem oportet intelligere non *Cardinalem* illam, sed *particularem*, ut infra patebit.

Quae omnes particulares Virtutes non aliud ſunt quam una et eadem Virtus in diverſis circumſtantiis reperta; nam idem propoſitum, quod inter ſecunda *temperantia* vocatur, inter adverſa *fortitudo* eſt, inter dandum *liberalitas*, inter retinendum *frugalitas*, in rebus divinis *pietas* atque *religio*, in rebus civilibus *aequitas* et *juſtitia*, et ita porro.

Ex quo etiam hoc intelligis, quod Tract. 1. dicebamus, ubi de *habitu* dictum eſt, Virtutem totam haberi poſſe ſimul et ſemel, non opus eſſe longâ die, non multis Zephyris et hirundine multâ, ut Virtutem conſequamur; eam poſſe jam nunc, hoc momento haberi, nempe ut quae conſiſtat in hoc uno: *Faciam quod jubet Ratio.*

## PARS II.

## De Virtutibus Particularibus circa nos.

### § 5. *Temperantia.*

*Temperantia* eſt Virtus inter res ſecundas deprehenſa; cum enim inter res ſecundas conſiſtens, prodit in Officium ſuum Virtus, quatuor ſuis proprietatibus (quae vulgo *Cardinales* Virtutes vocantur, quaeque ab illa inſeparabiles ſunt) ſtipata, hoc ipſo nullo alio accedente induit rationem *temperantiae.* Nam qui inter res ſecundas, cum omnia fluunt ex voto (ut dicere ſolemus), firmum efficaxque propoſitum habet id unum faciendi, quod juber Ratio, atque ex eo propoſito diligenter ſemper auſcultat, quid mandet Ratio, idque ubi perceperit exſequitur, unumque id exſequitur, omni ſui curâ et contemplatione dimiſſâ, intelligitur hoc ipſo *temperantiſſimus* homo eſſe.

Ex his clariſſime patet, fruſta fingi novam aliquam Virtutem ultra quatuor iſtas Cardinales, quae ſit *Temperantia*, et quae ſpeciale hoc Officium habeat, ut res ſecundas moderetur (qualiter in Scholis fingi ſolet); videmus enim ex iis quae praeceſſerunt quam clariſſime, ſi Virtus modo cum quatuor illis Cardinalibus (quae deſerere illam nunquam poſſunt) inter res ſecundas ponatur, hoc ipſo, et nullo alio exterius adveniente, eam induere perfectiſſimam rationem *temperantiae*, idque praecipue propter Humilitatem ei aſſiſtentem; ut non immerito etiam definiri *Temperantia* poſſit: *Humilitas inter ſecunda;* ſicut et *Fortitudo* non aliud eſt quam *Humilitas inter adverſa.* Qui ergo Particulares illas Virtutes inducunt, atque inter ſe diſtinguunt, *multiplicant entia ſine neceſſitate.*

Res *ſecundae* ſunt, quae delectationem ſeu voluptatem conferunt; poſſuntque in claſſes aliquas memoriae cauſâ dirigi:

Prima Claſſis pertinet ad *corpus;* atque res ſecundae illius generis voluptatem adferunt corporalem. In quo numero primum eſt ſanitas et bona valetudo corporis, quam ſequuntur robor, et pulchritudo, vigorque omnium ſenſuum, et ad motum ac exercitia agilitas er expeditio membrorum; quae omnia ſine dubio magnam nobis adferre ſolent voluptatem; imo ſine his, quamdiu hîc in corpore verſamur et homines ſumus, vix poteſt eſſe aliqua ſincera voluptas, cui non aliquid admiſceatur triſtitiae Ne tamen exiſtimes, felicitatem ſine his Viro Bono competere non poſſe; non idem eſt *laetari*, ſeu deliciis affluere, et *beatum agere. Beatur* ille eſt, cui ex animi ſententia cuncta ſuccedunt, qui nec agit nec patitur quicquam ſecus quam velit; quod fieri poteſt etiamſi dolor forte et paſſiones aliquae, Timor, Taedium, etc. voluptatem (quae alioqui Felicitatem conſequi ſolet) ınterturbenr. (Plura de his, ubi de Praemio Virtutis, et nominatim de ipſa Felicitate dicitur.)

Secunda Claſſis ad *animalem voluptatem* pertinet. In qua recenſentur primum paſtus et Venus (haec enim nobis ut animalibus competunt); quo etiam reduci poſſunt ea quae ambiunt quodammodo inter hanc et proxime ſequentem claſſem, nempe ſuffitus, muſica, et ſpectacula, ſeu *amoenitas*: cum enim duo priora ad guſtum et tactum referantur, haec poſteriora pertinent ad reliquos ſenſus.

Tertia Claſſis continet ea quae pertinent ad *humanam voluptatem.* In qua praecipue elucent dignitas et potentia. Dignitas in honoribus, officiis ac muniis publicis. aliorum exiſtimatione et famâ, reverentiâ, aſſurrectione, delatione, ceſſione, et ſimilibus pompis conſiſtit. Potentia vero in opibus maxime, gratiâ, et amicorum numero, et populi favore conſiſtit.

Quarta Claſſis continet ea quae conferunt *voluptatem ſpiritualem*, in quibus ſunt Virtus et ſapientia. Ad Virtutem ſpectant etiam actiones probae, Officia arque exercitia Virtutum; ad Sapientiam diſciplinae artes, et ſcientiae revocantur.

Atque hae ſunt quatuor claſſes rerum *ſecundarum per ſe;* per ſe enim et propriâ quaſi vi injicere nobis magnam delectationem ac voluptatem ſolent, praeſertim ea quae poſterioribus claſſibus conti-

nentur. Nam et voluptates ſpirituales humanis potiores ſunt, et hae animalibus, et animales corporalibus, ut cuique noſtrum conſcientiâ et experientiâ notum eſt.

Dantur vero quaedem etiam *per accidens ſecundae*; quae non vi ſuâ, ſed conſuetudine vel perſuaſione voluptatem conferunt. Quae enim facere conſuevimus, ea, etiamſi ſubinde moleſta potius quam jucunda ſint, tandem tamen juvat facere. Ut qui aliquoties in Indiam per ſumma pericula, tempeſtatem, ac terrores, graviſſimoque incommodo navigarunt, iterum iterumque navigare eo volunt. Similiter perſuaſio poteſt rem aliquam nobis jucundam reddere; quod ſaepe contingit in cibis, ut videmus puellam illam, quae ad Alexandrum Magnum adducebatur, eſu aranearum admodum fuiſſe delectatam.

Igitur hiſce rebus ſecundis vel omnibus vel parte bonâ earum affluentibus, conſtare tamen Ratione, nihil propter voluptatem quam nobis adferunt facere vel omittere, ſed omnia ſua Officia ex Ratione metiri, hominis eſt *Temperantis*.

Dicunt Peripatetici, temperantiae eſſe voluptatem moderari; ſed quam falſi ſint, tunc patebit, cum de Paſſionibus dicemus.

Hoc ſolum eſt hominis Temperantis, negative ſe habere erga voluptatem; et ejus cauſa nec facere quicquam nec omittere.

## § 6. *Intemperantia et Stupor.*

Virtutes, praeſertim particulares, conſiſtunt mediae inter duo extrema vitia, quorum alterum per exceſſum, alterum per defectum abit a medio Virtutis, ut oſtendimus Tract. I. Temperantiae in exceſſu *Stupor*, in defectu *Intemperantia* opponitur; licet invertat haec fere vulgus Ethicorum; ſed errant, ut videre potes loco citato.

*Intemperantia* eſt *perſecutio voluptatis*; *Stupor* eſt *fuga voluptatis*. Temperantiae vero eſt, neque proſequi neque fugere voluptatem; ſed ſolo Officio et Ratione moveri. Eſt igitur Stupor nimia Temperantia (haec enim negative voluptatem contemnit, ille etiam poſitive), Intemperans parum Temperans eſt (hic enim voluptatem affectat, quam Temperans contemnit).

Intemperantiae imprimis duae ſunt ſpecies, *Cupiditas* et *Intemperantia ſtricte dicta*. *Cupiditas* proſequitur voluptatem abſentem; *Intemperantia* fruitur praeſenti, eique ſe totam addicit. [*Ann.*] Item pro diver-

ſitate rerum ſecundarum diverſa ſunt Intemperantiae nomina; nam quae circa robur, valetudinem, et his ſimilia, quae nobis ut vegetantibus competunt, verſatur, *ſtoliditas* vocatur (ſic Agrippam *robore corporis ſtolide ferocientem* Tacitus dicit); quae circa paſtum et Venerem verſatur, Intemperantia *brutalis* et beſtialis dicitur (quam fere Intemperantiam ſolam agnoſcunt Scholae; nam caeteras honeſtas fere voluptates eſſe cenſent; aſt vero voluptas nec honeſta nec turpis; propter illam aliquid facere, cujuſcunque illud ſit generis, ſemper turpe eſt); quae circa Muſicam, Amoenitatem, Fragrantiam verſatur, Intemperantia *animalis* dici poteſt; ſubinde etiam *humana* dicitur et in ea fere nihil turpe vulgus videt, neque unquam ipſum iſtius Intemperantiae pudet, ut bene notat Epicurus (qui et inde patrocinium petit ſuae ſectae). Quae vero circa potentiam et dignitatem Intemperantia eſt, *humana* merito vocatur; et poſterior quidem harum *ambitio* etiam dicitur, prior etiam *avaritia* vocari poteſt, nomine illo generalius ſumpto. Quae circa ſcientias et cognitionem rerum Intemperantia verſatur, *curioſitas* dicitur; quae circa Virtutem et ejus exercitia, *vanitas*.

*Stupor* fere in quatuor claſſes diſtribuitur. Nam quidam eſt ſummus, ſeu *Hypercynicus* (qualis eſt eorum, qui tantum abeſt ut voluptatem ſectentur, ut cruciatus etiam atque dolores ſibi gratis accerſant, de quibus aliquid circa Humilitatem Tract. I. annotavi). Proximo et inferiori gradu ſuccedit Stupor *Cynicus* (nam Cynici et delectationem et res delectabiles pariter oderant, Rhetoricam, Poëſin, Muſicam, Picturam, et omnia talia, quae ad voluptatem facerent amandabant). Hic ergo ſtupor dolorem quidem non accerſit, ſed voluptatem et res omnes conferentes odit. Hunc ſequitur Stupor *Stoicus* (hi enim res delectabiles non oderant, quin imo eas amplectendas aliquando, cum Officii ratio ita poſtularet, fatebantur, ſed voluptatem ipſam atque delectationem amoliebantur). Hic ergo Stupor res delectabiles admittit, delectationem ipſam excludit. Quarto loco conſiſtit Stupor *Peripateticus* (hi enim neque res delectabiles neque delectationem ipſam oderant, affectabant potius; ſed partem illam voluptatis, quae excederet et nimis magna videretur, reſecandam putabant). [*Ann.*] Hic ergo Stupor, omnium minimus, res delectabiles et delectationem admittit; hanc tantum moderatur et circumcidit. Contra vir Tempe-

rans nec dolorem fectatur, nec res delectabiles abarcet, nec delectationem in totum aut pro parte tollit; fed his omnibus relictis ut funt, et nullo numero habitis, agit id unum quod jubet Ratio.

### § 7. *Fortitudo.*

*Fortitudo* eft *Virtus inter adverfa. Adverfa* funt, quae *dolorem afferunt;* nomine *doloris* etiam timor, triftitia, et generatim omnis affectus male nos afficiens intelligitur.

Res adverfae in totidem claffes dividuntur, ficut ante res fecundae divifae fuerant; unde morbus et imbecillitas, et inopia, infamia, ignorantia, error feu deceptio, peccata, inquieta confcientia, etc. funt inter res adverfas. Quae omnia facile intelliguntur ex iis quae de rebus fecundis dicta funt; oppofitorum enim eadem eft fcientia, ut qui unum eorum novit, alterum hoc ipfo fatis videatur noviffe.

Dividitur Fortitudo in *Patientiam* et *Fortitudinem* ftricte dictam. *Patientia* eft *Virtus inter adverfa quae incumbunt; Fortitudo inter adverfa quae imminent.* Adverfa enim cum imminent, timorem, horrorem, et defperationem incutiunt; cum vero adfunt et incumbunt, triftitiam, afflictionem, et calamitatem injiciunt, Tunc fcil. calamitatem injiciunt, quando contra animi noftri fententiam adfunt, ut plerumque contingit in Malis. Hi enim res adverfas iniquo animo ferre folent, vellentque eas abeffe, in qua pugna voluntatis confiftit *calamitas;* nam haec nihil eft aliud quam pugna inter rem quae eft, et voluntatem, quae non vult ut ea res fit. Bonis autem res adverfae nunquam calamitatem injiciunt; nunquam enim eorum voluntas pugnat cum rebus, feu cum Deo; nunquam nolunt effe quod eft; itaque his quidem dolores, timores, taedia, triftitias, et fimiles fenfus atque paffiones injiciunt fubinde res adverfae, fed nunquam calamitatem. Nam ipfis quidem illi fenfus atque paffiones calamitatis loco effe non poffunt, qui nunquam his voluntate fuâ repugnant, nunquam nolunt ut haec fint, hoc unum nolunt, peccare; hoc unum volunt, legi Divinae obedire; quae extra haec funt, in adiaphoris habent, nec volunt ea. Notandum autem eft, ideo illos fenfus atque paffiones vulgo calamitofas videri, quod foleat eos vulgus iniquo animo ferre, et voluntate fuâ obniti ac reluctari; quod cum non facis amplius, nihil etiam reperies in his calamitatis (infra latius, ubi de Praemio

Virtutis, et praefertim de Felicitate). Timorem ergo atque triftitiam Fortitudo fpectat, non ut moderetur illa (ut Peripatetici) aut expellat illa (ut Stoici volunt), fed ut negative fe habeat ad illa, et eorum contemplatione nec agat quicquam nec omittat. Eft igitur vir ille Fortis, qui inter res adverfas (carcerem, inopiam, exfilium, folitudinem, orbitatem, infamiam, imo etiam peccatum et perturbatam confcientiam) id unum agit quod jubet Ratio, ei foli aufcultat, ei foli paret, nullâ fui curâ, ftudio, aut follicitudine ducitur. Non vero ideo fortis effe definit, quia inftante periculo et imminentibus rebus adverfis (puta naufragio, aut capitali fupplicio) expallefcit, tremit, et totis artubus concutitur (ut male perfuafum habet vulgus, et Stoici hac in parte nimis quam vulgares Philofophi); nam metu concuti et perterreri nec bonum eft, nec malum in genere moris; malum tantum eft in genere quodammodo naturae, quia male nos afficit. Aft vero metu impellente aliquid facere, aut fugere, aut ejulare, aut aliter officium deferere, cum ad Paffionem ifta non pertineant, fed ad actionem confenfumque noftrum, hoc vero turpe eft, flagitiofum, et molle.

Sed nec ille etiam fortis eft, qui imminentibus rebus adverfis non angitur, non metuit, fed conftat fibi, aut praefentibus rebus adverfis non dejicitur, non triftis eft, non lacrimatur; poffunt enim haec aliunde quam a Virtute proficifci, velut ab ingenio duro, vel confuetudine malorum, qua contra Fortunam et cafum quemcunque obduruerit; poterunt a Jactantia, vanitate, gloriae ftudio, metuque ignominiae proficifci. Igitur exterior ille apparatus ad Fortitudinem nihil; haec fe in animum tota recepit, haec in propofito faciendi id unum, quod jubet Ratio, confummatur. Caeterum in rebus triftibus Bonis viris etiam lacrimae excutiuntur faepe, faepe minime; inter res timendas faepe expallefcunt, faepe minime; omnia haec promifcua et nihil penfi hic habent. Pallefcant, non pallefcant, lacrimae excidant, non excidant, nihil id fua referre putant; id unum curant, id unum viribus omnibus fatagunt, nihil ut committant, nihil ut in fe admittant, quod Ratio vetuerit. Haec fimilia dicantur in materia Temperantiae; nempe non definit Vir Bonus effe Temperans, etiamfi cor ei faliat, laetitiâ geftiat, et totus vultus et oratio miram hilaritatem alacritatemque fpirent; nec etiam ille Temperans eft, qui inter fecunda

laetitiam cohibet, hilaritatem ſupprimit, et quaſi ſtrangulat; poſſunt haec ſimiliter, ut in Fortitudine dictum eſt, a vanis animi cupiditatibus proficiſci.

### §. 8. *Furor et Mollitia.*

*Furor* in exceſſu, *Mollitia* in defectu eſt, et hic Scholae mecum conſentiunt. Furor proſequitur quodammodo dolorem, Mollitia fugit; Fortitudo conſiſtit in medio, et nec fugit nec proſequitur illum, ſed curat Rationem, et ei ſoli vacat; dolorem in nullo numero habet, quantum ſcil. ad animi ſententiam attinet, nam quantum ad ſenſus et paſſiones, vidimus §. praecedenti, quomodo vir fortis ab illis urgeri poſſit.

Dolorem quidem nemo quatenus dolor eſt ſectari videtur; nam Boni negative ſe habent adverſus illum, Mali fugiunt, tantum abeſt ut ipſum proſequantur; ſed videmur dolorem tunc etiam proſequi, cum in res illas ſine cauſâ praecipitamus, quibus ille annexus eſt. Cum tamen ſub dolore etiam *timor* hîc veniat (ut praecedenti §. monuimus), videntur quidam ipſo timore et periculo geſtire; habet enim, praeſertim apud juvenes illos audaculos et bellicoſos, aliquid in ſe timor, quo quaſi titillet mentem, et miro quodam afficiat modo, quo delectari ſubinde quidam videntur; ſed delectatio illa non tam videtur ex ipſo timore, quam ſpe quae ei adjungitur, provenire. Simile quid etiam locum habet in dolore ſtricte dicto et triſtitiâ; quidam enim effuſi in gemitus et lacrimas, conſolationem nullam admittunt, et videntur ipſâ ſuâ triſtitiâ delectari.

Ex his interim diviſio aliqua Furoris deſumi poteſt, nempe in eum qui ipſum dolorem amplectitur (poteſtque vocari furor ſtricte dictus, vel doctrinae cauſa vocetur *inſania*), et in eum qui fertur ſine cauſâ in res dolorem conferentes, nullo erga ipſum dolorem affectu (poteſtque vocari *temeritas* vel *inconſiderantia*). Aliter etiam Furor dividitur, comparatione facta ad Fortitudinem ſtricte dictam et Patientiam. Nam qui in exceſſu patientiae Furor eſt, proſequiturque ſeu ipſam triſtitiam, ſi id fieri poſſit, ſeu res eam conferentes, *immanitas* vocatur; ut *immanes* illi ſunt, qui ſeipſos caedunt aut occidunt, aliterque res triſtes ſibi accerſunt. Is vero qui ad Fortitudinem ſtricte dictam in exceſſu Furor eſt, gaudetque vel periculo ipſo et timore, vel rebus

periculofis, ambiguis, et metuendis, *Audacia* vocatur; unde *audaces* illi, qui magna tempeftate mari fe fine caufâ committunt, aut in culmine turris confiftunt, aut inter pugnas et digladiationes temulentorum fe interponunt, pruriuntque quodammodo iftis periculis, aut Jactantiâ et Vanitate in illa feruntur.

*Mollitia* vero fimili aliquo pacto dividi poteft. Nam ea quae ad Patientiam in defectu eft, *Impatientia* vocatur; ut illi qui propter praefentem aliquam afflictionem a Rationis praefcripto deficiunt, partes quae iis incumbunt non explent, deditâ operâ lacrimis, querelis, et gemitibus fe tradunt, *Molles* et *Impatientes* dicendi funt. Ea vero Mollitia, quae ad Fortitudinem ftricte dictam in defectu eft, *Timiditas, Pufillanimitas, Ignavia, Vecordiaque* vocatur; fic *Vecordes* et *Timidi* illi, qui metu perculfi ftationem fuam deferunt, nec aufcultant quid Ratio, fed quid Timor fuadeat, et huic parent.

Sed bene notandum eft, omnia haec vitia, cum non in fronte tantum et in cute, quod dici folet, fed intus etiam et penitus infpiciuntur, ad Intemperantiam pertinere; quod adeo verum eft, ut Stupor etiam, qui quam longiffime ab Intemperantia recedere videtur, re bene examinatâ, non alio quam ad Intemperantiam referri poffe videatur. Semper enim pellice aliqua delectatione et Voluptate feruntur homines, quotquot a Rationis recta femita declinant; Voluptate autem agi, hoc ipfum eft Intemperantem effe. Igitur qui fe ipfos cruciant, caedunt, imo et occidunt, femper Voluptate aliqua ad id agendum pertrahuntur, et recte dixit ille:

— *Trahit fua quemque Voluptas.*

## PARS III.

## De Virtutibus Particularibus circa Deum.

### §. 9. *Pietas.*

*Pietas* eft Virtus *inter res divinas.* Virtus inter res noftras, feu inter res fecundas nobis vel adverfas, Temperantia est vel Fortitudo (ut vidimus). Sed fi generali nomine haec exprimenda fit, non nifi Humilitas vocari poterit; et ut tamen diftinguatur ab Humilitate illa, quae folium tenet inter Virtutes Cardinales, *Humilitas particularis*

vocetur, aut si lubet, *Humilitas aperta.* Nusquam enim Humilitas, seu incuria sui, elucet ita, et tantopere quasi oculis notatur, quam in Fortitudine et Temperantia. Qui enim ex aequo res secundas atque adversas contemnit, quod fortis atque temperantis hominis Officium est, is clarissime convincitur, nullâ sui curâ, sollicitudine, vel studio duci.

Sicut ergo Humilitas illa particularis et patens inter res nostras versatur, sic Pietas generalis inter res divinas; itemque sicut Humilitas duas habet partes, *Inspicere se* et *Despicere se*, sic etiam Pietas duas habet partes, nempe *Inspicere Deum* et *Suspicere Deum*, seu venerari.

Inspectio autem Dei ex nostrûm ipsorum Inspectione pendet; incipiendumque semper ab eó quod coelo delapsum est (ut Poëta loquitur), *Nosce te ipsum.*

Inspiciendo autem nos ipsos Tract. I. dicimus, primo, nos ad humanam condicionem arbitratu, electione, aut opinione nostrâ non pervenisse, non vi nostra delatos huc nos esse, sed ignaros (tantum abest, ut volentes aut potentes); ex quo sequitur, quod alius quispiam et non ipsi nos homines fecerimus, qui proinde vere sit *Pater noster* seu *Pater hominum*, et cum quoParentes nostri tantum rudem aliquam analogiam et velut similitudinem habeant, ob quam etiam *Pater* et *Mater* vocentur. Vide Metaphysicam nostram.

*Secundo* vidimus, Humanam nostram condicionem duabus partibus contineri, nempe *actione*, qua agimus in corpus, cum quasdam ejus partes loco movere videmur, et *passione*, qua patimur et accipimus aliquid a corpore, cum scil. ratione corporis diversissimas illas perceptiones, quas ad sensum passionesque referimus, patimur et accipimus. In utraque autem illa parte, condicionem nostram ineffabilem esse deprehendimus, nec modum nos intelligere ullum posse, quo aut corpus ad voluntatem nostram moveatur, aut nos a corporum extra nos exsistentium motibus, et praesertim ab illius corporis quod nostrum esse dicimus, moveamur, diversissimisque perceptionibus quasi perfundamur. Haec ineffabilitas perfecte et ultimo recumbit in causâ humanae condicionis, seu in eo quem *Patrem nostrum* esse mox vidimus.

Est igitur aliquis Pater hominum; et hic ineffabilis est, praestatque talia, cum nos homines creat, quorum modum, seu quomodo illa

praeftet, intelligere nos non poffumus, fed tantum intelligere poffumus, eum nos modum intelligere nunquam poffe; in quo perfecta et completa eft ratio *ineffabilitatis. Ineffabile* enim eft, quod effe quidem intelligitur, fed quomodo fit fiatque, intelligi ab humana mente non poteft; debet enim intelligi et cogitatione attingi, quod ineffabile dicitur (alias enim nihil foret; nam *non intelligibile* feu *non cogitabile*, et *nihil* idem funt), fed modus ejus quo eft, quove fit, latet nobis, nec intelligitur a nobis; quod ita fieri poffe, ipfâ confcientiâ et intimâ experientia compellimur ad fatendum, ut qui homines nos effe fciamus, agereque quodammodo in corpus et ab illo pati clariffime fciamus, confciique nobis fimus, fed quomodo, profundiffime nefciamus. Confule inter haec 3. partem Metaphyficae noftrae, feu Theologiam.

Infpiciendo noftram condicionem fimul etiam facile difcimus, quid fit *mundus* ille, in quem a Patre noftro miffi fumus, nempe *corpus in motu;* et eum ipfum effe motorem illum, qui Pater nofter eft. Feciffeque illum duos mundos: alterum extra nos (cujus effentia et diverfarum extenfionis iftius partium vehementiffimis, diverfiffimis, ordinatiffimisque motibus abfolvitur); alterum intra nos, longe pulchriorem et elegantiorem, qui in diverfiffimis et maxime mirabilibus imaginibus ac fpeciebus lucis ac colorum infinitorum, faporum, odorum, fonorum, etc. confummatur. Denique vidimus, etiam eundem effe Patrem noftrum, qui nos nafcentes colligavit cum corpore, et morientes abfolvit; quo nos tracturus, quid de nobis facturus in poftremum fit, prorfus ignoramus, et modus ille rurfum inintelligibilis, rurfumque hîc nofter Pater ineffabilis eft.

Eft itaque aliquis Pater noftrum, Creator mundi, Dominus necis, Ineffabilis in omnibus his operibus.

## § 10. *Adoratio.*

*Adorationem* hîc generaliter fumimus pro quovis *cultu divino*, quem et Chriftiani Latriam vocant; nafciturque ejus Obligatio ex Infpectione Dei. Sicut enim, cum nos ipfos infpeximus, oritur mox Obligatio nos ipfos deferendi; fic contra cum Deum infpeximus, oritur mox Obligatio illum amplectendi; qui amplexus in his fere

quatuor verſatur: *Adoratione* ſpeciatim dictâ, *Devotione*, *Precibus*, et *Gratiarum actione*.

*Adoratio* naturaliter ſuboritur nobis cum videmus aliquem praeſtare ea et efficere, quae praeclara ſunt et bona, atque ita ingenioſe inventa, ut modum quo iſta fiant percipere vix aut ne vix quidem valeamus. Sic Barbari adorant Mathematicos noſtros, dum Eclipſes praedicunt, aut Horologia et arte Staticâ confecta Automata illis oſtendunt. Unde in Adoratione interveniunt, Primo *laus*, quia praeclarum eſt opus; Secundo *admiratio*, et defixus quidam Stupor, cum rationem et modum non intelligunt, quo opus illud paratum ſit; Tertio *agnitio dignitatis*, qua opifices illos ſe digniores eſſe fatentur, utpote qui ſapientiores ſint, in quo eſt manifeſta dignitas; Quarto *ſubmiſſio profunda*, qua ſe, utpote ignorantes, longe inferiores opificibus illis dicunt.

Ex quo clare patet, Adorationem ſummam erga Deum adhibendam eſſe; nam et optima ſunt atque praeclariſſima, quae fecit tum in nobis, tum in utroque mundo condendo (ideoque ſumma *laude* digniſſimus hic eſt Deus), et modum penitus ignoramus. Imo intelligimus, nos illum nunquam poſſe capere, quod in Barbaris illis, de quibus mox dicebamus, non habet locum (ideoque *admirabilis* atque ſtupendus ſupra omnem modum eſt Deus). Et ſapientia ejus maxime elucet in iſtis condendis, imo ſapientia incredibilis (agnoſcendus igitur eſt *digniſſimus*), et ignorantia noſtra non minus manifeſta nobis eſt (ideoque adhibenda Deo *ſubmiſſio* noſtrum, quam cogitari poteſt profundiſſima). Et in his quatuor, quam Deo debemus, Adoratio abſolvi videtur.

*Devotio* vero eſt ſervitus Dei, qua uni illi ſervire volumus; et ejuratis nobis, ei ſoli ſacramentum dicimus. Unde eſt quaſi Terminus ad quem (ut Scholae loquntur) Humilitatis; Humilitate enim a nobiſmet ipſis abimus, Devotione ad Deum imus. Et nota, Devotionem hîc aliter capi quam vulgo ſolet. Hi enim, ſcil. vulgus, intelliguut tenerum illum affectum, quo perfundi ſolent boni dum rebus divinis vacant, de quo Tractat. I. ſub initio diximus.

Tertiam Latriae partem conſtituunt *Preces;* oriturque earum Obligatio ex agnitione aliarum Obligationum nobis impoſitarum, ſimulque impotentiae cujusdam noſtrae; Potentiae vero et Bonitatis Divinae, qua videmus eum poſſe et velle etiam nobis dare, ut Obligationibus

noftris pares aliquatenus fimus. Unde Deus ob nullam aliam caufam ufquam eft rogandus, quam ut exfequamur Obligationes, quas ipfe nobis, mediante Ratione feu lege fua, injunxit; non licet enim petere, quod non licet velle. Nullum autem bonum nobis qua tale, feu ibi ftando, nec alio quoquam illud referendo, appetere aut velle nobis licet (ut Tractat. I. faepius demonftratum eft); non ergo etiam petere illa a Deo nobis licet. Equidem in praeclara illa precatiuncula, quam Chriftiani *Dominicam* vocant, nihil aliud petendum proponitur, nifi quod ad Obligationes noftras pertinet; quod et per fe patet, et pluribus, fiquid forte dubii cuipiam fit, demonftraremus, fi ea res fori noftri effet.

*Gratiarum actio* tandem duas amplectitur agnofcitque caufas; nam Deo gratiae agendae funt propter Obligationes impletas (quam caufam etiam preces agnofcunt, fed eo difcrimine, quod hae ad implendas Obligationes, illa ad impletas referatur), et quia quaedam, imo infinita bona, jucunda, delectabilia, quae *res fecundas* ante vocavimus, nobis elargitus fit Deus (et haec caufa in preces non quadrat; Deus enim non eft rogandus, ut res fecundas qua tales nobis impartiat), gratiae agendae funt.

Hae igitur funt quatuor partes Latriae; quarum quidem priores duae oriuntur ex Infpectione Dei, quatenus auctor nofter eft; tertia, quatenus legislator; et quarta denique, quatenus praemiator nofter eft, cum legem ejus impleverimus. Et ficut praecipua pars humilitatis non eft infpicere fe, fed defpicere fe, fic praecipua pars Pietatis non eft Infpectio Dei, fed cultus, atque illa propter hunc tantum expetitur.

## § II. *Impietas et Superftitio.*

Vitium illud quod Pietati opponitur, generali nomine vocari poteft *Impietas*, ficut et illud quod Temperantiae opponitur, feu in exceffu, feu in defectu, Intemperantia fimpliciter vocari poteft. Sunt enim ifta nomina generalia, et quantum eft ex vi fuae fignificationis exceffum aeque ac defectum comprehendunt, fed ufu magis defectui accommodantur, eo quod populus magis agnofcat Vitium in defectu quam in exceffu, ut Tract. I. de Juftitia num. 4. diximus.

*Impietas* autem duas etiam habet partes; altera Deum non recte agnofcit, altera non recte colit. Et quautum quidem ad priorem

partem attinet, ea rurſum in quatuor membra diſpeſci vîdetur, nempe *Cacozeliam*, *Idolologiam*, *Atheiſmum*, er *Haereſin.*

*Cacozelia* Deo tribuit quod ei non convenit; quod cum plerumque ex zelo aliquo imprudenti contingat, generatim Cacozeliam vitium illud vocavimus; quale eſt eorum, qui Deo corpus et humanam figuram adſcripſerunt, ut inter Philoſophos Epicurus, et inter Gentiles vulgus omne. Huic opponitur proxime

*Haereſis*, quae Deo demit et aufert quod ei competit; ut cum cura rerum humanarum, providentia, et regimen Deo auferuntur, quod itidem fecit Epicurus.

*Idolologia* eſt, cum creaturae alicui tribuimus quod Deo proprium eſt.

*Atheiſmus* denique, cum Deus ipſe tollitur, et attributa ejus in in brutam aliquam naturam referuntur; qualis eſt eorum, qui omnia haec ſine cognitione, ſine ſenſu facta dicunt, naturali quadam neceſſitate, cujus demonſtrationem ignoremus; ut angulos in triangulo aequales eſſe duobus rectis, neceſſum eſt neceſſitate, ut illis videtur, brutâ, et a nullo intellectu dependente. Sed quam illi falſi ſint, imperiti, et ſtulti, in Metaphyſica noſtra 3. parte, quam *Theologiam* vocavimus, ſatis oſtendimus, et facile etiam hîc oſtendi poteſt ex iis quae circa Dei inſpectionem notavimus.

Quatuor haec vitia conſiſtunt in errore aliquo Intellectus, ſed vincibili, adeoque ſecum trahente peccatum in voluntate. Nam ſi quis ex ignorantia invincibili hîc aliquid erret, ei vitia impingenda non ſunt. Similiter ſi quis non errore, ſed libidine ductus falſa de Deo cenſuerit, is quidem Impius eſt, ſed Impietas ejus in hoc genere non verſatur, quod Theologiae opponitur, ſed in altero genere, quod Theolatriae. Interim peccant hîc Poëtae, qui diis rixas, pugnas, et vulnera, nefariaſque libidines adſcribunt.

Alterum Impietatis genus verſatur in malo ac perverſo cultu Divinitatis, vel etiam nullo; oriturque facile ex praecedentibus vitiis. Nam *Cacozeliâ* qui laborant, facile Deum venerabuntur iis rebus, et adorabunt, quibus ille adorari colique non debet; qui vero Idolo Divinitatem adſcripſerit, facile fit *Idololatra*, et loco Dei creaturam aliquam ſuſpicit et veneratur. *Atheus* vero Deum non colet, utpote quem nullum agnoſcit, aut cum natura bruta et non intelligente

confundit. *Haereticus* vero, qui a Deo aufert quod ei proprium eſt, ſimiliter defectivum aliquem et mancum cultum Deo adhibebit.

Cum vero quatuor partes ſint Theolatriae, ſingulae etiam habent oppoſita vitia. Nam *Adorationi* opponitur et *contemptus Dei*, et *Blaſphemia*, et *Irriſio* atque *Ludibrium*, et ſimiles nefariae atque horrendae humani animi petulantiae; dum non laudant eum, ſed vituperant; non admirantur, ſed opera ejus velut ſolita, abjecta, et quae familiaritate ſuâ viluerint, ſine conſideratione ſua tranſmittunt; nec dignum illum, ſeque minores ipſo unquam cogitant.

*Devotioni* autem opponitur *Ejuratio* Dei, quae, quamvis aliter interpretative et in omni vitio locum habeat (Philautia enim Deum excludit, et hominem ad ſeipſum ordinat, ſibique ipſe devotum facit), tamen eſt aliquod peccatum, quo formaliter hoc fiat, et illud proprie huc pertinet.

*Precibus* opponitur *earum neglectus*, et *perverſus uſus*, cum Deum non precamur, ut Obligationibus noſtris pares eſſe poſſimus, ſed id ex nobis ipſis habere volumus, aut Deum ob felicitatem noſtram, eaque quae illam conſtituere videntur, rogamus.

Similiter *Gratiarum actioni* et *Neglectus*, cum eas non perſolvimus, et *Malus uſus* opponitur, cum v. g. Deo gratias agimus ob res malas, puta vindictam de hoſte ſumptam, opportunitatem turpitudinis, inceſtûs, et ſcelerum, item impunitatem apud homines et ſimilia.

### §. 12. *Religio.*

*Religio* eſt ea pars Pietatis, quae quod humanâ Ratione attingere non poteſt, ſub divina Revelatione amplectitur. Culmen ergo Pietatis eſt, et ſummus apex rerum moralium (nec enim Virtus altius ire poteſt quam ut ſupra ducem ſuum, nempe Rationem, quodammodo aſcendat, et ſe totam in Deo refundat); periculoſis tamen et horribilibus praecipitiis circumſeptus; ut merito dictum ſit, *praeſtare homines nullam habere Religionem, quam talem qualem habent plerique.*

Religio innititur exiſtimationi illi, quam de Deo et ejus Ineffabilitate concepimus. Cum enim inſpieiendo ipſum clare viderimus, multa ab eo circa nos facta eſſe, quorum modum nullum cogitatione ac Ratione noſtra aſſequi poſſimus; facile perſuaſum habemus et intelligimus, fieri poſſe ut multa alia ſint ineffabilia, quae praeſtare poteſt, quae

tamen nos et fecundum fe, et etiam fecundum modum fuum lateant. Eorum tamen poffe illum cognitionem aliquam impartiri, fi non omnium, aft quorundam, quae ad nos maxime pertineant; qua cognitione non quidem Ratione affequamur aut ipfa, aut modum eorum quae nobis revelaverit, fed mero teftimonio et auctoritate ejus. Sed cum res haec admodum periculofa fit (ut diximus), et infinitis illufionibus, impofturis, ac fraudibus obnoxia (quam multis enim Religio fua quaeftui non eft! quam multi vanitate et gloriâ ducti non dicunt, fe accepiffe a Deo, quae ipfi confinxere! quantum non pertinacia, et ejus quod femel receptum eft ftudium hîc valet!), Regulae quaedam praefcribendae funt, cum quibus tuto poffit Pietas in Religionem abire, et non tantum ea quae Ratione naturali percepit, fed etiam quae Divinâ tantum Revelatione conftant, amplecti.

Et *prima* quidem Regula eft, ut id quod fub Divino teftimonio ac auctoritate recipitur, nihil habeat in fe Deo, ejufque potentiâ, fapientiâ, caeterisque attributis indignum. Hinc expunguntur fomnia ifta et portenta Brachmannorum, Turcarum feu Mahumetanorum, aliorumque Gentilium et Idololatrarum; continent manifeftas ineptias, aniles infanias, et faepe turpitudines nefarias.

*Secunda* Regula eft, ut id quod fub Divinâ auctoritate recipiendum proponitur, ad nos aliquatenus, imo maximâ eâ parte pertineat. Deus enim non eft qui otiofis occupari nos velit, aut eis quae noftrâ non interfunt vacare. Unde innumerabiles illi mundi et intermundia, quae olim Democritus ac poft ipfum Epicurus invexere, cum Ratione non conftent, multo minus fub Divino teftimonio obtrudenda funt; nihil enim illa ad nos. Sufficitque nobis fcire Dei potentiam immenfam effe, et plura eum efficere quam nos cogitare poffumus; an vero potentiam impendat aliis alibi hominibus, et in aliis fyftematibus, et mundis condendis, regendis, et gubernandis, hoc, ut dixi, noftra nihil refert.

*Tertia* Regula eft, ut teftimonium illud Divinum, quod propofitionibus aliquibus appofitum effe perhibetur, fignis et miraculis, quae non nifi a Deo proficifci poffunt, comprobetur; alioqui quilibet nobis fua fomnia venditabit, et fub Divina Revelatione ac auctoritate obtrudet. Si ergo Deus, quae ipfi dicunt, pro fuis agnofcat, procul dubio oftendet indicio et argumentis irrefragabilibus, ea a fe dimanaffe.

*Quarta* Regula eſt, ut intus in mente ac in conſcientia quam evidentiſſime ſentiamus Deum quaſi loquentem nobis, dicentemque haec ſua eſſe, a ſe proficiſci, ſe eorum eſſe dictatorem, etiam ſi Ratione noſtra non aſſequamur iſta. Et haec potiſſima regula eſt, et ſola etiam ſufficit; ſed infinitis praeſtigiis, fraudibus, melancholiis, et perſuaſionibus obnoxia, quae cautiſſime debent, et adhibitis fuſiſque ad Deum humillimis precibus, reſecari, praeſertim vero pure ſimpliciterque vivendo, nam *optimus Dei cultus bonus animus eſt*, ut non Senecae, ſed Dei ipſius Oraculum eſſe videatur.

His regulis ſi rite inſtructi fuerimus, munita nobis eſt ad veram Religionem via, quae Ethices et totius humanae vitae ſummus finis eſt.

Habet etiam Religio (ſicut in genere Pietas) ſuam Theologiam et Theolatriam; in Theologia, quae Deus revelavit, conſiderantur; in Theolatria, quae ad ſuum cultum facienda inſtituit, expediuntur.

Habet etiam oppoſita ſibi vitia, Impietatem, et Superſtitionem, quae hîc tanto deteſtabiliora ſunt, quo Religio ſimplici in Deum Pietate eſt major et illuſtrior.

## PARS IV.

### De Virtutibus Particularibus circa alium quemcunque hominem.

#### § 13. *Juſtitia et Aequitas.*

Virtus cum circa alios homines verſatur, generali nomine poteſt vocari *Aequitas*, eo quod illi omnes aequali nobiſcum loco habendi ſint. Ita ſcil. ut tres ſint Virtutes particulares, ſeu tria ſumma genera Virtutem Particularium: *Humilitas* (ſcil. Particularis illa), *Pietas*, et *Aequitas.* Habet etiam *Aequitas* duas partes, nempe inſpicere alium hominem (*Proximum* ordinarie vocant Chriſtiani) et conſpicere eundem, ſeu pari ſecum loco illum habere.

Quantum attinet ad Inſpectionem proximi, facile videmus eum ita a natura comparatum eſſe, ut nos ſumus; eodem modo huc ignarum appuliſſe, hinc abripi, hîc agere dependenter prorſus ab alterius alicujus, qui *Deus* vocatur, arbitrio; proinde eaſdem habere illum Obligationes, quas nos habemus. Nec de inſpectione ejus plura dicenda

ſunt, cum illa ſatis intelligantur ex iis quae de noſtrum ipſorum inſpectione diximus.

Altera pars Aequitatis eſt praecipua, et unde Aequitas nomen ſuum habet, quae eſt *proximum pari nobiscum loco dignari.* Ex quo proxime ſequitur Obligatio opis et auxilii in eum conferendi. Sicut vero nobis nihil agere licet, niſi quod ad Obligationes noſtras pertinet, ſic nec juvare proximum in aliquo licet, niſi quod faciat ad Obligationes ejus. Omne noſtrum auxilium, quo ei ſuccurrimus, eo ſemper ſpectare debet, ut is Obligationibus ſuis ſatisfaciat; turpiſſimum hîc eſt et omnino ſervile, auribus ejus aliquid dare, libidini ejus et oblectamentis ſervire, adferre ea quae faciant ad honorem et divitias, imo ad conſolationem, ſi ibi ſiſtatur, ſeu in eo ſtetur; poſſunt enim haec ſubinde recte fieri, ſi ad Obligationes ejus referantur. Jubet igitur Aequitas, ut, quia vivere debet proximus, et manere hîc donec a Deo revocetur (ſicut et nos), ei in Obligatione illa perſolvenda opitulemur, ſi in aquas inciderit, ſalvemus, ſi in morbum, ſanemus, ſi victus ei non ſupereſt, ſuppeditemus, de condicione vitae acceptanda moneamus, ſuadeamus, juvemus, etc.

Si interim occurrat caſus, quo aut nos noſtrae, aut ille ſuae Obligationi ſatis facere non poſſit, potius noſtrae vacare debemus quam ejus Obligationi; ut ſi in aquam ambo incideremus, habeamque ſatis quod pro me agam, ille deſerendus eſt, non quia caritas incipit a ſeipſo, ut vulgus dicit, ſeu quia me ipſum magis amare debeo, magiſque mihi ſtudere quam alii alicui (quod ineptum eſt, et manifeſte Philautiam ſeu peccatum inducit), ſed quia meae Obligationes fortius me obſtringunt ad exſequendum eas, quam ad promovendam exſecutionem Obligationum quas alii homines habent, ut per ſe notum eſt, et facile exemplo legum humanarum intelligitur. Cum enim pluribus aliquid injunctum eſt, magis tenemur pro ſe quiſque quod injunctum eſt exſequi, quam ſocium in exſequendo juvare.

Aequitas illa generalis in Aequitatem ſtricte dictam et Juſtitiam diſtinguitur.

*Justitia* (ſcil. *particularis* haec, non vero Cardinalis, de qua Tractat. I.) tribuit illud proximo, quod ei ſtricto jure debetur, ſecluſa ſcil. omni gratiâ et favore erga ipſum. Sic operis mercedem ſuam, emptori mercem, venditori pretium perſolvendum eſt, ſtandum con-

tractibus et promiſſis, non ex nuda Aequitate, ſed ex Juſtitia, in qua favor nullus erga proximum implicatur; Aequitatis vero, et non Juſtitiae eſt, ſtudioſo homini, et diligenter opus, de quo contractum erat, abſolventi, aliquid adjicere ultra ſummam quam licitatus fuerat. Quia hic elucet favor aliquis et gratia in proximum, quamvis nulla ſit, ſi ad legem Dei comparetur; ea enim ſtricto jure opus hoc exigebat.

Sub Juſtitia commutativa et diſtributiva, ſub Aequitate, liberalitas, clementia, comitas, caeteraeque illae in indefinitum fere Virtutes continentur, de quibus hîc non eſt dicendi locus, ſed ad Politiam pertinet illa tractatio.

Vitia oppoſita Aequitati ſunt iniquitas in defectu, et amor perditus in exceſſu, quae facile ex dictis intelliguntur.

---

# TRACTATUS III.

## DE FINE ET BONO.

### PROOEMIUM.

Finem proprie amamus, proprie volumus; media vero, etiamſi illa propter finem amare ac velle dicamur, abſolute tamen non amamus aut volumus. Unde qui ſtudet ut doctus ſit, non ſtudii et lucubrationum, ſed doctrinae amator eſt; et ſiquidem doctus eſſe velit quo Publico proſit, non doctrinae ſed Reip. amator eſt; quod ſi et prodeſſe volet Reip. ut honores et dignitates in ea conſequatur, aut opes et divitias, aut amicos et favorem, jam potius harum rerum, quas conſequi intendit, quam illarum, quas ad illam conſecutionem adhibet, amator eſt. Atque ita ſemper finis dat ſpeciem et nomen actibus noſtris; is propriè a nobis appetitur et amatur. Media vero non amamus; ſaepe etiam ſecundum ſe averſamur, et tantum propter finem, ad quem ſerviunt, apprehendimus ea et utimur; ut aeger ſanitatem amat et pharmacum odit per ſe ac ſuo nomine, quamvis illud cupiat propter ſanitatem.

Erit igitur hic Tractatus commentarii loco in eos qui praeceſſere et qui ſequuntur; cum conſideratio finis et mediorum tam neceſſaria ſit in rebus Ethicis. Fini autem Bonum conjungitur, imo coincidunt haec, ut infra videbimus.

### §. 1. *Finis Operis et Operantis.*

*Finis Operis* eſt *id ad quod res aliqua ex ſua natura ſervit et conducit;* ut doctrina reſpectu ſtudii, nam ſtudium ex natura ſua valet at comparandam doctrinam. *Finis Operantis* eſt *id propter quod aliquis operatur;* ut cum quis diligenter ſtudet ad aſſequendam doctrinam, fieri poteſt, ut Finis operantis ſit ipſa doctrina. Ex quo

igitur etiam exemplo vides, eundem esse posse et finem *Operis* et *Operantis;* sed possunt etiam hi Fines admodum diversi esse. Veluti cum quis oleum effundit in incendium, putans esse aquam, Finis Operantis est restinctio incendii (id enim Operans intendit istâ suâ actione, incendium ut restinguatur), Finis autem Operis est augmentum incendii (opus enim illud, quod ibi fit, ex natura sua tendit ad augendum incendium). Sic etiam Tractat. I., de adminiculo Humilitatis, satis patet, felicitatem Virtuti esse Finem Operis (valet enim et sola Virtus ad felicitatem conferendam ex naturâ suâ), sed non esse Finem Operantis (vir bonus enim propter felicitatem non operatur, sed propter suam Obligationem).

Hac ergo distinctione interpositâ, multae tricae expediuntur in vera illa et solida sententia, quam ibi tradidimus; quaeque ex sacris literis a quibusdam non bene eas intelligentibus objiciuntur, hac distinctione adhibitâ facile solvuntur.

Inter hos Fines praecellere videtur Finis Operis; hic enim a natura seu Deo constitutus est, Finis vero Operantis constituitur a nobis. Unde et res nunquam frustrantur Fine Operis (ultimo scil., et hic proprie tantum Finis est), saepe autem frustrantur Fine Operantis; ut cum studetur ad doctrinam consequendam vel gloriam, saepe et doctrinâ pariter et gloriâ frustramur. Finis autem ultimus Operis rerum omnium est Deus; omnia enim sunt et fiunt ejus gratiâ (ut infra videbimus). Hoc autem Fine res nulla frustratur; impossibile est enim fieri aliquid, quod in ejus gratiam, gloriam, et satisfactionem non cedat.

## §. 2. *Finis Cujus et Cui.*

Finis *Cujus* est *id ad quod assequendum adhibentur Media;* Finis *Cui* est *id in cujus gratiam adhibentur Media.* V. g. cum quis diligenter studet, Finis Cujus est doctrina, Finis Cui est ipse studens; nam in gratiam sui, et ut sibi doctrinam comparet, studium suum adhibet. Potest quidem haec distinctio tum in Fine Operis tum Operantis locum habere; v. g. cum senex avarus est, et undique divitias corradit, Finis Cui Operantis est ipse senex, qui istis suis sordibus divitias sibi accumulare studet; sed Finis Cui Operis sunt heredes ejus, his enim bene cedit senis istius avaritia. Similiter Finis *Cujus* Operis

atque Operantis diversi esse possunt, ut patet § 1. in exemplo ejus qui oleum in incendium infundit, putans esse aquam. Similiter peccatori Finis Cui Operantis est ipse peccator; ideo enim facinus perpetrat, ut sibi bene sit, et in sui gratiam peccat; minime vero is est Finis Cui Operis, cum opus hoc non in gratiam ejus, sed perniciem tendat ex natura sua. Quis est ergo hic Finis Cui istius Operis? Resp. Deus, in cujus gratiam, velit nolit peccator, tandem ultimo facinus illud, quod magno suo scelere perpetravit, ex natura sua tendit.

Inter hos Fines praecellit Finis Cui, nam Finis Cujus expetitur tantum propter Finem Cui, adeo ut Finis Cujus habeat quodammodo rationem medii, comparatione facta ad Finem Cui. Voluntas enim cum jam per medium in Finem Cujus tetendit, non ibi sistit (adeoque non est hîc proprie Finis et terminus motionis voluntatis), sed arrepto Fine Cujus, tendit cum illo ulterius ad Finem Cui, atque ibi sistit, unde et hic proprie Finis est. Ex quo apparet, quam sint illi turpes, qui suâ causa Deum colunt; hoc enim est pervertere totum rerum ordinem, atque ex eo qui essentialiter Finis est (Deo) medium facere, ipsumque, ad quem omnia destinari debent, ad aliud quiddam (ad se) destinare.

Deus ergo et est Finis Operis et est Finis Cui omnium rerum creatarum. Nam Deum esse Finem, proprietas est ex essentia ejus necessario dimanans, quae debet ei perfectissimo modo tribui; jam autem perfectior est Finis Operis quam Operantis (ut § 1. vidimus), et perfectior est Finis Cui quam Finis Cujus, imo hic non est proprie Finis, sed medium (ut jam statim videbamus). In eo autem consistit ista ratio, quod quaelibet res per necessariam consequentiam inferat gaudium, approbationem, et satisfactionem in Deo. Quaelibet enim res ab eo facta est, accipitque ab eo regulas optimas, quae ex dictamine summae et optimae mentis (id est, ex ipso Deo) profectae sunt; agiturque pro condicione naturae suae quaelibet res in illas regulas peragendas; videt ergo Deus in quaque re quod suum est, quod optimum est atque sapientissimum; ex qua contemplatione necessarium est ipsum affici satisfactione inenarrabili.

Finis autem *Cui Operantis* solent esse ipsi homines, ipsi Operantes; cum enim ordinario modo agimus, omnia ad nos referimus, et in nostri gratiam omnia facimus. Quamvis enim subinde alium aliquem

hominem tanquam Finem Cui respicere videamur, tamen cum ad vivum nos examinamus, facile agnoscimus et conscii nobis sumus, nos non hominis istius, sed nostrâ gratiâ fecisse quicquid fecimus. Cecidit v. g. aliquis in aquam, et ipsum, ac summo cum periculo nostro, submergendum salvamus; hic si frontem consulas et exteriorem apparentiam, dices submergendum illum, quem salvavimus, fuisse nobis *Finem cui;* sed si rem penitus perpendas, aut potius, si ipsi nos, qui salvavimus, nostrasque cogitationes et animum intime discutiamus, videbimus facile, nos periculum illud non alterius, sed nostrâ gratiâ adiisse. Nempe propter gloriam tam strenui fuimus, aut forte propter lucrum vel commiserationem (hoc enim non minus est suâ causâ facere, quam propter gloriam et lucrum, cum miserationi suae satisfacere velle, non minus sit Philautiae, quam cuivis alii passioni); aut forte propter occultam aliquam, et cui vix nomen dare novimus, persuasionem, opinionem, existimationem; rarissimum vero est, ut nos Ratio et Divina lex stimulet, solaque ea sit causa actionis nostrae. Ordinarie enim splendore illo honestatis, qui in Officio Virtutis relucet, contenti sumus et nobis abblandimur, Virtutem ipsam non magnopere curamus.

Hinc facile videas, quae parentes propter liberos facere, aliique inter homines devinctissimi propter necessarios suos agere videntur, ut plurimum propter se agere, et a parte rei nihil aliud est agere propter se ipsum, quam passionibus suis velle satisfacere. Ex quo et hoc liquet, omnes fere actiones nostras improbas esse, et peccare contra decretum Humilitatis.

Vir autem Bonus Finem *Cui* habet suarum omnium actionum, non se (hoc enim ad philautiam et peccatum pertinet), non Deum (hoc enim esset actum agere, et velimus nos atque nolimus, Deus necessario Finis *Cui* est omnium nostrorum operum), sed legem Dei, et hoc quodam modo, qui modus explicabitur §. seq.

### §. 3. *Finis Beneficentiae et Obedientiae.*

Haec distinctio est Finis Cui; subinde enim aliquid appetimus alicui, ut bene sit illi subinde autem id praestamus quod jubet, moti scil. jussis ejus sine ullo ei benefaciendi proposito. Priori casu ille Finis est Beneficentiae, posteriori casu Obedientiae.

Finis *Beneficentiae* eſt proprie Finis Cui, proprieque in gratiam ejus agimus, proprie illum amamus; ſed Finis *Obedientiae* non tam proprie eſt Finis Cui, nec illum qua talem diligere aut amare dicimur, ſed potius eum in cujus gratiam ac favorem juſſa ejus exſequimur. Sic ſervo herus quidem eſt Finis Obedientiae, ſed non proprie Finis Cui; ſervus enim heri ſui mandata non exſequitur in gratiam ipſius Heri, ſed in ſuam gratiam, ut ſibi bene ſit, vel ne male ſit. Sic et magiſtratui parent cives, etiamſi ſciant magiſtratui non prodeſſe ſi ita fecerint ut juſſi ſunt, nec obeſſe ſi ſecus fecerint, ſed ſe quidem praemiandos, ſi legibus obtemperarint, puniendos, ſi contravenerint. Quo caſu clare videmus, Magiſtratum quidem eſſe Finem Cui Obedientiae, nullatenus vero Beneficentiae, ſed eos qui obediunt habere rationem hujus Finis. [*Ann.*]

Inter hoſce Fines, qua ſunt Fines Operantis, praecellit Finis Beneficentiae; nam is magis proprie Finis eſt, magiſque propter illum operantur homines; ut ſervus in exemplo poſito magis Finis eſt earum actionum quas praeſtat, quam herus, ut bene rem examinanti clarum evadit, ſervum eo caſu magis propter ſe quam propter herum ſuum, magisque ſibi quam hero ſervire.

Conſiderando vero ſubſtantiam iſtornm finium, ſeu eos ipſos, qui vel Fines Beneficentiae vel Obedientiae eſſe dicuntur, longe nobilior et dignior eſt Finis Obedientiae quam Beneficentiae. Nam Finis Beneficentiae ſupponit aliquam imperfectionem; indigeat enim re alîqua neceſſum eſt, cui beneficium fieri poſſit, et cum ad alios iſta referuntur, oportet ut te inferior ſit cui benefacere poſſis; inferior, inquam, in iſto caſu iſtoque negotio, in quo beneficium a te ſit accepturus; nam potior eſt perſona patroni quam clientis, et dantis beneficium quam accipientis. Sic etiamſi princeps medico praeſtet in Republ., tamen quatenus ille vel aegrotat, vel certe morbis obnoxius eſt, adeoque opis medici indigus, beneficiique ab eo conferendi capax, eatenus Medico inferior eſt, ut per ſe notum eſt ex praedicto axiomate.

Si quis ergo alteri benefacere velit, nunquam id facit ſine aliqua ejus nota; nam ad minimum ſe ſemper effert in illo negotio, ad quod beneficium pertinet, ſupra ipſum. Hinc etiam ſuperiores et potentes quidam aegre ferunt, ſi iis operam noſtram etiam humanîtate ſummâ addicamus; vident enim, quaſi tacite indigentiam ſuam notari, et

ſuperioritatem aliquam induci eorum qui ſe beneficium collaturos pollicentur. In quo quidem ineptiſſima impotentia atque impudentia eſt. Homines enim omnes ita ſumus comparati, ut facili negotio, uſui et auxilio nobis eſſe et poſſe debeant alii; adeoque mille caſus ſunt, in quibus etiam abjectiſſimus homo cuivis alteri prodeſſe poſſit, et hactenus etiam ſuperior eo atque major et dignior ſit, juxta irrefragabile axioma: *Potior eſt perſona benefactoris quam ejus qui beneficium accipit.*

Hinc interim collige, quam ſit praepoſtera quorundam Pietas, Deo ipſi gratificari ac benefacere volentium; quam ipſemet Chriſtus Pietatem in ſacris ſuis literis improbat, dicens: *Amici mei eſtis, ſi feceritis ea quae dico vobis.* Noli, inquit, mihi gratiam aliquam aut beneficium velle impartiri; ſummus amor tuus erga me in eo ſit et verſetur totus, ut facias quod ego jubeo; altius ad me pertingere non potes.

Petes ergo, ad quem ex duobus hiſce finibus Deus pertineat? Reſp. Cum hi Fines (Obedientiae, inquam, et Beneficentiae) intelliguntur de fine Operis, Deus eſt Finis Beneficentiae omnium rerum; omnia enim naturaliter et ſummâ neceſſitate tendunt in ejus gratiam et favorem et ſatiſfactionem, cum fiunt, cum ſunt, cum eſſe deſinunt. Similiter ipſe eſt Finis Obedientiae in eodem genere; omnia enim exſequuntur decretum et judicium voluntatis ejus; eſtque tam impoſſibile, ſi liceat ita dicere, Dei voluntatem effectu ſuo, quam montem ſua valle deſtitui. Si autem hi fines referantur ad operantem, Deus non poteſt eſſe Finis Beneficentiae potentia morali, qui per *licere* exponitur; id eſt, non licet Deum ponere Finem Beneficentiae; ut ſatis patet ex iis quae mox dicebamus. Similiter nec proprie poteſt eſſe Finis Obedientiae: nam velle ei, ut in ſe eſt, obedire, eſt actum agere, et velis nolis, obedies, ſeu facies quod ipſe abſolute vult. Per accidens tamen et quodammodo Deus eſt Finis Obedientiae, gratiâ nempe legis et Rationis ſuae, quam nobis inculcavit. Huic enim proprie obedimus, cum boni ſumus; cum vero mali ſumus, etiam ipſi Deo obedimus, ſed non ejus legi; Vide Tract. 1. § 2. Cum interim Lex Dei a Deo ſit, cum legi ejus obedimus, videmur quodammodo etiam ipſi obedire, potiori Obedientiâ quam Mali, qui legem ejus negligentes, faciunt tamen vel inviti hoc unum quod ipſe vult.

§ 4. *Finis Ultimus et Subordinatus.*

Finis *Ultimus* eſt, *qui in alium Finem non ordinatur; Subordinatus, qui in ulteriorem Finem ordinatur.* V. g. cum quis ſtudet ut honoretur, et doctrinâ ac ſcientiis exiſtimationem ſibi comparet apud alios, Finis quidem iſtius ſtudii Subordinatus eſt doctrina (dirigitur enim in alium Finem nempe honorem, quandoquidem is qui ita ſtudet, non ſimpliciter quo doctus ſit, ſed quo ob doctrinam ſuam honoretur ſtudeat), Finis autem Ultimus eſt honos; illum enim (ut ſuppono, et fieri ſolet), non deſtinat ſtudioſus ille in ulteriorem finem.

Inter hoſce Fines ſine controverſia praeſtantior eſt Ultimus; imo Finis Subordinatus non eſt Finis, ſed medium; ut in exemplo poſito doctrina aſſumitur tanquam medium ad acquirendum honorem. Ex quo etiam ſequitur, nos Finem Subordinatum non abſolute velle, nec abſolute amare; voluntas enim et amor verſantur proprie circa Finem, et in eo haerent, media vero non tenent voluntatem, ſed habent ſe veluti viam, per quam voluntas fertur in Finem; unde in exemplo propoſito ſtudioſus ille non amat doctrinas et ſcientias, ſed honorem.

Finis Ultimus et Subordinatus etiam habent locum in Fine Operis et Operantis, item in Fine Cujus et Cui. Sic Liberi ſunt parentibus Finis Cui multarum actionum, ſed Subordinatus; nam ipſimet ſunt Finis Cui Ultimus, et beneficium quod liberis ſuis impartiunt, ad ſe rurſum referunt; benefaciunt enim his propter ſe ipſos. Sic et Vir Bonus poteſt ſibi ipſi eſſe Finis Cui, ſed Subordinatus; poteſt enim ea curare, quae ad commodum et voluptates ſuas ſpectant (vide Tractat. 1. §. de Humilitate Sect. 2. 1.), modo tamen illa curet propter ulteriorem finem, et tandem propter Ultimum illum Finem Obedientiae, Deum ſcil. et Rationem.

Ex dictis clare ſequitur, Deum abſolute eſſe Finem Ultimum, idque praeſtantiſſimo modo; nam ipſe eſt Finis Operis (hic autem praeſtantior eſt Fine Operantis), ipſe eſt Finis Cui (hic autem eſt praeſtantior et verior Fine Cujus), ipſe eſt Finis Beneficentiae et Obedientiae rerum omnium. [*Ann.*] Et in his omnibus etiam Ultimus eſt, hoc ipſo quo omnia omnino propter ipſum ſunt. Deus tamen non eſt ſemper Finis Ultimus Operantis; nos enim, etiamſi actio noſtra in ſe ſemper propter Deum ſit, non ſemper tamen propter illum ſeu legem

ejus agimus. Imo proh dolor! raro admodum ſic agimus, ut ſatis patet ex ante dictis.

§ 5. *Bonum et Malum.*

*Bonum* eſt, *quod amamus; Malum, quod averſamur;* unde Bonum et Malum ſunt denominationes externae, et formaliter nihil ponunt in re illa quam denominant; ſicut videri et audiri etc. ſimiles denominationes ſunt. Quod ex eo etiam patet, quod quae uni bona ſunt, alteri ſaepe mala ſunt; quod imprimis in bonis jucundis manifeſtum eſt, nam qui unius palato ſapidi ſunt cibi ac potiones, ad alterius palatum non faciunt. Imo etiam hoc habet locum in bonis honeſtis, et quae uni honeſta, alteri ſaepe turpia ſunt; ut reum capitalis criminis convictum judici occidere licet, privato non item, quodque huic turpe foret, illi honeſtum eſt.

Sed difficultas eſt, quomodo id Bonum eſſe dicamus, quod amamus, id Malum, quod averſamur, cum homines ſaepe ament ea quae noxia ſunt et mala, oderint vero quae bona ſunt et opportuna? Reſpondetur *imprimis*, diverſos eſſe amores; praecipue vero ad duos revocantur, nempe ad amorem Dei et amorem Mei, ſeu ad Virtutem et Philautiam; quod Virtutem amamus, honeſtum eſt, quod Philautiam, jucundum. Fit ergo ex facili, ut quod uno ex iſtis amoribus amamus, id ſi ad alium amorem comparetur, illum minime mereatur, ſed potius odio, iſti Amori oppoſito, dignum ſit. V. g. Temperantibus intemperantes dicuntur amare noxia et mala; nam hi reſpiciunt amorem ſuum Obedientiae, quo temperantes et boni ſunt; videntque ea quae intemperantes appetunt, minime talem amorem mereri, adeoque non eſſe bona; mereri vero odium et exſecrationem iſti Amori oppoſitam, adeoque eſſe mala, turpia, et rejicienda. Contra vero intemperantes dicunt, viros Bonos amare mala et noxia, quia hi reſpiciunt ſuum amorem, nempe amorem Concupiſcentiae, quem non merentur ea quae faciunt boni; cum hi contemplatione Rationis honorem negligant, fortunas ſuas nonnunquam peſſumdent, et in magnas calamitates atque incommoda corporis praecipitent. Vero, quod Bonum honeſtum eſt, poteſt eſſe Malum injucundum, quodque Bonum jucundum eſt, poteſt eſſe Malum turpe; et hoc ſenſu amare ſaepe dicuntur homines, quod Malum eſt. Bonum quidem eſt, quia amant; Malum vero, quia alio genere amoris non amatur, ſed potius rejicitur.

Secundo, etiam in eodem genere amoris homines dicuntur aliquando amare quod Malum eſt, et odiſſe quod Bonum eſt; quia nempe amant aliquando id, cujus ſi circumſtantias alias perſpectas haberent, utique non amarent, ſed exſecrarentur. Ut pueri catapotia inaurata amant, voluntque ea comedere, quorum ſi amaritudinem ſcirent, minime id vellent, ſed deteſtarentur, ut etiam faciunt, quam primum in ore admiſſa amaritudinem prodere coeperunt. Idem facile contingit in rebus honeſtis, ex ignorantia invincibili, de qua infra dicemus. Sed in his omnibus obſervandum eſt, non eſſe prorſus idem quod amatur, et Malum; ut in exemplo propoſito pueri ſplendorem amant, et is Bonus eſt, ſeu Bonum jucundum, at odio habent amaritudinem, quam ignorant, quaeque Malum injucundum eſt; ita ſcil. ut Bonum non poſſit odio haberi, nec Malum amari, cum loquimur de eodem genere amoris et odii, de eadem re objectâ, quae vel ametur vel odio habeatur, ſitque vel bona vel mala.

Bonum uſitatâ diſtinctione in Utile, Jucundum, et Honeſtum diſpeſcitur; bene an male, înfra videbimus.

## § 6. *Bonum Utile.*

*Utile* eſt *medium Boni*, id eſt, tale aliquid, quod ſervit et conducit ad aſſequendum Bonum, ſeu id quod amamus. Ut ſi Doctrina Bonum ſit, ſeu amemus illam, ſtudium erit Utile, quia eo ſervit et conducit naturaliter, ut docti evadamus; ſimiliter, ſi in tempeſtate ſalus bona ſit Mercatori (ut eſſe certo ſolet), Utile erit merces ejicere in mare; hoc enim ſervit et naturaliter conducit ad ſalutem, ſeu ut ipſe cum navi ſua ſalvetur.

Ex his clare patet, Bonum Utile non eſſe Bonum; non amatur enim per ſe, et ſuo nomine, ſed ad ſummum per accidens, et propter aliud aliquid amari appetique dicitur. Hinc etiam Finis Cujus non eſt abſolute Bonus, ſed ad ſummum Utilis; oſtendimus enim jam ante, eum eſſe duntaxat medium aliquod ad Finem Cui. Ex quo item hoc ſequitur, eos qui Deum faciunt Finem Cujus, ſe ipſos Finem Cui (ut qui omnia quaerere ſe dicunt, ut Deum ipſum ſibi aſſequantur, a quo aeternum beandi ſunt), non habere Deum in Bonis; habent enim cum tantum in Utilibus; utilia vero non ſunt bona, ut oſtendimus, ſed conducunt ad bona.

Petes ergo, an Utile et Medium ſint idem? item, an Finis et Bonum ſint idem? Reſpondeo ad priorem quaeſtionem; infra dicam ad poſteriorem. Reſpondeo autem negative. Medium enim ad ea etiam eſt quae non amamus; ut mala diaeta medium eſt ad morbum, mala diaeta tamen non abſolute Utilis dicitur, ſed potius inutilis et noxia; plus ergo requiritur ad Utile quam ad medium; nempe ut ſit medium Boni, ſeu ad acquirendum id quod amamus.

Quia vero res omnis ultimate in Deum tendit, ceditque in ejus gratiam atque favorem, hinc etiam res quaelibet eatenus eſt Utilis, et verum eſt illud: *Deus et natura nil fruſtra, nil inutile fecerunt*, quod Scholis adeo decantatum eſt.

Intelligitur ex dictis etiam quale medium accipiendum ſit in definitione Utilis. Cum enim Medium totidem dicatur modis, quot Finis, aliudque proinde ſit medium Operis, aliud Operantis (prout ſcil. res vel ab Operante in certum Finem deſtinatur, vel naturâ ſuâ ad illum tendit et conducit), intelligitur, inquam, in definitione medium Operis, nec ad Utile ſufficit, quod ſit medium Operantis. Operantes enim in Finem deſtinant ſaepe media prorſus inutilia, ut qui oleum conjicit in ignem, putans oleum illud eſſe aquam; medium hîc eſt Operantis, ut reſtinguatur flamma, ſed quia non eſt medium Operis, hinc inutile, non vero Utile vocatur.

## § 7. *Bonum Jucundum.*

*Bonum Jucundum* eſt *quod amamus amore paſſionis*, ut valetudo, robur, etc., quas *res ſecundas* praecedenti Tract. 2. vocavimus. Ex quo patet, Jucunditatem etiam circa Honeſtatem, imo etiam Utilitatem verſari; multa enim jucunda nobis ſunt, quia honeſta, multa quia Utilia, et amor paſſionis cum omni vero amore (qui in propoſito conſiſtit) et jungi poteſt, et plerumque etiam jungitur.

Non requiritur igitur ad Bonum Jucundum verus aliquis amor, quo ipſum amplectamur; nam hi etiam ſummâ laetitiâ et Jucunditate affluunt, qui nullum propoſitum habent Jucunditatem illam ſibi comparandi (quales ſunt omnes boni). Poteſt tamen verus aliquis amor circa Bonum jucundum verſari; ſed is omnis amor concupiſcentiae eſt, quo Bonum aliquod tibi velis; et ſic amatur ab omnibus malis.

Quia igitur boni nullo vero amore erga Bonum Jucundum ducuntur

(nullum enim habent propofitum illud fibi confequendi), hinc merito dicuntur delicias et voluptates, et generatim res fecundas, in Bonis non habere; mali vero qua jugiter propofitum habent res fecundas fibi comparandi, hinc merito dicuntur folas voluptates in bonis habere.

Patet ex jam dictis, quod proprie Bonum Jucundum non fit Bonum; non amatur vero amore, fed tantum paffionis, et per illum in effe fuo conftituitur; proinde ficut amor Paffionis non eft ptoprie amor (ut Tract. I. fub initium vidimus), ita et Jucundum, quod illo amatur, non eft proprie Bonum. Et licet ab improbis fubinde vero amore ametur Bonum Jucundum, ne quidem tamen tunc proprie amatur, nec verus ille amor in ipfum proprie cadit. Etiamfi enim improbi voluptates appetere dicantur, cum tamen voluptates feu res fecundae non fint hic Finis Cui, fed tantum Cujus, ipfi vero improbi Finis Cui fint, patet inde fatis, Bonum Jucundum folum ut Utile ab illis amari (hoc vero non eft proprie aut Bonum effe aut amari), ipfos vero vere et proprie a fe ipfis amari. Quare vero abftineant homines tali phrafi, et cum amore concupifcentiae feruntur, non dicant fe ipfos fe amare, cum tamen ipfi fint Finis Cui, fed potius amare fe res fecundas, quae tantum funt Finis Cujus, diximus aliquid in Annotatis ad Tract. I. prope ab initio.

## §. 8. *Bonum Honeftum.*

*Bonum Honeftum* eft, *quod amamus quia Ratio jubet;* amamus, inquam, amore Obedientiae. Atque adeo non eft aliud, quam quod parati fumus exfequi eo, quod Ratio jubeat. Ex quo etiam patet, Bonum Honeftum conftitui per talem amorem, quo non tam ipfum (utpote quod folum eft Finis Cujus) quam Ratio amatur (haec enim eft Finis Cui Obedientiae in ifto amore, quo Honeftas conftituitur). Ita ut vir probus actiones fuas ex decreto Rationis exercitas (quae folae funt proprie Bonum Honeftum) non amet, fed Rationem eas actiones imperantem. Ratio autem eft lex et imago Dei in mentibus noftris, quam proinde Vir Bonus amare non poteft, nifi Deum ipfum quodammodo amet. Sicut qui legem principis, quam edixit et promulgavit, obediendo amat, magis amat decretum in animo principis conceptum, quam legem illam quae in tabulis exarata eft; fic vir

probus magis amat Rationem quatenus lex Dei eſt, et a Deo concepta ab eoque emanans, quam quatenus in ſe eſt, ſeu quatenns in ipſo Viro Bono reſidet; jam autem decretum illud quatenus in Deo eſt, a parte rei ipſe Deus eſt, et ſub hoc modo Deo etiam, et non tantum Rationi, Vir Bonus obedit. Ex dictis patet, duo tantum amari ab hominibus; nam aut ſe amant aut Deum. Amor Dei ad Bonum Honeſtum refertur, Amor ſui ad Bonum Jucundum, nam Honeſtatem cum amamus, Deum quodammodo amamus, ut jam vidimus, Bonum autem Jucundum amantes nos ipſos amamus, ut praecedenti §. vidimus. Bonum autem Utile non amatur, ut §. 6. ſatis oſtenditur.

Ideoque duo tantum ſunt bona, Nos et Deus; Deus quidem vere, et per Honeſtum amorem, nos autem falſo, et per perverſum amorem, aut ſaltem non per amorem proprie dictum; quae omnia ſatis patent ex dictis.

Sed quid de Amore Benevolentiae dicendum? Videtur enim hîc etiam poſſe dari rationem Boni alicui, quod Bonum *Amicum* vocari poteſt. Reſpondeo, hoc ſaltem objectione iſtâ effici, ut Scholae, quae tria bonorum genera, id eſt, Utile, Jucundum, et Honeſtum recenſent, quartum, nempe Bonum Amicum omiſerint. Eſt igitur bonum Amicum, quod amamus amore benevolentiae. Sed re bene examinatâ, nullum eſt tale proprie loquendo; ſi enim habeas propoſitum benefaciendi alteri (quo caſu alter ille Bonum *amicum* dici poteſt), vel concipis illud propoſitum ex praeſcripto Rationis, vel citra tale praeſcriptum. Si illud, jam amor tuus non proprie tendit in eum quem amicum dicis, ſed in Rationem et Deum (ſemper enim ad Finem Ultimum attendendum eſt, cui ſoli amor dat rationem boni). Sin hoc, jam ex libidine agis, et quia tibi ſic placet agere; adeoque quem *amicum* vocas, non conſtituitur in ratione boni per tuum Amorem, ſed tu te ipſum in ratione boni per tuum illum amorem conſtituis, amorque tuus, qui benevolentiae eſſe videbatur, re penitus diſcuſſâ, totus concupiſcentiae eſt.

Ex dictis etiam patet, quam graviter peccent mali, ut qui ſe ipſos eo ponunt loco, qui Deo proprius eſt. Solus enim ille eſt Bonus, atque hi non illum, ſed ſe bonos eſſe volunt, dum ſe amant, non illum; amare enim eſt et habere pro bono, et Amor, quantum de ſe eſt, Bonum conſtituit, ita ut cuique Bonum id ſit quod amat.

---

# TRACTATUS IV.

## DE PASSIONIBUS.

### PROOEMIUM.

Duae funt partes humanae condicionis: agere in corpus, et pati a corpore (de quibus et in Metaphyfica noftra oftendimus et in Tractatu Ethico I. circa Infpectionem noftrûm plufcula diximus). Pofterior pars complectitur *fenfus* et *affectus*, et hos quidem potiore jure, qui ideo fpecialiter etiam *paffiones* vocantur hodie apud omnes homines.

Parva vero inter *fenfum* et *paffionem* eft diverfitas. Conveniunt *primo*, quod ambo dicant perceptionem aliquam noftram, quae non eft aliud quam certus modus habendi, quo nos habemus intus, et in mente feu animo, cujus modi per confcientiam, qua illum in nobis intime fentimus, confcii et certi reddimur. Veluti cum video, tali aliquo modo me habeo; cum amo, tali aliquo alio modo me habeo; quos modos in me per confcientiam evidentiffime recognofco. *Secundo* conveniunt in eo, quod ambo (fenfus, inquam, et affectus) nobis obveniant a corpore noftro, ita ut fi eo careremus, modis quoque illis omnibus nos carituros effe clare intelligamus. Sed differunt in eo, quod perceptionem *fenfûs* foleamus referre ad res externas, tanquam inde provenientes, et plerumque cum exiftimatione, quod eae res fimiliter affectae fint, fimilemque habeant modum aliquem, qualem nobis ingerant (fic cum videmus lumen, perceptionem feu fpeciem illam referimus in folem, ignem, etc., exiftimantes ipfa tali fpecie imbuta effe); perceptionem vero, quae in *affectu* feu *paffione* reperitur, atque illam fpeciem, non referimus ad res extra nos pofitas, nec exiftimamus eas quidquam fimile in fe habere. E. g. inimico obviam facti, licet odio ejus vel timore percellamur, non exiftimamus,

ipſum in ſe talem habere ſpeciem, qualis nobis occaſione ejus incutitur.

§ 1. *Paſſiones ſunt extra genus morum.*

Stoici cenſebant, omnes Paſſiones eſſe malas in genere moris; Peripatetici moderatas Paſſiones bonas eſſe dixerunt, immoderatas in vitio poſuerunt. Ambo vehementer errant; ſi quid enim hîc mali eſſet, id non nobis, ſed auctori condicionis noſtrae (Deo) imputandum foret; quod abſit; conſiſtit enim in his paſſionibus bona pars condicionis humanae, et fere potiſſimum per illas homines ſumus, et demptis hiſce unâ cum ſenſibus, non eſt quod nos amplius homines eſſe exiſtimemus. Sunt igitur in genere naturae admodum bonae Paſſiones, licet quaedam nobis injucundae ſint, ſeu male afficientes, (ut dolor, timor, etc.); in genere autem moris nobis neque bonae neque malae ſunt, ſed habent ſe ſicut videre et audire, etc., propter quae nemo probus aut improbus vocatur.

Sed dices: Paſſiones quaedam ſunt turpes, libidinoſae, obſcoenae, nefariae, quibus homines ad facinora, caedes, et horribiles inceſtus concitantur. Reſp. Quod concitantur ab illis, hoc malum eſt, ipſae vero Paſſiones in ſe non ſunt malae; tantum enim continent in ſe certam perceptionem, nobis obvenientem a corpore, ut neceſſario in nos derivatam, non tam a corpore (quod res bruta eſt, et per conſequens nihîl poteſt verâ efficientiâ cauſare) quam ab auctore corporis condicionisque noſtrae humanae. Quod vero nos Paſſiones noſtras ſequamur, hoc turpe eſt; quia auctor noſter non voluit, ut iis abducti aliquod ageremus aut agere omitteremus, ſed totos ſubjecit nos Rationi, voluitque ut ex praeſcripto ejus omnia et faceremus et facere omitteremus. Sicuti ſenſus cum nobis dedit, noluit tamen iis nos in veritatis indagatione, ſed innatis nobis notionibus et ideis uti; unde incidenter patet, eodem loco eſſe habendos eos qui ſenſum ſequuntur in Philoſophia, atque eos qui Paſſiones ſuas ſequuntur in Ethica.

Nota vero, non tantum ſequi nos ſaepenumero Paſſiones noſtras, ſed habere etiam magnam propenſionem ad ſequendum eas; quae eſt veluti effeminatio quaedam noſtri, qua non ſatis ad Rationem (quae ſola nos movere deberet) attendimus, ſemperque vacillamus, an ductui ejus obſequi velimus an ei nuncium mittere; magiſque ſemper ad ea

inclinamus, ad quae passio trahit. In qua propensione, effeminatione, et vacillatione magna inest turpitudo, quam quia non bene ab ipsis Passionibus distinguunt, quidam turpitudinem illam, quam sibi ipsis imputare debuerant, in Passiones suas, auctoremque earum Deum (nam hoc inde consequens est) retulerunt. Est igitur in libidine v. g. carnali (quae passio quaedam est admodum vehemens, praesertim in juvenibus) sensus quidam sive perceptio, et hactenus nihil mali; sentitur deinde propensio quaedam ad standum in ista Passione seu delectatione ad alia, quo ea quasi impellere videtur, exsequendum; et in his omnibus turpitudo atque peccatum est.

Unde fit etiam, ut honesti atque ingenui homines, quarundam Passionum conscientiâ commoti, erubescant atque pudore suffundantur, quod non ex sensu, quo Passiones in se experiuntur, fieri dicendum est, sed ex propensione deserendi Rationem et sequendi Passionem, quam simul in se persentiscunt. In hac enim propensione, et (ut vocavimus) effeminatione, non levis nota, non leve propudium est.

Petes, unde propensio ista in nobis? Resp. Quia infantes nati sumus; inde etiam factum, ut sensibus atque Passionibus ante quam rationibus (ut alibi forte demonstrabimus) adhaesimus. Sed cur infantes nati sumus, et non potius viri cum pleno usu Rationis? hîc Philosophia sistit.

Vide Annotata nostra latiora in Cartesium, praesertim ad §§. illos qui agunt de origine erroris, § 71. etc.

### § 2. *Actio ex Passione.*

### *Vita Vulgi.*

Vulgus quae agit, ex Passione fere agit: nam primum quidem ad literas, et institutum aliquod vitae, adiguntur metu sub parentibus, praeceptoribus, et paedagogis. Ubi assueti sunt illi instituto vitae, saepe etiam amant illud, et per amorem et familiaritatem (quae item Passiones sunt) ei adhaerescunt; et fortius adhuc agglutinantur et agitantur metu insoliti, quo metu vulgus omne maximopere perterretur; usque adeo, ut plurimos eorum videamus, cum vitae condicionem mutare coguntur, simul etiam vitam cum morte commutare. Atque hic est *primus* sive infimus *gradus vulgi*, qui in Officio con-

tinentur amore et familiaritate ſoliti, metu et horrore inſoliti; et comparantur cum pueris, ac maximam partem populi conſtituunt.

Notandum etiam eſt, quam vulgus vocat *conſcientiam*, eſſe meram Paſſionem; nempe ſtimulum et inſtinctum in animo id exſequendi, quod Ratio jubet. Cui cum paruerunt, ſedatur paululum, ut ſolent aliae Paſſiones (quo caſu dicunt ſe habere pacatam conſcientiam); cum vero contraveniunt, cruciantur et urgentur, (quo caſu dicunt ſe habere turbatam conſcientiam, aut ſtimulis conſcientiae ſe agitari); quae omnia ſimiliter locum habent in aliis paſſionibus. Sed cum ipſi vera diligentia careant et nunquam ſatis ad Rationem auſcultent, facile ſit ut pleraque, in quae per conſcientiam ſtimulantur, ſint illis obſcura; adeoque cum illis obſcuris facile quaedam alia obſcura connectunt, quae a Ratione non dictantur. [*Ann.*] V. g. Ratio dictat non violandos alios homines; cum hoc dictamine Rationis obſcure connectunt, oſſa ſepultorum non eſſe movenda de loco ſuo, cui ſi contravenerunt, putant hoc grande nefas eſſe; et innumera ſunt talia nullibi in gentilium hiſtoriis non occurrentia.

Qui igitur conſcientiam illam in Vulgo ſequuntur, ſine dubio non niſi Paſſionem ſuam ſequuntur; vocantur interim *religioſi* et *ſancti*.

Atque hic eſt *ſecundus gradus vulgi*, et nidulatur maxime in primo gradu; tamdiu enim horrent conſcientiam ſuam, quamdiu inſolita ſunt facinora, ita ut hîc maxime vigeat metus inſolentiae. Comparantur autem cum feminis, in quibus etiam hic affectus magis elucet.

*Tertius gradus vulgi* eſt eorum, qui metum illum inſolentiae per contrariam audaciam et temeritatem nonnihil infregerunt; atque hi pericula etiam adeunt, et inſolitis non adeo perterrentur, et ſi multum hic profecerint, de una condicione in aliam errant, et metu verſo in id omne, quod aſſiduum eſt et conſtans, vagabundi cenſentur. Quod ſi eo uſque metum inſoliti abjecerint, ut hinc etiam mortem contemnere ex temeritate et audacia aſſueſcant, fiunt milites, atque hi vel probi apud vulgum, ſi glorioſi ſint, ſi vero etiam gloriam contemnant, fiunt *latrones* et praedones; hic tertius gradus virorum eſt in vulgo.

*Quartus* denique *gradus vulgi* eſt eorum, qui unam Paſſionem alia Paſſione temperant et moderantur. V. g. ſi timeant nimis, ut ſe in Officio contineant, audaciam accerſunt, aut gloriâ ſe exſtimulant;

ſi ad voluptates aut libidines pronos ſe ſentiant, abſtrahunt ſe metu infamiae. Hi *vulgo ſapientes et philoſophi videntur.*

Sed hi omnes, quantumcunque ſibi videantur moderati et compoſiti (ut in primo gradu), quantumcunque pii et religioſi (ut in ſecundo gradu), quantumcunque generoſi et acres (ut in tertio gradu), quantumcunque ſapientes et cauti (ut in quarto gradu), omnes ſunt turpes et ſcelesti peccatores, nihil agentes ex Ratione, ſed omnia ex Paſſione.

### §. 3. *Actio contra Paſſionem.*

### *Vita Philosophica.*

Cum Philoſophi animadverterent, vulgum ex Paſſionibus ſemper agere, contrariam viam inſiſtere decreverunt, et contra Paſſiones ſuas agere conati ſunt; et ſic quidem non ſapuerunt, ſed ſplendidius et aliter quam populus inſaniverunt; imo per ambages, et quaſi per circulum eodem quo populus, contra quem ire videbantur, decurrerunt; ut mox patebit.

Quidam horum Philoſophorum Paſſiones omnes ſuas exſtirpare aggreſſi ſunt; quales fuere Cynici et Stoici. In quo eſt manifeſta dementia, quia exſtirpari non poſſunt Paſſiones, niſi totum corpus abjiciatur, et humana condicio penitus excutiatur; quod non licet, ut Tract. 1. Obligat. 2. demonſtratum eſt. Si vero in humana condicione permanere certum ſit, Paſſiones excuti non poſſunt, utpote quae bonam partem iſtius condicionis conſtituant. Denique Paſſiones illae non ſunt *malae*, ſed in genere quidem moris adiaphorae, in genere autem naturae etiam bonae, et quas pati eodem jure tenemur, quo homines eſſe juſſi ſumus, vide §. 1.

Alterum igitur genus Philoſophorum paulo ſapientiorum, non exſtirpare quidem Paſſiones, quod et inſanum et impoſſibile aut illicitum eſſe demonſtravimus, ſed ſaltem actiones ilias omittere, et tantiſper ſuſpendere decreverunt, ad quas ſe Paſſione aliqua concitari ſentiebant.

Quorum ex numero Plato, cum puero peccanti *vapulares*, inquit, *niſi iraſcerer;* id innuens, ſe non velle caſtigationem illam exſequi, etiamſi juſta eſſet et Rationi conſentanea, ad quam ſe irâ et vindictae cupiditate inſtigatum videbat. Sed nec hi ſapiunt; ſi enim actio omittenda, quia paſſio aliqua ad eam urget, ſaepe elabetur opportunitas

et occafio bene agendi, antequam paffio illa fubfidat. Deinde boni viri non eft propter Paffiones agere, fed nec omittere propter illas aliquid, fed mere propter Rationem, five interim paffio cum Ratione confpiret, five contra Rationem faciat.

Alii inter hofce interjecti et intermedii quafi Philofophi, Paffiones quidem non exftirpandas, fed tantum contra eas agendum effe decreverunt. Hi Cynicis Stoicifque minores infaniâ, Platonicis majores; funtque rurfus duum generum. Nam quidam generatim contra omnium fuarum Paffionum propulfionem agere decreverunt (quod genus *mortificationem* vocant); veluti fi cibus delicatus cum cibo injucundo appofitus fuerit, potius vefcentur injucundo, fi convitium quis fecerit, affentabuntur potius quam objurgabunt, et ita de reliquis fuis Paffionibus; in eoque modo agendi exercent et fe et difcipulos fuos quam aufteriffime. Alii faltem aliquibus Paffionibus bellum indixerunt; quibufdam, inquam, perpetuo contravenire, aliis vero liberum curfum et veluti fraenum dare decreverunt, praefertim Paffionibus ad paftum et venerem, itemque ad gloriam, pertinaciamque aliquam, feu conftantiam in eo quod inceptum eft, pertinentibus, rigidiffime contravenire non fine dicto facramento decreverunt. Et inter hafce tres Paffionum fpecies primam fere *carnem* vocant, fecundam *mundum*, tertiam *Diabolum*, quibus fe opponunt juramento, et promiffione abftinendi ab iis quae ad venerem pertinent, quae ad dignitates, ad munia publica, itemque faciendi, non quod fibi, fed quod alteri alicui videbatur. [*Ann.*]

Atque ita rurfum quatuor gradus Philofophorum recenfiti funt, nempe Cynicorum, Stoicorumque; fecundo Platonicorum, et denique duo gradus (fic fe vocant) mortificatorum. Et Cynici quidem comparantur cum tertio gradu vulgi, Platonici vero cum quarto, id eft, cum fapientibus; reliqui gradus ad alios reduci poffunt, cum quibus majorem habere videbuntur analogiam. Atque in his omnibus gradibus nil nifi turpitudo et peccatum: omnes hi rurfum ex Paffione agunt, licet ipfimet hoc non fatis animadvertant. Obtinetque hic tale aliquid, quale Plato olim Diogeni, Platonis faftum conculcare fe dicenti (conculcabat autem Platonis tapetia): *calcas faftum meum majore faftu;* fic illi etiam in Paffiones agunt majori Paffione. Omnia haec, ut vidimus, contra Rationem funt; igitur ex Paffione funt. Quotiefcunque enim

deliberate agimus, aut Ratio nos agit, aut paſſio aliqua, ad minus libido agendi, dum ſic agimus quia ſic placet agere; quod etiam atque etiam inculcandum eſt hominibus.

§ 4. *Actio praeter Paſſionem.*

*Vita Chriſtiana.*

Qui vere probi ſunt (ut Chriſtiani ſunt, cum non nomine tantum, ſed re hoc ſunt quod eſſe dicuntur), nec ex Paſſione agunt (in quo eſt manifeſta impotentia et effeminatio), nec contra Paſſionem agunt (in quo eſt manifeſta inſania aut immanitas), ſed praeter Paſſionem. Praetermittunt enim quodammodo eam, et nullâ conſideratione dignantur; ſive abſit paſſio, ſive adſit, eâ de re ipſi non laborant; id agunt quod jubet Ratio, et hoc unum curant. Itaque ſi iraſcantur, non ideo verberant (quod vulgi eſt), nec ideo abſtinent a verberibus (quod maxime ſublimium Philoſophorum eſt), non dicunt cum vulgo: *Vapulabis, quia iraſcor;* nec tamen cum Philoſophis dicunt: *Vapulares, niſi iraſcerer;* ſed dicunt: *Vapulabis, quia Ratio jubet te vapulare a me, ſive interim ego qui verbero iraſcar, ſive non;* aut dicunt: *Non vapulabis, quia Ratio vetat, ſive interim ego tui miſerear, ſive non.* Quod propoſitum quantam ſpiret generoſitatem, quam virum bonum undique ſapiat, nemo eſt qui non facile capiat.

Hinc interim patet, bonos ſaepe agere *cum Paſſione*, nunquam vero *ex Paſſione.* Paſſio (inquam) actiones eorum ſaepe comitatur, non vero uſquam actionibus eorum dat cauſam; ſed ſola Ratio eſt, cui id juris eſſe voluerunt, ut actiones eorum jubere vel inhibere poſſet. Patet etiam arduum eſſe negotium et difficile, non ruere hîc aut cadere. Cum enim Paſſiones naturaliter actionibus noſtris conjungantur, facile fit ut quae comitari debebant, praecedant, quique cum ira caſtigare inceperant, pergant ex ira caſtigare, et qui cum delectatione opus etiam aliquod pium et bonum aggreditur, perficiat illud ex delectatione; atque ita profecto, cum rem bene examinamus, notum eſt fieri in nobis.

Dices: Paſſiones turbant diligentiam, ſeu auſcultationem Rationis: tritus enim eſt ille verſiculus et verus:

*Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.*

Cum igitur mens Rationem aufcultat, magnopere fenfibus et paffionibus interturbatur; ut clarum eft in publicum prodeunti, et diverfi generis hominibus occurrenti; fentit enim difficillimum effe, aut fere impoffibile, tunc temporis Mathematicam aliquam demonftrationem difcutere, et, quid Ratio dictet, in omnibus attendere. Ergo probi debent abarcere, exftirpare et ejicere fuas paffiones, ut primae parti Virtutis vacare poffint, id eft, diligentes effe. Refp. Probos fatis exftirpare et abjicere fuas Paffiones, quantum fcil. hoc ad diligentiam requiritur, cum eas in confiderationem non admittunt, nec finunt eas occafionem aut caufam dare fuis actionibus. [*Ann.*] Ipfas vero Paffiones fecundum fe expellere velle, eft fe ipfum humanâ condicione exuere velle (quod nefas), aut rem impoffibilem attentare, id eft, hominem velle effe, et tamen humanitatis parte aliqua carere velle (quod infanum, ut fatis fupra demonftratum eft). Cui et illud accedit, quod Paffiones plerumque, cum illis obluctamur, incrementum fumunt, et quafi efferentur magis; quod in verecundia et libidine tam eft manifeftum, ut nullâ tergiverfatione poffit occultari. Qui, cum erubefcere coeperunt, niti contra pudorem fuum directe volunt, tanto plerumque erubefcunt, et confternantur magis, ut fatius fit animum ad aliam aliquam cogitationem deflectere, quam pugnam cum Paffionibus, dum eae nos conturbant, et in aufcultatione Rationis, aut officiorum noftrorum exfecutione impediunt, inlre; hoc vero eft, eas in confiderationem non admittere, promifcuas habere eas, et five abfint five adfint, inter agendum, quod muneris eft, nihil penfi ducere.

Sicut igitur, cum de rebus fpiritualibus cogitamus (v. g. de mente noftra, de Deo, de aeternis veritatibus), obverfatur phantafiae idolum aliquod, feu fpecies et imago quaedam, quam qui bene intelligunt, fatis fciunt in res illas fpirituales, quae menti obverfantur, non quadrare, unde nec affectant illam fpeciem, quia tantum impedire poffunt genuinam rei fpiritualis cogitationem; nec etiam expellere nituntur, quia hoc non impetrarent, potiusque illo conatu vivacior et expreffa magis redderetur illa fpecies; fed finunt modo, et nullam ejus ducunt rationem, atque ex ejus contemplatione nec ajunt aliquid nec negant, fed omnem fuam conclufionem ex idea et notione innatâ derivant; — fic etiam circa Paffiones fuas affecti funt boni. Non conantur illas exftirpare (fruftra hoc effet, et conatu ifto exftirpandi

firmius, quas exſtirpare vellent, impingerent), non etiam ſe conformant iſtis Paſſionibus, aut iis morem gerunt, non iis abduci ſe ſinunt (nam hoc turpe foret, et in vitio atque peccato), ſed ſicuti ſe erga ſeipſos habent (id eſt, mere negative), ſic etiam ſe erga ſuas Paſſiones habent: non admittunt eas in conſiderationem, non curant, non laborant de illis, dum agendum aliquid eſt; abſint vel adſint, ſuſque deque habent.

## § 5. *De Hoſtibus Virtutis.*

Hoſtes Virtutis non ſunt Paſſiones noſtrae (ut praeter meritum ſuum apud vulgus audiunt, et Vulgo hîc accedunt Stoici), ſed *inclinationes, proclivitates*, et *propenſiones noſtrae* ad agendum aliquid vel omittendum propter Paſſiones; quas propenſiones cum ipſis Paſſionibus imperite confundentes, totam Ethicam, imo auſim dicere totam Pietatem imprudenter evertunt. [*Ann.*]

Sicut ergo a *Senſu* reſecanda eſt proclivitas illa, qua ferimur ad ſpeciem ejus applicandam objectis externis, quae occaſionem praebent iſti ſpeciei (quod alio loco demonſtravimus), ſic etiam a *Paſſionibus* detrahenda eſt illa inclinatio noſtra, qua nos ita inclinatos ſentimus, et quaſi violentiâ quadam impulſos ad faciendum omittendumve aliquid gratiâ Paſſionum, ſeu propter ipſas Paſſiones. Et qui quidem hunc errorem errant, totam Ethicam evertunt, ut diximus. Sic et illi, qui alium iſtum, quem ſtatim notabamus errorem errant, totam Phyſicam evertunt; quod illis qui veram Phyſicam (quam Carteſius reduxit) excoluerunt, ſatis perſpectum eſſe poteſt.

Habent autem alii aliarum Paſſionum proclivitates, ut quidam *iracundi*, id eſt proclives ad vindictam proſequendam; quidam *libidinoſi*, id eſt, proclives ad agendum aliquid gratia libidinis, ſeu venereae paſſionis; alii *meticuloſi*, id eſt, proni ad fugiendum, aut deſerendum ſtationem, et ſimilia alia propter metum exſequenda; et ſic de aliis. Dicunt autem hi, ſtimulari ſe ab *ira* ad vindictam ſumendam, a *libidine* impelli ad ſtupra, a *metu* ad fugam, ſed vehementer errant; non enim ab his ſuis Paſſionibus, ſed a propenſione aliqua ſua, qua propenſi ſunt ad agendum ex Paſſionibus, concitantur in has vel illas actiones. Unde non ſunt aliae in aliis proclivitates ad obtemperandum Paſſionibus, ſed ſimilis atque eadem fere in omnibus proclivitas; corpus

vero aliter atque aliter dispositum est ad has illasve Passiones. Sic quidam proclives sunt ad venerem, alii non ad venerem, sed ad vindictam; eadem in utrisque est proclivitas, scil. agendi aliquid gratiâ Passionis; sed in venereo homine corpus aliter dispositum est, ut scil. menti facile Passionem veneream incutiat. Hinc pro diversitate regionum, aetatum, condicionum, exercitiorum, etc., alii aliis vitiis dediti esse dicuntur, quia corpus aliis atque aliis Passionibus accommodatum est in aliis atque aliis regionibus, aetatibus, etc., cui accedens mentis proclivitas, et propensio ad agendum gratiâ Passionum alia atque alia exterius vitia producit.

Nulla ergo labes residet in ipsis Passionibus, ut adhuc §. 1. hoc Tractatu diximus, sed tota turpido in effeminatione animi, seu in proclivitate illâ ad agendum ex Passione consistit. Animus enim, velut connubio quodam cum corpore copulatus, proclivitate illâ suâ ostendit se esse quodammodo virum uxorium, atque in ipsum quadrat illud Poëtae:

*Uxori nupsit turpiter ille suae.*

Passiones enim obveniunt nobis a corpore; proclivem esse ad agendum propter illas, est propter corpus velle agere, et ei quasi assentiri ac abblandiri. Proclivitas illa sine dubio supponit aliquod peccatum, quod Christiani *originale* vocaverunt. Haec vide apud ipsos, ne nos ex Philosophia nostra exorbitemus.

## §. 6. *De carne.*

*Caro* est proclivitas in bonum jucundum sine respectu ad alios. Unde *caro* non est hîc proclivitas in venerem (ut aliis etiam saepe nomen illud sumitur), sed generatim proclivitas in bonum jucundum qua tale, non considerando aestimationem quam alii de nobis habeant; sunt autem praeter venerem alia bona jucunda multa, quas *res secundas* ante vocavimus. Vide Tract. 2. ubi de Temperantia.

Sed inter res illas secundas solus honor respicit alios et aliorum de nobis existimationem, adeoque ille a consideratione *carnis* excludendus est. Reliquis igitur rebus secundis propter delectationem quam in se continent inhiare, carnale est; etiam literarum et Philosophiae studio, imo etiam Virtutum exercitiis et Officiis. Ex quo facile liquet, eos qui rudem adolescentiam literis, Philosophia, et

humanitate excolendam fusceperunt, vix tamen eam ad austerum Rationis dictamen parant, fabellis autem et Musarum deliciis tenent, non procul a *lenonibus* abesse. Quibus (etiamsi duriusculum hoc forte videatur, verum tamen est) accensendi etiam sunt ii, qui Christianum populum amore illo Passionis, quem *devotionem* vocant (vide Tractat. 1. §. 1.), ad cultum divinum allicere, in eoque stabilem et fixum continere conantur.

Nota vero, non esse carnale, dum rebus secundis ex praescripto Rationis vacamus, delectationes, quas nobis naturaliter injiciunt, admittere; sed carnale est, illas captare, affectare, et rebus commemoratis propter earum delectationem vacare; quae latius deducta vide Tract. 2. ubi de Intemperantia et stupore.

Ex his etiam facile videmus, *Carnem* totum humanum genus invasisse; praesertim vero infestat Adolescentiam, et primam aetatem. Non solent enim adolescentes, nec ad studia literarum, et multo minus ad Philosophiam et institutum aliquod vitae amplectendum induci, nisi pellice aliqua Voluptate; in qua arctius adhuc adstringuntur per paedagogos et praeceptores suos, qui ejus indolis non ignari, assentationibus, blanditiis poëtarum, fabularumque illecebris inescant eos, aut potius illaqueant, et, quasi magnam rem praestiterint, ac bene de republica et humana societate meriti sint, cum ita creditam sibi juventutem prostituerint, illaquearint, et Carni penitus manciparint, gloriantur, et amplissimis se praemiis dignos putant.

### §. 7. *De Mundo.*

*Mundus* affectat eam oblectationem, quae ex aliorum hominum de nobis actionibusque nostris existimatione concipitur. Cum vero existimationem illam (utpote ab aliorum arbitrio penitus dependentem) facillime obtinere possimus, si iis gratificati fuerimus; hinc mundani homines saepe benefici ac munifici, bene de civibus suis ac republica merentur, sed in his omnibus non aliud quam se quaerunt, nempe gloriam, existimationem, dignitatem, statum decorum, pompam, et similia imaginationis ludibria, figmenta, chimaeras, quae difficulter verbis exprimuntur. Sed a mundanis hominibus, aut iis qui aliquando mundani fuerunt, facile intelligitur, quid hîc dictum velimus.

*Caro* igitur se tantum respicit, et sui solâ contemplatione ducitur,

*Mundus* vero mentis oculum non altius quidem attollit, fed latius tantum difpergit et difgregat. *Mundus*, inquam, id ipfum principaliter agit quod caro; fe tantum intuetur, alios ex accidenti refpicit, eofque ad fe ordinat, ex iis metere cupit Gloriam, qua fe oblectet et fuavietur. Eft autem Carni facilis in Mundum defcenfus: natum eft enim fieri, quod vitae genus ac inftitutum, mere quia placeret, luberet, oblectaretque (feu, ut in linguis vernaculis hodie loquimur, mere propter *contentementum* tuum) affumpferas, eidem adhaereas, poftmodum omni talis oblectamenti condimento per ufum et longum tempus decocto; itaque adhaeres adhuc ifti vitae inftituto, ne te dicant male elegiffe, ne te varium et inconftantem dicant, et ut aliis inftitutum tuum approbes, perfuadeafque bene tecum agi. Hoc vero eft a *Carne* ad *Mundum* jam devolutum effe. Haec enim infignis plerumque mundanorum hominum nota eft, quod cum fe miferos effe fentiant, idque etiam alii, praefertim boni et perfpicaces intelligant, conentur tamen id jugiter nobis perfuadere et imponere, fe felices effe. Recto corpore incedentes et turgidi teftari volunt corpus fuum bene habere, ei de fpiritibus (quibus ceu praecipuis inftrumentis munia hujus vitae exfequimur) abunde profpectum effe; pretiofis veftibus et fuppellectili, opum ac potentiae oftentatione, teftari volunt, fe poffe corpori fuo perpetuo fic profpicere, cum alioqui fpiritus fluxi fint, et e corpore facile dilabantur. Quo fpectat etiam luxus, quo teftari volunt, fe in hunc finem non tantum fatis, fed et plus quam fatis habere; faftu et faftidio erga alios teftari volunt, fe eorum beneficiis non indigere, fe operam et auxilium eorum non defiderare. Elato fupercilio, torvis oculis et frontibus teftari volunt, fe fecuros effe, fe non timere, fed effe quod alii a fe metuant; atque ita toto habitu corporis, vultu, oratione, ac geftu mentiuntur fe beatos effe. Sed hi funt adhuc fimplices et ruftici mundani; funt fane, qui exiftimationem fibi et aftutius longe aucupant, et felicius confequuntur; fi haec dicenda felicitas eft, et non potius fervitus atque calamitas.

Quamvis a Carne in Mundum praeceps via fit, non perinde tamen a Mundo ad Carnem facilis eft reditus. Raro enim folent Mundani homines mere propter delectationem fuam aliquid agere, aut in eo quod propter aliorum exiftimationem agere inceperant, mere ex de-

lectatione et animi gratiâ perſeverare; unde Diogene olim nudum ſe in luto ac nivibus volutante, jubet Plato ſpectatores (qui Diogenem ex miſeratione aut ſimili aliquo populari affectu inhibere conabantur) diſcedere, pollicitus brevi Diogenem deſtiturum ſponte, ſi modo illi diſceſſiſſent. Hodieque multi per Mundum (Officia, munia publica, et ſtatum) a Carne (venere, paſtu, et ſtudio voluptatum) liberantur; ſi hoc ſit liberari, dominum mutare, imo et ſub miſeriori tyrannide agere.

Ex dictis facile colligitur, Mundum maxime vigere in juvenibus et viris; atque adeo non tam multos occupat quam caro, ſed praeſtantiores. Mundus poſſidet florem humani generis (Romanos olim, et heroes etiam hodie tales aliquos cogita); imo, quod miſeratione ſumma dignum eſt, eos ipſos, qui optimi viri eſſent, ſi tantum Mundani non eſſent, ſi id ſolius Rationis et Dei contemplatione facerent, quod ad captandam popularem auram faciunt. Et Cicero, patronus Gloriae ſeu Mundi, non dubitat aſſerere: *Optimus quiſque maxime gloria ducitur;* ſed fallitur, et hi non ſunt boni, aſt vani. *Receperunt* (ut Veritas ait) *mercedem ſuam* (gloriolam aliquam apud populum). O miſeram mercedem.

## § 8. *De Diabolo.*

*Diabolus*, quod ad Ethicam faciat (quid enim ſacrae paginae de eo dicant, et ibi lege, et pie crede), eſt *proclivitas perſiſtendi in aliquo agendi genere, mere quia incepiſti ſic agere.* Cum nempe non oblectatio te amplius (quod carnis erat), non Gloria aut exiſtimatio (quod Mundi erat) retinet in propoſito ac inſtituto ſemel agendi genere, ſed mera pertinacia, et pergis tantum quia incepiſti, etiamſi forte taedia, infamia, damna, paupertas, morbi ſequantur. Eſt autem a Mundo ad Diabolum facilis deſcenſus. Videmus enim perſaepe, eos qui inſtitutum aliquod vitae auſterum, horridum, ad captandam gloriolam et exiſtimationem aſſumpſerant, ceſſante hac vanitate, cum nullus jam amplius defertur honos, cum nulla amplius populi admiratio, ſed potius contemptus et irriſio exoticis illis et affectatis actionibus rependitur, non poſſe tamen deſiſtere, ſed pergere per ſalebras et confragoſam viam, quia illam jam diu inſtiterunt; non equidem quod turpe putent reſilire (quamdiu enim eâ turpitudine et

infamiâ moventur, tamdiu adhuc in Mundo ſunt), ſed, ut dixi, quia inceperunt, et ab incepto deſiſtere non poſſunt.

Senes maximam partem Diabolus poſſidet. Hi enim, quod in juventute, Carne vel Mundo inſtigante, arripuerunt vivendi genus, pertinaciter plerumque retinent; non quia placeat aut deceat, ſed quia ſolitum ſit, et quia ſic agere diu conſueverint, et conſuetudinem, velut alteram naturam, abrumpere difficile ſit.

Itaque Caro adoleſcentes, Mundus viros, Diabolus ſenes et infeſtat plerumque et poſſidet. Subinde tamen ordo hic turbatur, et Mundus atque Caro ſubinde in ſenibus, Diabolus in adoleſcentibus reperitur; imo unus idemque homo unius horulae ſpatio per tres illas Tyrannides devolvitur, et primo quidem Carnis, deinde Mundi, ac denique Diaboli mancipium fit. Quod in Cardinalibus voluptatibus, antonomaſtice ſic dictis (venere et paſtu), ita manifeſtum eſt, ut manu prope tentari res illa poſſit. V. g. compotare incipiunt, quia jucundum conſortium et potio ſuavis eſt (hic carnem intelligimus); ſed hac delectatione per ſatietatem ablatâ, tamen potare non deſiſtunt, quia indecens habetur, ante alios a conſortio diſcedere, contra vero glorioſum eſt, multum capere, et alios potando ſuperare (hic Mundum audis); tandem etiam hoc retinaculo dirupto, cum jam non delectatio amplius, ſed faſtidium, non gloria, ſed infamia ex ebrietate, vomitu, moleſtiâ, quâ hoſpitem et domeſticos ejus afficiunt, adſtantium irriſio et contemptus urgent, perpotare tamen pergunt, quia tam difficile eſt deſiſtere ab eo quod inceperunt (hic Diabolum intelligimus).

Ex his patet *primo*, inter hoſtes Virtutis, Diabolum eſſe teterrimum, maxime horribilem, moeroris, taedii, et deſperationis plenum; eſt enim ſine ullâ fere delectatione, ſive ſolidâ (haec enim a Virtute ſolâ proficiſcitur), ſive fucatâ et apparenti, quia illa a Carne et Mundo provenit, quae tranſierunt jam apud eum qui Diabolo traditus eſt. Eſt interim in Diabolo etiam aliqua voluptas, ſed horribilis, exſecrabilis, et tetra. Cum enim Ratio non dictet perſiſtendum in eo quod inceperis, cum ideo mere quia incepiſti perſiſtis, oportet te libidine aliqua, et quia ſic placeat atque lubeat, perſiſtere in actione quam incepiſti. Ex quo et hoc incidenter vides, Carnem in reliquis hoſtibus Virtutis quodammodo etiam reperiri, et duo eſſe tantum genera hominum: alterum *carnale*, et quod ob delectationem atque

libidinem, et quia ſic placet, agit, alterum *ſpirituale*, quod ſpiritu, mente, et Ratione agitur, nec unquam quia lubitum eſt, aut quia placeat, ſed quia deceat atque ita agendum ſit, agit.

Patet *ſecundo*, *Diabolum*, quantum eſt ex natura ſua, ſempiternum eſſe. Perſiſtere enim vult quia incepit, qui *Diabolo* deditus eſt; ſed hoc nunquam ceſſat, quantum eſt de ſe; ſemper enim inceperit, itaque neceſſe eſt ſemper ut perſeveret, quia ideo mere perſeverandum eſſe ſibi judicaverit, quia inceperit. Ubi interim notabilis ſe ingerit diverſitas inter *Diabolnm* et duos reliquos hoſtes Virtutis. Delectationes enim, quas Caro, et pompae, quas Mundus contemplatur, admodum fluxae ſunt et tranſitoriae, poſtquam vero evanuerunt, relinquunt poſt ſe acrem poenitentiam; atque adeo ſinunt hominem reſipiſcere, dum eum quaſi manu mittunt et a ſervitute ſuâ abſolvunt; quod in *Diabolo* non habet locum, cujus, quantum de ſe eſt, perpetua ſervitus eſt.

Patet *tertio*, Diabolum aſtu et ſtratagemate infeſtum eſſe, ubi caeteri Virtutis hoſtes aperto quaſi Marte nos aggrediuntur. Nam Diabolus Philaretos ſeu Virtutis amatores, ſub ſpecie promotionis et majoris in Virtute progreſſûs, abducit a Virtute; ſuadet enim ſemper pergendum eſſe, quaſi dicat et jugiter inculcet:

*Quo bene coepiſti, fac pede ſemper eas.*

Atque adeo Philaretos a defectu ad Medium Virtutis procedentes ſub ſpecie majoris boni ulterius concitat et urget in exceſſum, facitque ut quadret in illos illud Poëtae:

*Dum cavent ſtulti vitia, in contraria currunt.*

Quod Caro et Mundus nunquam attentant. Pelliciunt hi etiam quidem Philaretos, et transverſos abducunt a regia Virtutis via; imo etiam adverſos adoriuntur aliquando, et idcirco minus metuendi, quod a fronte inſtent, et aperto Marte congrediantur; ſed nempe tranſverſos vel adverſos non obeundos, et in Virtutis viam longius porrectos. Nunquam enim ſub ſpecie Virtutis ſe ingerunt; ſciunt et fatentur palam, ſibi cum Virtute non convenire, quod Diabolus, ut vidimus, nonnunquam aſtute diſſimulat, fingitque ſe Virtutis et cultorem et promotorem eſſe.

Contra illam Diaboli fraudem ac ſeductionem, praeſens nobis reme-

dium ab oraculo Rationis fuggeritur: *Ne quid nimis!* Quo monemur, ad quamcunque partem ac materiam Virtutis nos inclinaverimus, ut caute abftineamus a vitio, quod in illa materiâ ad exceffum vergit. V. g. conftituifti liberalem te praebere? *Ne quid nimis*, cave ne fis prodigus. Conftituifti frugalem te praebere? *Ne quid nimis*, cave ne avarus fis. Generofe agere conftituifti? *Ne quid nimis*, cave ne fuperbias Modefte? Rurfum *ne quid nimis*, ab ignavia et focordia tibi cave. Atque ita femper (nunquam enim fatis dicitur, quod nunquam fatis difcitur) *ne quid nimis*. Et notatu dignum eft, oraculum non dicere: *Ne quid minus* (etfi in defectu tantundem vitii fit quam in exceffu), fed dicit: *Ne quid nimis;* quia ab exceffu majus periculum imminet, major ab hac parte Diaboli tentatio et feductio eft. Cum enim quis certae alicui Virtuti addicere fe conftituit, is jam defectui, qui quodammodo opponitur, tergum quodammodo obvertit, et a defectu illo ad Medîum Virtutis procedit; unde providendum ei caute, ut în Medio fiftat, ne ultra Medium pergat ad exceffum, inftante Diabolo, et pergendum, quia inceptum eft, dictante. Sic v. g. fi quis liberalem fe praebere conftituit, is jam fatis hoc ipfo avaritiae nuncium remifit, tergum ei fuum obvertit, pergenfque ad ulteriora, primo quidem occurrit liberalitati, quafi in Media via conftitutae; quam fi amplectatur, cui fi adhaereat, bene habet, probus eft Philaretus, fed fi paulo ulterius progrediatur (quod hîc lubricum eft, et perfacile ex Diaboli fraude, *perge* et *perge* ingeminantis), incidit in exceffum, nempe in prodigalitatem. Et idem eft de reliquarum Virtutum materiâ et Officiis.

His igitur Diaboli aftibus et dolis objiciat Philaretus fcutum Rationis; memor hanc non dicere: *Perge quia incepifti*, fed faepe et faepius: *Defifte etiamfi inceperis, imo etiamfi optime inceperis, defifte; aut perge, fed non ideo perge, quia incepifti, aft quia Deus jubet.* Scuto autem fuo infcribat hoc oraculum: *Ne quid nimis.*

Quod et nos, finem huic tractatui facientes, adfcribimus. *Ne quid nimis.*

---

# TRACTATUS V.

## DE PRAEMIO VIRTUTIS.

### PROOEMIUM.

Praemium Virtutis eſt *Finis Operis* ipſius Virtutis, ſeu tale aliquod ad quod Virtus ex naturâ ſua ſervit et conducit; non vero eſt *Finis Operantis*. Boni enim ob ſua Praemia non agunt, nec hoc eos movet ut legi Divinae pareant, quod ſciant ſibi, ſi id fecerînt, bene fore; quae omnia ſatis patent ex ante dictis.

Ad Praemium Virtutis hae requiruntur condiciones:

*Prima:* debet eſſe proprietas Virtutis; nam Virtus ipſa, eaque quae ad eſſentiam ejus vel conſtituendo vel efficiendo concurrunt, non recte inter Praemia Virtutis cenſentur. Quamvis enim illud Poëtae veriſſimum ſit:

*Ipſa ſibi merces rerum pulcherrima Virtus,*

tamen hoc non competit Virtuti, ut Virtus eſt, ſed ut ipſamet etiam proprietas quaedam ſui ipſius eſt; quod quo pacto verum ſit, infra inter Praemia Virtutis demonſtrabitur. Similiter per hanc condicionem excluduntur Praemia accidentalia Virtutis (ut honorari, amari ab hominibus, regere et docere eos, divitiis affluere, etc.), quae non ſunt vera Praemia Virtutis, ut infra ſatis patebit, ſed his dignum eſſe, haec mereri, et praemia Virtutis ſunt et etiam proprietates.

*Secunda* condicio eſt, ut non referatur ad Officium, ſed ſit aliquid Officio poſterius quaſi. Illae enim proprietates Virtutis, quae ad Officium referuntur (ut Diligentia, Obedientia, et reliquae Cardinales), non recte ponuntur inter Praemia; haec enim adhuc ſpectant ad agonem, necdum ad bravium; ad opus, necdum ad mercedem; ad onus, necdum ad levamen et Praemium.

*Tertia* condicio est, ut Praemium Virtutis sit Bonum Jucundum ipsius Operantis. Unde gloria et honor Dei, quatenus talia, quatenusque ad Deum referuntur ipsum, et in eo sistunt, etiamsi sint proprietates Virtutis, etiam ipso Virtutis Officio posteriores, non sunt tamen Praemia; quia scil. hactenus non respiciunt Operantem tanquam Bonum aliquod Jucundum ejus.

## §. 1. *Primum Virtutis Praemium.*

### *Amicitia cum Deo.*

*Amicitia* non est aliud quam *amor mutuus.* Talis vero necessario intercedit inter Deum et virum bonum. Vir probus enim amat Deum, amando scil. Rationem et legem ejus (Tractat. 3. §. 8.), igitur necesse est Deus eum redamet. Non est enim nisi abjectissimi turpissimique hominis, non redamare illum, a quo se videat serio et vere amari; quae abjectio et turpitudo in immensum absunt a Divina mente, ut quae generosissima sit rerum omnium, ac proinde amari a nemine possit, quem non infinities plus redamet.

Non dico tamen, amorem nostrum erga Deum hoc mereri, ut Deus nos redamet; sed dico tantum, esse argumentum certissimum et infallibile, si nos Deum amemus, ut ipse item nos amet; alioqui certissimum est, Deum primo amare virum bonum, ac inter prima effecta amoris istius esse amorem reciprocum viri boni Deum redamantis, quem amorem Deus ei instillaverit, et quo solo amore bonus est.

Etiamsi inter Deum et virum bonum hoc pacto sit *Amicitia* seu amor mutuus, non est tamen amor utrinque amor ejusdem rationis. Nam vir bonus amat Deum amore Obedientiae, et quidem non in Deum ipsum surgente (utpote qui eo sublimior longe celsiorque sit quam ut at illum pertingat), sed in Legem Dei seu Rationem terminante ac desinente (ut patet satis ex iis quae Tractat. 3. §. 8. dicta sunt et alibi). Deus autem amat virum bonum amore Benevolentiae, qua ipsi benefacere, ipsi bona jucunda elargiri vult; qui quidem amor tendit et pertingit usque ad ipsum virum bonum, sed non videtur in eo stare, at pervadere ac ulterius tendere in ipsum Deum tanquam Finem Cui. Deus enim omnia ad se ordinat, omniaque sui causâ facit; estque ei soli hoc licitum et honestum, nobis

omnibus turpe atque indecens, ut ſatis patet Tractat. I. de Adminiculo Humilitatis. Tales eſſe utrinque hos amores, viri quidem boni erga Deum Obedientiae, Dei erga virum Benevolentiae, nec eſſe poſſe alios aliquos amores inter eos, ſatis clarum eſt ex natura amoris et ſpecierum ejus; de quibus Tractat. I. cap. I. ſub initio, et aliquatenus oſtendimus Tractat. I. ſub finem de Fructu Humilitatis.

## § 2. *Secundum Praemium Virtutis.*

## *Felicitas.*

Vir bonus Deum amat (amore ſcil. proportionato, id eſt, amore Obedientiae) quantum poteſt; nam eum unice amat, cum amor in duos ſimul cadere non poſſit, et ſi poſſet, amor tamen Dei, ſeu legis ejus, non compatitur amorem erga aliud aliquid; quae omnia demonſtrata ſunt Tract. I. cap. I. §. I., 2. (ubi conſule ſimul etiam annotata). Inde vero ſequitur, Deum etiam amare virum bonum (rurſum amore proportionato, id eſt hîc, amore *Benevolentiae*) quantum Deus poteſt. Impoſſibile enim eſt, et a ſumma illa generoſitate alieniſſimum, ut ſinat ſe in amore ſuperari, imo et ſinat ſe in proportione ſuperari; Deus autem ſuperaretur proportionate a viro bono, ſi vir quidem bonus quantum poſſet amaret, Deus non quantum poſſet redamaret; quod abſit, et, ut diximus, alieniſſimum eſt ab illo rerum omnium generoſiſſimo. Cum igitur vir bonus ametur a Deo, id eſt, ab omnipotente, amore Benevolentiae tanto, ut nullus major aut concipi aut cogitari poſſit, neceſſum eſt ut *feliciſſimus* ſit bonus, habeatque omnia quae ex vera benevolentia concedi alicui optarive poſſunt. Nihil enim hîc eſt quod impediat; qui bene vult, omnipotens eſt; quod ergo bene voluit, bene faciet; bene voluit in immenſum, et quantum Deus potuit; dabit ergo immenſa beneficia, et quantum Deus poterit.

Felicitas illa viri boni etiam demonſtratur ex notione felicitatis: *felix* enim eſt, *cui omnia ſuccedunt ex animi ſententia*; atqui animi ſententia ſeu propoſitum viri boni nullum eſt aliud quam ut id agat, quod Ratio jubet (qui enim aliam animi ſententiam, qui aliud quodcunque tandem propoſitum habet, is non eſt bonus), atque contra talem animi ſui ſententiam nunquam poteſt viro bono aliquid accidere, ut latius nonnihil deduximus Tractat. I. de Fructu Obedientiae. Ibi

enim libertatem, quae mediam partem felicitatis conſtituit, neceſſario viro bono competere, nunquam poſſe ſeparari ab eo, quamdiu bonus eſt, ſatis demonſtravimus. Felicitas enim comprehendit duas partes, ſcil. *nihil agere contra animi ſententiam*, ſeu nihil agere illibenter (in qua parte *libertas* conſiſtit) et *nihil pati contra animi ſui ſententiam* (in quo conſiſtit altera pars felicitatis, quae hîc libertati opponitur in hoc genere, poteſtque vocari *felicitas ſtricte dicta*). Quicquid igitur vir bonus agit, libenter agit, cum nihil ei agere libeat, niſi quod Ratio agendum eſſe dictat; quicquid patitur, libenter patitur, cum in Paſſione, qua Paſſio eſt (et ſic tantum ad ipſum pertinet), nihil ſit contra Rationem, adeoque nihil etiam contra animi ſui ſententiam. Atque hae duae demonſtrationes tam ſunt convincentes, ut nihil ſit quod eas obſcurare poſſit, quamdiu oculum intendimus in vim demonſtrationis, quamdiu mentem non advertimus ab illâ evidentiâ. Cum tamen admodum proni ſimus ad abeundum, vel potius recedendum a demonſtratione illa ad ſenſuum noſtrorum praejudicia, facile fit ut, quod jam demonſtratum eſt, incipiat nobis valde paradoxum, imo ridiculum ſubinde atque ineptum videri. Videmus enim viros bonos cum multis ſaepe calumitatibus conflictari, pauperes eos eſſe, ad haec ſaepe infamiâ laborare, ſaepe morbis, ſaepe aliorum hominum ſaevitiâ et crudelitate vexari, imo et per mille mortes necari. Sed mentem revocemus ad praecedentes demonſtrationes, et abeamus ab his ſenſuum noſtrorum praejudiciis; videbimus clare, has non eſſe calamitates, cum in virum bonum inciderunt. Numquid enim a Deo haec immittuntur ei? homines enim hac in re nihil valere apodictice demonſtratum eſt, ubi motus omnibus hominibus tam efficaciter interdictus eſt, et Deo ſoli datus, cui ſoli debetur (vide Tract. I. de Inſpectione ſui). Numquid igitur ab optimo, ſimulque amiciſſimo atque benevolentiſſimo, et qui hoc unum velit, viro bono ut bene ſit? Numquid item ab omnipotente, et qui, cum benefacere conſtituerit, impediri a nemine poteſt, immittuntur? Qui ergo fieri poteſt, ut mala ſint iſta, ut ad calamitatem aliquam ſpectent? Numquid ergo vir bonus libenter haec ſubit omnia? eſtne in his omnibus aliquid contra animi ejus ſententiam, contra quam nihil eſſe poteſt, niſi quod contra Rationem eſt? Aut eſtne in his ſubeundis atque perpetiendis aliquid contra Rationem? Nihil ergo apparet, cur non dicamus virum eſſe

*feliciſſimum*, etiam cum in Phalaridis Taurum conjectus fuerit, et in omnibus tam vulgo decantatis, et tam deteſtatis miſeriis verſatur.

Sed affligitur interim vir bonus. Reſp. non eſſe afflictionem, quae non ſit contra animi ſententiam, ſeu propoſitum; *afflictio* tamen vulgo dicitur, quia tale quid eſt, quod contra ſententiam animi vulgaribus obvenit, quodque invite et cum reluctantia patiuntur.

Replicabis: ſaltem haec moleſta ſunt ſenſibus, et ſic plenam atque perfectam felicitatem interturbant. Reſp. Eſto, quod animo viri boni, prout ſentiens eſt, haec moleſta ſint atque triſtia; ſolus ſenſus calamitatem inferre non poteſt, cum ſaepe volupe nobis ſit, et omnino deſideremus id, quod ſenſui moleſtiam creat; ut exercitiis atque laboribus, luctâ et periculis delectantur et geſtiunt multi. Itaque ſola animi obluctatio, ſolae ejus ingratiae calamitatem et infelicitatem creare poſſunt.

At mallet vir bonus his ſenſuum afflictionibus carere, ſi id ſalvâ Ratione ac lege Dei liceret. Reſp. Sic Stoici dicunt, qui ideo non *malas* quidem illas vulgi calamitates, ſed ſaltem *poſthabendas* eſſe dicunt, et contraria bona, non *bona* quidem, ſed *praeferenda.* Sed vehementer errant, ut et Cicero in libello ſuo de Finibus ſatis bene obſervat. Dicimus ergo nos, virum bonum nec praeferre quicquam nec poſtponere, relinquere illa in medio, tantum curare id quod Ratio dictat; Ratio autem dictat, cum haec a Deo immittuntur, ſubeunda eſſe, non reluctandum, non contranitendum, non unum prae alio ſeligendum aut optandum; optio enim nobis nulla relinquitur, penſum autem nobis ad minutiſſimas uſque minutias et praeſcriptum eſt, et rigidiſſime exigitur.

### §. 3. *Tertium Praemium Virtutis.*

### *Pax.*

Pax illa potiſſimum conſiſtit in *quiete et vacuitate Paſſionum*, ſeu potius abſentiâ ſtimuli iſtius, quem habent Paſſiones ad concitandum et turbandum animum, ad urgendum ut multa faciat, multa omittat gratiâ et contemplatione ipſarum (quem quidem ſtimulum praeced. Tractat. oſtendimus nihil aliud eſſe, quam propenſionem quandam et proclivitatem animi noſtri ad agendum omittendumve gratiâ Paſſionum).

Putat quidem vulgus ſedare ſe Paſſionem, cum morem ei geſſit; v.g. ſedare ſe triſtitiam, ſi in querelas, ſi in lacrimas ſe effundant; iram, ſi vindicent et verberent; timorem, ſi ſtationem deſerant et fugiant. Et hoc etiam verum eſt, ſi ad punctum illud temporis, quo Paſſioni obtemperatur, animum attendamus; nam quo tempore lacrimantur et queruntur, dolor remittit; quo tempore vindicant et verberant, ira pacatur; et timor, cum fugiunt, ſedatur. Sed ſi ad ulteriora tempora etiam animum attendamus, videbimus Paſſiones omnes obſequio non remitti, non minui, non ſedari, ſed contendi, creſcere, et efferari. Nam qui ſaepe lacrimatur et queritur, tandem minimis de cauſis totus lacrimabundus, totus querulus fit; qui ſaepe verberat, et injurias ſuas ſtricte perſequitur, tandem etiam ad minimas occaſiones excandeſcit et furit; et ſic de aliis.

Contra vero, qui Paſſionibus ſuis non obtemperat, ille quidem ſi reluctetur, tanto etiam magis irritat et laceſſit eas, et conſequenter auget et confirmat (ut ſatis etiam ſupra praeced. Tractat. vidimus, ubi de vita Philoſophica).

Igitur hiſce flammis (Paſſionibus inquam) obſequium velut oleum eſt, reniſus velut flatus; utroque augentur et increſcunt. Reſtant igitur ſoli viri boni (quos praeced. Tractat., ubi de vita Chriſtiana, deſcripſimus), quî Paſſiones ſuas feliciter ſuperant; nunquam tamen eas ſuperare directe volunt (quid enim eſſet hoc aliud quam ſuam pacem, ſuam quietem quaerere, et aperte deſciſcere a fundamento humilitatis?), ſed auſcultantes Rationi, nec obſequuntur nec obnituntur ſuis Paſſionibus; pabulum iis ſubducunt (id eſt, obſequium), flatum prohibent, et omne irritamentum (id eſt, non obnituntur ſuis Paſſionibus); quid reſtat, niſi ut Paſſiones quam citiſſime intermoriantur in illis?

## §. 4. *Quartum Praemium Virtutis.*

### *Doctrina atque diſciplina.*

Ex Paſſionum illâ internecione oritur in viro bono alta quaedam animi quies, et profundum ſilentium. Sunt enim Paſſiones illae velut inſolentes quidam et rixoſi pueri, circa mentis muſeum curſitantes et obſtrepentes, impedienteſque animum in auſcultatione Rationis, in qua naturam diligentiae repoſuimus; his igitur exſtinctis in viro bono,

manet ipse in alto silentio; totus, nullo impediente, in Ratione defixus, vidensque clare quid illa dicat, sapiens redditur, de quo dîximus Tractat. 1. circa fructum Diligentiae.

*Sapientia* vero *ad os deducta, doctrina* est; facileque illa in viro bono ad os deducitur. Nam quod bene intelligimus, quodque saepe apud animum nostrum perpendimus, id nos facile et ad aliorum captum feliciter edisserere, nimis quam notum est; et Poëta in hanc rem praeclare:

*Verbaque pervisam rem non invita sequuntur.*

*Disciplina* non est aliud quam *sapientia aliorum animis instillata per doctrinam.* Ita enim a natura comparati sumus, ut quae sapiens aliquus diuturna meditatione, acri Rationis auscultatione circa aeternas veritates consecutus est, ea per doctrinam aliis communicet; et haec item sic communicata ab alliis longe facilius capiantur, et breviori tempore intelligantur, quam si ipsi suo Marte, suo studio, sua diligentiâ ad Rationem attendendo, eruere illa debuissent. Sic videmus in Philosophicis speculationibus, imo etiam in artium mechanicarum exercitiis, paucis mensibus vel annis ea tradi a sapiente vel artifice, quae plurimorum annorum lucubratione et studio detecta atque inventa fuere, atque ita tradi, ut facile ab aliis disci (qui hinc *discipuli* vocantur), capi, et intelligi possint. Quamdiu sapientia aliorum animis a doctore instillata pendet adhuc a directione ejus, et opus habet ab eo foveri, et quasi adhuc manu duci, tamdiu tantum *disciplina* dicitur; fit vero tandem etiam *doctrina* in discipulis, quando jam proprio Marte, suo studio, suâque contemplatione et auscultatione Rationis, eadem illa assequuntur, quae pridem non nisi operâ docentis assequebantur; saepiusque jam ruminando, et apud animum suum versando, id ulterius consequuntur, ut sapientiam suam jam etiam ad os deducant et eloquantur; atque adeo jam et ipsi idonei sunt ut discipulos generent.

## §. 5. *Quintum Praemium Virtutis.*
## *Dignitas.*

*Dignitas* plura praemia complectitur. Nam *imprimis* vir bonus, hoc ipso quo bonus est, *amabilis* est, seu omnium hominum amore dignus.

*Secundo*, quia ſapiens eſt, *regius* eſt, ſeu regno et imperio dignus. *Tertio*, quia doctus eſt, *laudabilis* eſt et *admirabilis*, ſeu laude et admiratione dignus. *Quarto*, quia non tantum doctus eſt, ſed doctor, atque adeo optime de aliis meretur, hinc etiam *glorioſus* eſt ſeu gloria dignus.

Et primo quidem *amabilis* eſt, tum amore Benevolentiae, tum ſuo modo etiam amore Obedientiae, quatenus per doctrinam ſuam Legem Dei et Rationem aliis manifeſtat. Dixi autem *ſuo modo*, quia abſolute loquendo, neminem amare licet iſto amore praeter Rationem et Legem Dei. Obeditur igitur viro bono tanquam praeconi, legem Dei promulganti, non vero tanquam ferenti, cum nihil hîc ei juris ſit; et bonus inter homines eſſe non poteſt, qui ipſe legem aliquam ferre ſuo nomine et ſua auctoritate velit, ſed boni legem Dei aliis jugiter promulgant et explicant. Eſt etiam amabilis amore Affectionis, cum vir bonus ſit res quaedam pulcherrima, ſuaviſſima, et omnino rariſſima; ac proinde tenerum illum ac ſuavem affectum (in quo Amor Paſſio conſiſtit) etiam tetris et inhumanis et barbaris hominibus, imo etiam adverſariis ſuis ac invitis (ut experientia ſaepe docuit) extorquet; nonnunquam et ſuo quaſi jure ſibi vindicat.

Ex eodem fonte manat, quod vir bonis etiam ſit *honorabilis*. *Honor* enim non eſt aliud quam teſtimonium, quod alteri ex concepta de virtute ejus opinione praebemus; unde honor nemini proprie convenit niſi probo, ac proinde non niſi cum ſumma turpitudinis ac adulationis nota aliis ſubinde (velut divitibus, potentibus, etc.) defertur.

Ex eodem etiam fonte eſt, quod vir bonus ſit *reverendus*, ſeu reverentiâ dignus. *Reverentia* enim in eo conſiſtit quod non quaevis ſine diſcrimine, apud eum quem vereri dicimur, agamus atque dicamus, ſed multis talibus abſtineamus, ex eo quod nobis ipſis non ſatis probentur, et cum alterius moribus ac indole minus congruere videantur. Ex qua definitione liquet, virum bonum apud pleroſque mortalium hac reverentia digniſſimum eſſe.

Secundo, quia vir bonus eſt *ſapiens*, hinc regno digniſſimus eſt; nemo enim aptior eſt ut alios regat, quam qui aliis plus ſapit. Indeque nata paroemia eſt: *Sapiens naturâ rex eſt*, et divinum illud Platonis nuſquam non decantatum: *Beata reſpublica, in qua Philoſophi regunt, aut Reges philoſophantur.*

Tertio, quia vir bonus etiam *doctus* eſt, hinc etiam laudem meretur et admirationem; nihil enim ita ſolent admirari homines et laudibus efferre, quam ſermonem eleganter et clare explicantem arcana Naturae ac Rationis.

Quarto, quia non doctus tantum, ſed etiam *doctor* eſt, et diſcipulos facile format, hinc etiam gloriâ dignus eſt. *Gloria* enim eſt teſtimonium magnis et claris ſignis expreſſum, quod alteri damus ob rem bene geſtam, egregiaque in nos merita atque beneficia. Unde non eſt aliud quam inſignis quaedam et luculenta gratiarum actio, quam ſine dubio vir bonus meretur excellentiſſimo modo; utpote qui de omnibus optime mereatur, dum eos exemplo et doctrina ſimiles ſibi facere ſemper ſtudet, id eſt, etiam bonos, quo majus beneficium excogitari nullum poteſt.

Hiſce dignitatibus (quibus vir bonus dignus eſt amore, honore, reverentiâ, regno, laude, admiratione, gloriâ) annexa eſt non tam dignitas, quam potius natura aliqua: natus eſt enim voluptatibus inenarrabilibus, et gaudiis quae vix capere poteſt humana mens, affluere. Id eſt, non tam proprie dignus eſt iſtis gaudiis (quanquam et dignus eſt), quam bene natus eſt habere iſta gaudia, atque hoc Praemium non tam dignitatem quam naturam ſapit. Natus eſt, inquam, vir bonus habere haec gaudia; cum quod ipſa virtus naturaliter illa procreet, tum quod conſideratio Praemiorum, quae partim recenſuimus, quibus inſignitum ſe vir bonus videt (nec enim fieri poteſt, ut non aliquando videat, et eorum admiratione obſtupeſcat), haec gaudia naturaliter injiciat. Vir bonus enim aliud agens ſaepe tamen incidit, et quodammodo volens ac nolens cogitur agnoſcere Praemia ſua; his autem agnitis incredibilem concipit laetitiam, atque animi exſultationem.

## § 6. *Sextum Praemium Virtutis.*

### *Amicitia cum Bonis.*

Inter Bonos eosque ſolos proprie conſiſtit Amicitia. Soli enim hi inter ſe ſimillimi ſunt (ſimilitudo autem Amicitiae conciliatrix), ſoli idem volunt atque idem nolunt; boni enim omnes non aliud volunt, quam obedire Rationi; hac animi ſui ſententiâ et intentione, cujuscunque ſortis, condicionis, generis, nationis, ſexûs, et aetatis ſunt,

omnes tamen inter ſe ſimillimi ſunt. Voluntas enim (ut Tractat. 3. ſatis patuit) penes finem, quem ſibi praeſtitutum habet, aeſtimari debet; finis autem omnibus bonis idem eſt, etiamſi mediis aliquando inter ſe non conveniant. Quod equidem nihil facit ad discordiam voluntatis, cum voluntas non mediorum ſed finis ſit; ut convenire eos facile intelligamus, quorum alter minis, alter promiſſis idem extorquere a nobis conantur; licet enim media diſſimillima ſint (minae et promiſſa), finis tamen idem eſt utrique. Sic ergo etiam boni diſſimillimis mediis in eundem tamen finem tendentes, ipſi voluntatis ſuae conſenſu quam ſimillimi ſunt.

Mali vero omnes ſunt diſſimillimi; omnes enim alia volunt, nam quiſque ſe vult. Et licet ſubinde videantur idem velle, hoc tamdiu tantum obtinent, quamdiu mentem cogitationemque reflectimus ad media, quibus ſubinde conſpirant; ſed hoc non eſt proprie conſpirare, cum voluntas mediis non adhaereat, ſed ea perlabatur tantum et transmittat, ut fini ſe ſuo affigat. Igitur cum mentem reflectimus ad finem, qui proprie voluntatis et adhaeſionis objectum eſt, clariſſime patebit, eos non niſi diverſa velle. V. g. plures avari, item avari et glorioſi, conſpirant in exſtruenda et adornanda eadem navi, vel etiam claſſe, quae in Indiam ſolvat, quia haec ſeu navis, ſeu claſſis, medium eſt idoneum ad fines, quos quiſque diverſos ſibi praeſtitutos habet (alius enim commodum et lucrum ſuum, alius denique gloriam ſuam captat). Diſſentiunt igitur in finibus, qui in mediis conveniunt; ſe contemplatur unuſquiſque, et ſui gratiâ agit quicquid agit; igitur abſolute diſſentiunt: nam in mediis conſentire vel diſſentire, tantum ſecundum quid conſentire vel diſſentire eſt; ex fine vero deſumitur abſolutus animorum conſenſus vel diſſenſus.

Mali igitur per ſe diſſimiles ſunt (id eſt in fine); per accidens aliquando ſimiles ſunt (id eſt in mediis). Contra vero Boni omnes per ſe ſimiles ſunt; ſubinde vero per accidens tantum diſſimiles. Diſſentiunt enim aliquando in mediis, conveniunt ſemper in fine; alius enim forte philoſophatur, alius meret ſtipendia, alius mercaturam exercet, alius agrum colit, alius laborandum, alius feriandum cenſet ſubinde, alius edendum, cum alius cibo abſtinendum putat; omnes tamen in eo conveniunt, Deo ſcil. et Rationi ut obediatur. Imo ſubinde contradicunt boni inter ſe, et adverſarum inter ſe partium

ac factionum esse videntur, eo quod alter eorum laboret ignorantiâ invincibili, aut laborent in aequivoco, aut alio quovis modo se mutuo non bene intelligant sine sua culpa; etiam tum tamen idem constantissime volunt atque nolunt, si anima sententiam et propositum, si voluntatis judicium spectes.

Cum igitur Amicitia radicalis inter homines non sit aliud quam consensio animorum (nam *idem velle atque idem nolle, ea demum perfecta Amicitia est*, inquit Tullius), necessum Bonos omnes et solos amicos esse. Etiamsi vero haec sit radix Amicitiae, surculus tamen, qui ex illa radice nascitur, est amor mutuus. Hic etiam est inter bonos, et quidem essentialiter, ita ut boni esse non possint, qui inter se non ament. Alius enim summopere vult, quod alii summe bonum est; nam probus vir vult Deo et Rationi obedientiam praestari, hoc unum vult; sed etiam hoc unum atque unicum alterius summum bonum est, ut qui etiam nihil aliud desideret, quam ut Deo atque Rationi mos geratur; utrisque igitur id unum atque solum summa votorum est. Probi ergo sibi mutuo summum bonum, seu id quod ardentissime desiderant, mutuis et ardentissimis votis optant atque volunt; hoc vero quid est aliud, quam inter se summopere bene velle, quam inter se ardentissime amare? Notandum enim est, bonos non tantum a se obedientiam praestari velle Deo et Rationi, sed etiam quantum illis incumbit et datum est, ab aliis praestari id volunt, et ab aliis tam bene et perfecte quam a se. Cum enim humiles sint, se et sua bona non curant; ideoque nec Virtutem ipsam curant et aestimant (quod profundissime ignorarunt Veteres) quatenus ipsorum, qui eam possident, quoddam bonum est; quod satis intelligi potest ex dictatis nostris, praesertim ubi de intemperantia circa ultimam classem rerum secundarum versante actum est. Tantum igitur boni volunt Deo et Rationi obedientiam praestari, sive a se sive ab aliis, quantum est in se, et quantum sibi incumbit.

Est etiam amor quidam mutuus accidentalis tantum inter bonos, qui consistit in Praemiis accidentalibus Virrutis, quae sibi mutuo probi deferunt; estque haec Amicitia, sicut accidentalis est, ita etiam accidentale Praemium Virtutis, de quo jam agendum est.

### §. 7. *Septimum Praemium Virtutis.*

### *Accidentale Praemium.*

Hoc non eſt aliud quam actus dignitatis iſtius, de qua §. 5. ſupra. Et ſicut dignitas illa multiplex eſt, quae Virtutem *eſſentialiter* comitatur, ſic et actus, qui dignitati illi *accidentaliter* adhaeret, multiplex etiam eſt, nempe *amari*, *honorari*, *laudari*, *coli*, *regere* ſeu regem eſſe, *eſſe in admiratione et favore*, et *celebrari*, ad haec *gaudiis* et delectationibus inenarrabilibus *affluere*. Haec, inquam, cum viro bono obveniunt, ſunt accidentalia Praemia probitatis ejus; poſſunt etiam a Virtute ſeparari, cum ante commemorata Praemia neceſſario cum Virtute conjuncta ſint. Nam vir bonus neceſſario eſt amabilis, ſaepe tamen non amatur, ſed odio habetur; honorabilis eſt, ſaepe tamen non honoratur, ſed contemptui habetur; reverendus eſt, ſaepe tamen non reverentiae ſed ludibrio eſt. Sic etiam ſaepe duram ſervitutem ſervit (quantum ſcil. ad exteriorem apparentiam attinet) quamvis imperio dignus ſit; ſic et irridetur nonnunquam, etiamſi ob doctrinam ſuam laudabilis ſit, eo quod doctrina ejus ſtultitia videatur et fatuitas (quod olim Democrito accidiſſe videtur); et licet gloriâ dignus ſit, ſaepe tamen infamiâ laborat, eo quod diſciplina ejus impietatem ſapere videatur (quod olim Socrati accidiſſe videtur). Denique etiamſi natus ſit gaudere, affligitur tamen ſaepe, et cum horrore, triſtitiâ, taedio, et ſimilibus animum male habentibus affectibus colluctatur, quia homo eſt, et ſenſum exuere non poteſt, quamdiu, jubente Deo, corpus habet. His accedit Amicitia illa accidentalis, de qua §. praec. aliquid tetigeramus; haec enim etiam eſt inter accidentalia praemia Virtutis, conſiſtitque in honore, laude, regimine, et caeteris dignitatum actibus, quos probi ſibi mutuo deferunt. Cum enim vir bonus ſit honorabilis, id eſt, ex Ratione dignus cui honos exhibeatur, boni id nunquam recognoſcunt, niſi ſimul parati ſint ad ipſum honorandum; alioqui enim facerent contra Rationem, dictantem eum dignum eſſe honore, ſeu honorandum. Similiter cum vir bonus regno dignus ſit, boni id ei deferunt, et ipſe viciſſim aliis bonum idem non gravate defert; nihilque tam uſu venit inter bonos, quam quod libentiſſime ſe a ſe invicem dirigi ſinant. Cum etiam laudabilis ſit vir bonus propter doctrinam ſuam, bonî illum laudant, adeoque

ſe invicem laudant, ſuntque ſibi invicem diſcipuli et doctores; et fere nulla inſignior probitatis nota eſt, quam facile velle ab alio diſcere, quod ille ex Ratione doceat.

Cum haec Praemia inter ſe communicant boni, tunc non tantum eſſentialis et Philoſophica quaedam inter illos intercedit Amicitia, ſed etiam vulgaris, et quam populus facile videt ac notat. Sed haec Amicitia abeſt a multis probis, eo quod ſe invicem non ſatis noverint; abſunt enim aliquando inter ſe, ſed et adſunt etiam aliquando inter ſe, mutuam tamen probitatem ignorantes. Quia animus et intentio hominis, unde omnis virtus pendet, per ſe non patent, ſed ſubinde tantum conjecturâ aliquâ percipiuntur ex mediis, quae extrinſecus adhibentur ad finem illum, quem ſibi conſequendum praeſtituunt; haec vero media ſaepe ſunt admodum ambigua; nam probi quidem immane differunt ab improbis ſecundum intentionem, et animi ſui ſententiam; ſecundum externas vero actiones ſubinde parum differunt, ut videri poteſt Tract. I. circa Obligationem praecipue ſextam.

Accidentalia Praemia Virtutis aliquando torquentur, et quaſi violenter in improbos deflectuntur (nam et hi honorantur ſaepe, et regunt, etc.), quibus tamen proprie nec Praemia ſunt nec bona, quia in eos non quadrant. Non ſunt ipſi his digni; ex dignitate vero illa et quadratione pendet omnis eorum bonitas atque ſuavitas, et tota Praemiorum ratio; quid enim juvat honorari cum te ſcis honore indignum eſſe? Hoc non eſt jam honorari, ſed ludi potius aut irrideri. Aut ſi ex aliorum ignorantiâ honos ille deferatur, eo nempe, quod illi probum te exiſtiment, jam honor ille non in te, ſed in aliam aliquam perſonam, quam te ſuſtinere putaverant, cadit.

### §. 8. *Ultimum Praemium Virtutis.* *Ipſa virtus.*

Cum vir bonus, ita tandem penitus pacatus et tranquillus, a turbis ſuarum paſſionum liber, totus jam vacat Rationi, adeoque ſapientiam ſibi comparat, doctrinam, et diſcipulos; ex acri illa et aſſidua contemplatione Rationis ſeu divinae legis, ſummopere creſcit in eo amor erga Rationem. Ratio enim tam eſt pulchra atque divina, ut (quod vulgo de ſcientiis et artibus jactatur adagium) *neminem habeat inimicum niſi ignorantem.* Atque hic amor Rationis rurſum eſt virtus (ut

patet ex definitione Virtutis), atque etiam ipſa Virtus eſt inter ſua Praemia, et quidem pulcherrimum maximumque ſui Praemium, et merces ipſa eſt; quod et Poëta vidit, cum dicit:

*Ipſa ſui merces rerum pulcherrima Virtus.*

Itur itaque divino prorſus et aeterno circulo de Virtute in Virtutem. Felix qui ſe ipſum et deſideria ſua omnia intra hunc circulum concluſit, et qui ideo tantum probus eſſe vult, ut ſemper magis magiſque probus ſit.

§ 9. *Poena Peccati.*

Non una eſt, ſed quam plurimae; omnes curſim et in genere hoc §. perſtringemus.

Cum igitur *peccatum* non ſit aliud quam *amor ſui*, hinc naſcitur primum in malis diligens *auſcultatio ad ſua commoda et voluptates*, et modos eos quibus haec comparari poſſunt; quae *ſollicitudo ſeculi* (ut Chriſtiani eam vocant) et reſpondet Diligentiae; ſicut enim Diligentia eſt prima filia Virtutis, ſic Sollicitudo eſt prima filia Peccati. Haec autem conjungitur cum magna triſtitiâ et anxietate. Triſtitia quidem oritur ex eo, quod bono ſuo, quod unice et tam impenſè amant (id eſt, ſibi ipſis) tam multum de eſſe videant; Anxietas vero, quod tam difficile videant eſſe ſupplementum omnium iſtorum defectum, et quod cupiditates ſuas tam aegre exſaturare poſſint. Diſcunt enim experientiâ, et ipſo ſenſu (nam ad Rationem non magnopere attendunt), ſe, quo plus habent, eo plus deſiderare; atque adeo ſemper egenos et mendicos eſſe ſe, ad quamcunque devenerint fortunam. Ex ſollicitudine, tanquam labruſcâ quadam malae iſtius vitis, naſcitur calliditas, aſtutia, verſutia (quae a Chriſtianis *prudentia ſeculi* vocatur), et conſiſtit in perceptione ac intelligentiâ mediorum, quae faciunt ad commoda et voluptates ſuas.

Poſt haec oritur *ſervitus* (quae reſpondet inter filias Virtutis Obedientiae), qua ſibi ipſis ſerviunt mali, omnia, quae per verſutiam ad ſui commodum ſpectare intellexerant, exſequentes. Hujus autem amariſſimi fructus ſunt infinita taedia et calamitates, turpitudines, et vernilitates, ad quas ſe ipſi inter ſerviendum ſibi abjicere debent; cum tam multa paſſim illis occurrant in hac ſervili ſervitute contra animi ſui ſententiam. Quam ſaepe enim media, quae callide ad ſua

commoda voluptatesque adhibuerant, fruſtrantur eventu ſuo et optato ſucceſſu! Navis commode parata erat, examuſſim inſtructa, in Indiam ſolvit, ſed tempeſtate demergitur, aut a praedonibus capitur; oratio, diſputatio optime erant inſtructae ad gloriam et laudem, ſummâ curâ compoſitae, ſummo ſtudio elaboratae, honor vero nullus ſucceſſit, nullus applauſus, ſed ludibrium et irriſio. Quae omnia in bonum virum nunquam cadere poſſe, ſatis patet ex ante dictis; non vult enim ille niſi Obligationibus ſuis parere, quibus etiam tum paruit maxime, cum media, quae ad certum finem deſtinaſſe videbatur, vel maxime ſucceſſu ſuo fruſtrari videntur.

Poſt ſervitutem, aut cum illa, naſcitur *anguſtia* (haec inter filias Virtutis Juſtitiae reſpondet). Hac anguſtiâ mali praeciſe tantum faciunt, quantum ſpectat ad ſua et ſe; v. g. tantum et eouſque bene faciunt aliis, quantum et quouſque remunerandos ſe vident, aut quantum ſpectat ad gloriam, pompam, et ſimiles paſſiones; ne hilum plus, etiamſi ſaepe Ratio dictet, aliquid ultra praeſtandum eſſe. V. g. ſi offendant in publica platea aliquem vulneribus confoſſum, ſubvenient, vicinorum opem implorabunt, chirurgum accerſent, etc. (inde enim gloriam ſperant, et nî ſic fecerint, infamiam metuunt); ſed ſi idem illud ſpectaculum illis occurrat peregre, pertranſibunt, nihil in rem illam agentes; aut ſi miſeratione ducti etiam hîc aliquid egerint, certe hoſte vel capitali inimico ſimiliter affecto, eo quod commiſeratio hîc obſit, et odio ſuccubuerit, nihil agent, non ſubvenient; et ita ſemper tantum praeciſe praeſtant, quantum ſui contemplatio permittit, non ultra.

Ex hac anguſtia oritur *deſertio*, qua mali et ſuos deſerunt, et viciſſim a ſuis deſeruntur; unde illorum hic proprius eſt verſiculus:

*Dum fueris felix, multos numerabis amicos;*
*Tempora cum fuerint nubila, nullus erit.*

Tamdiu enim ſibi mutuo adſunt, tamdiu praeſto ſunt et opitulantur, quamdiu mutuum *intereſſe* (ſic vocant) hoc poſtulat; ſed hac cauſâ ſublatâ diffugiunt, et ſe invicem in ſummis calamitatibus ac extremis anxietatibus deſerunt.

Sed dices: etiam boni ſe invicem ſubinde deſerunt, cum vel opitulari non poſſunt, vel etiam ex ignorantia invincibili putant ſe opitulari non debere. Reſp. Boni nunquam proprie ſe deſerunt, ſed ſunt ſemper conjunctiſſimi, tum conſenſu animorum, tum etiam amore

mutuo, ut ſatis patet ex iis quae de Amicitia diximus. Boni tamen aliquando accidentaliter bonos deſerunt, nempe quoad extrema Officia, et accidentalia Praemia Virtutis; ſed hoc conſiderationem non meretur, dum mentem reflectimus ad illud vinculum, quod inter eos eſſentiale eſt. Et verum quidem eſt, malos etiam ſe invicem accidentaliter tantum relinquere; ſed hoc notatu dignum eſt, quod etiam nunquam eſſentialiter conjuncti fuerint. Cum enim eorum quiſque ſe tantum amet, ſemper fuerunt ac ſunt inter ſe deſerti ac derelicti, ſine ulla conjunctione verâ et animorum conſenſu; tantum conſpirant ſubinde in quibusdam mediis, quam conſpirationem *accidentalem connexionem* vocavimus, ubi de Amicitia egimus. Non eſt igitur mirum, ſi ita percellantur et conſternantur mali, cum accidentalem illam connexionem diſſolvi vident, quia nullam habent inter ſe aliam connexionem, nullam etiam cum Deo Amicitiam (ut quae Virtutis ſolius primum et ſpeciale eſt Praemium); unde eo caſu, quaſi uno ictu avulſos ſe, reciſos, et deſertos vident ab omnibus. Boni vero non magnopere affliguntur, etiamſi ſubinde etiam a bonis accidentaliter deſerantur; facile enim vident, ſe cum Deo ſuo, cujus intimi amici ſunt, conjunctiſſimos manere. Tum etiam, cum iis ipſis, a quibus deſeri videntur, manere eſſentialem illam connexionem, quae in ſummo animorum conſenſu, ſummâ ſimilitudine, et ferventiſſimo amore mutuo conſiſtit; hanc tolli non poſſe, quamdiu boni ſunt boni.

Poſt ſervitutem, anguſtiam, et derelictionem oritur ex peccato turpiſſima ejus filia *ſuperbia*, quae non aliud eſt quam *contemptio Rationis;* ita ut peccatum *perverſum* ſit ordine, atque praepoſterum. Virtus enim, quae ſola ordinata eſt, incipit ab amore Dei ſeu Rationis, et deſinit ac conſummatur in contemptu ſui; peccatum vice verſâ incipit ab amore ſui, et deſinit ac conſummatur in contemptu Rationis ac Dei; merito igitur *perverſitas* vocatur.

Tandem, quia Ratio per Paſſiones, incrementum indies ſibi aſſumentes, magis continuo magisque obfuſcatur; hinc illam continuo magis ignorantes, magis etiam continuo contemnunt et negligunt, magis omnia ad ſe ſolos dirigunt, et ſe ſolos in rebus omnibus ſpectant; adeoque peccatum etiam ſui Poena fit.

Quantum ad *indignitatem* improborum, facile haec per analogiam (oppoſitionem) ad proborum dignitatem intelligitur. Sunt *odibiles*,

funt *ferviles*, imo *fervi;* funt infames feu *infamiâ digni;* funt *contemptibiles; nati* funt incredibilibus *anxietatibus*, miferrimâ triftitiâ, et defperatione *affligi;* quae omnia fatis fuperque intelliguntur ex ante dictis.

## § 10. *Antipathia Malorum erga Bonos.*

Virtus quidem confiftit in intentione, feu propofito animi. Quod quidem fecundum fe abftrufum eft, et ad oculos aliorum hominum non pertinet; fubinde tamen, praefertim in vulto et oculis, nefcio qua fuavitate et honeftate fe prodit, tum vero efficit in improbis multas Paffiones, quas averfationes, taedia, faftidia, contemptus, et uno verbo *antipathias* nominare poffumus.

Secundo improbi, deprehendentes *diligentiam* proborum, praefertim qua parte averfionem a rebus fenfibilibus fpectant, non confiderant probos aliter quam ftupidos, hebetes, infenfatos; quia fcil. rebus fenfibilibus, quibus fe tantopere capi vident, quibus occupantur et immerguntur toti, nuncium remittunt probi. Prudentiam fapientiamque, quam ex diligentia fua confequuntur probi, improbi non confiderant aliter quam ut ftultitiam, utpote quae probos nullatenus inftruat circa fua commoda, fed potius obtufos eos et inidoneos reddat, ubi res eorum agi videtur.

*Obedientiam*, qua quod dictaverat Ratio exfequuntur probi, habent pro intolerabili dementia, et velut pro fummo gradu ftultitiae. Aliquatenus enim adhuc ferunt eos qui fpeculative fe habent in negotio Virtutis; imo fe ipfos aliquando cum illis numerant (gloriofum enim hoc illis videtur, et argumentum acris ac fubtilis ingenii); fed hoc in praxin, hoc ad ufum vitae reducere merae infaniae effe cenfent. *Non funt haec*, inquiunt (quae hodie ufitata phrafis eft), *de pane lucrando*; *His caminus non fumat.*

*Juftitiam* improbi habent pro futilitate, pro minutiis, et miferia; cumque Juftitia Deo et Rationi fatiffaciat, improbis minime fatiffacit.

Tandem *humilitas* fola eft, quam aliquando mirantur in probis; unde ab hac incipit eorum hypocrifis: et omnes fere improbi, qui fub Virtutis larva aliis fe venditant, primo fimulant humilitatem. Unde boni aliquatenus per humilitatem tuti funt apud improbos; non obfunt enim omnia ad fe rapientibus, ii qui fua negligunt, et Deo

ac Rationi tantum ſerviunt. Ex quo etiam fit ut improbi, quo a mutuis fraudibus, rapinis, et violentiâ tuti ſint, ſimulent ſe humiles eſſe, ſe ſuorum commodorum rationem nullam ducere, ſed Deo tantum et Rationi vacare, ſperantes enim hoc pacto evaſuros ſe (et evadunt ſaepe ſatis caute) mutuos caſſes.

Interim quia humilis ita negligit ſua commoda, ut tamen Deo et Rationi obediat, qui ſubinde jubent aſpirare ad dignitatem aliquam, ad opes, etc., quae mali per ſe appetunt, hinc ſubinde fit, ut boni ſimul ac mali competitores ac corrivales ſint, ſeu idem appetant et ambiant, diverſiſſimo quidem propoſito, ſed tamen idem. Tunc vero ab improbis peſſimo odio habentur probi; cogitaverant enim, et ita animum ſuum induxerant, probos Deo ſuo et Ratione contentos eſſe debere (et ſane ſic contenti ſunt boni, ac libenter aliis cederent, niſi Deus aliter juberet), nihil illis juris dandum eſſe in rebus hujus mundi, abarcendos a dignitatibus et muniis publicis, ab opibus et honoribus prohibendos. Unde improbi longe aegrius ferunt probum competitorem, quam aliquem ſibi quadamtenus ſimilem, id eſt, improbum.

Quantum ad *Praemia Virtutis*, haec dum patent, ingentem improbis creant invidiam; ſed pleraque pulcherrimaque iſtorem Praemiorum latent improbis; et imprimis *Amicitiam*, quae inter Deum et virum probum intercedit, irrident et explodunt, tanquam melancholicum aliquod et fatuum commentum. Dum nihilominus vident aliquando externos aliquos iſtius Amicitiae fructus, et proborum res ita dirigi, adeo ut ipſi improbi omnibus ſuis fraudibus, ſtrophis, et malis artibus, omni ſuâ ſaevitiâ et potentiâ, nihil contra illas perficere aut valere poſſint; — tum vero dirumpuntur, et diras tum in bonos, tum ſaepe etiam in eum qui bonos tuetur, Deum (quod dictum horribile eſt) evomunt. Nihil enim aegrius ferunt, et pro indigniſſimo habent, quam humiles illos, et nullam ducentes ſui rationem, tam bene agere, tam e re ſua agere, ac ſi id unum egiſſent (quod equidem ipſi egerunt nunquam), ut rebus ſuis quam optime conſulerent. Unde nonnunquam illis hoc in ore: *Stolidis et felicibus nihil opus eſt ſapientiâ;* intelligunt nempe perverſe admodum per ſapientiam ſuam calliditatem et ſuas ſtrophas, quibus ſe jactant et velut ſapientes venditant.

Quantum ad *Pacem cum Paſſionibus*, et tranquillitatem bonorum,

haec illis, utpote in fronte aliquatenus ſedens, ſatis pulchra et amoena videtur; ideoque glorioſum exiſtimant illam etiam habere. Cum vero ſe illâ quam maxime carere videant, ſimulant illam altâ ſimulatione et hypocriſi; unde quoſdam eorum videas, qui patientiſſimorum hominum modeſtiſſimorumque verae ſimiae ſunt.

Quantum ad *Sapientiam*, de ea diximus; pro ſtultitia illam habent improbi. Sed *doctrinam* peſſime oderunt in bonis, praeſertim cum vident ſe ab ipſis tam ad vivum depingi, ita ſuis coloribus totam ſuam perverſitatem et calamitatem delineari, et prorſus graphice deſcribi; quod plerumque tam feliciter probi faciunt, ut inſtar Dei alicujus videantur intimas eorum cogitationes inviſere, miſeriaſque, quas altâ ſimulatione premunt improbi (ut pro parte videre potes, ubi de Mundo diximus), penetrare et pervadere. Unde etiam, cum probi per doctrinam ſuam generaliter loquuntur (doctrinae enim atque ſcientiae univerſalium ſunt, et non ſingularium, ut Scholis omnibus decantatum eſt, et verum), ita tamen vivaciter rem totam explicant, eamque (quod dicitur) acu tangunt, ut improbi, qui eos forte audiunt, ſe ſigillatim atque in individuo notari putent; quo tantopere exacerbantur, ut ſaepe conſpirent in necem probi viri. Quod genus necis *martyrium* Chriſtiani vocaverunt, et quam pluribus bonis propter doctrinam accidiſſe memorant.

*Dignitatem* viri boni etiam contemnunt improbi, ſed Actum iſtius dignitatis, ſeu Praemia accidentalia Virtutis, in pretio habent, et omnino ea ſibi vindicare volunt. Honorabiles eſſe non volunt, ſed honorari; non regii, ſed reges eſſe et tyranni; non laudabiles, ſed laudati; denique non digni voluptatibus, nec ii eſſe qui nati ſunt in voluptatibus eſſe, ſed tamen in voluptatibus eſſe volunt. Ex quibus clariſſime patet, illos penitus negligere Deum, Eſſentiam, Naturam, Dignitatem; ſed tantum adhaerere accidentibus et contingentibus, in his totos eſſe; quae ipſorum vanitas eſt, ut bene a Chriſtianis notatur.

Quia vero haec accidentalia Praemia revera et in pura ſua natura haberi non poſſunt ſine Virtute, hinc omnes improbi aliquatenus ſunt hypocritae, et ſicut tantum habent ſpeciem Virtutis, non ipſam Virtutem, ſic etiam ſpeciem tantum et umbram hujus aut illius Praemii accidentalis, nunquam vero ipſum Praemium conſequuntur. *Honor* enim (ut unum exemplum ſit inſtar omnium), qui improbis exhibetur,

aut per vim extortus, aut per adulationem fictus, aut ex ignorantia delatus eſt; quis autem non videt nullum horum honorum honorem eſſe? Nam qui ex ignorantia defertur, cum ſcil. probi exiſtimantur, verus quidem honos eſſe poteſt, ſed non cadet in ipſos, aſt in perſonam illam quam ſuſtinere exiſtimantur, id eſt, in perſonam viri boni; qui vero per adulationem fictus eſt, certe fictus eſt, nec potius ad verum honorem pertinet, quam is quem ſcenico tyranno defert ſatellitum et procerum ficta illa in theatro turba. Denique qui per vim extortus eſt, non magis valet, quam omnis qui per metum extorquetur contractus; hic ipſo jure, ipſo naturae lumine nullus eſt. Et alioqui clariſſime omnes intelligimus, teſtimonium, quod in ſilvis forte, ſub ſica latroni dedimus, nullum eſſe teſtimonium, nec poſſe ei alibi prodeſſe, etiamſi virum bonum eſſe mille modis ibidem teſtatur eſſe. Simile quid facile intelligetur de regimine, voluptate, et aliis accidentalibus praemiis Virtutis, cum ea ſubinde in malos derivari aut detorqueri videntur; cum enim bene examinantur, et non tantum ex fronte aeſtimantur, videbimus haec omnia in improbis commentitia eſſe, et nomen quidem ac exteriorem ſpeciem apud popellum prae ſe ferre, caeterum re ipſâ et energiâ carere.

---

# TRACTATUS VI.

## DE PRUDENTIA.

### PROOEMIUM.

Videmus jam fatis, in quo confiftat ratio Virtutis; videamus jam quaedam dogmata, quae Ratio, quam virtute amamus, nobis dictat, quaeque ex illa per diligentem aufcultationem, tum nos nonnunquam, tum ante nos homines alii arripuerunt; hoc enim Prudentiae munus eft. Eftque haec pars feu hic Tractatus propriiffime Ethica; nam Practicam complectitur, cum praecedentes illae partes ad Theoriam quodammodo et Metaphyficam fpeculationem nonnihil vergant.

Prudentia late dicta comprehendit fub fe quatuor partes, nempe *prudentiam ftricte dictam* (de qua egimus Tract. I. circa Diligentiam), *circumfpectionem*, *providentiam*, et *difcretionem.* Igitur hîc tantum nobis dicendum eft de tribus reliquis.

### §. I. *Circumfpectio.*

*Prudentia* ftricte dicta ipfam Rationem intuetur, atque ejus dictamen percipit; *circumfpectio* vero actionem intuetur, eamque fecundum omnes fuas circumftantias fic ordinat atque difponit, ut per omnia Rationis dictamini confentiat; feu hoc agit *circumfpectio*, ut talis fit actio, qualis contemplanti prudentiae eft Ratio. Sicut pictor quidem primo prototypon fuum intuetur, v. g. hominem quem depingendum fufcepit; poftea vero illo in prototypon profpectu, fimilem picturam efformat; — fic Prudentia ftricte dicta percipit quod Ratio dictat, Circumfpectio autem ex illa perceptione fic actionem limitat atque ordinat, ut ab Obedientia talis omnino actio prodeat, qualem in Ratione praecipiente Prudentia perceperat.

*Circumspectio* igitur potissimum versatur circa actionum circumstantias, easque accurat et exigit ad dictamen Rationis. Nam quod in aliis licitum et honestum circumstantiis, id in aliis illicitum est et turpe. V. g. licet magistratui, reum capitalis criminis convictum interimere, privato non licet; licet viro opulento multos in convivium amicos adhibere, pauperi non item; licet hîc noctu sine luminibus in publicum prodire, alibi, ubi magistratus id ipsum inhibuit, non licet.

Circumstantiae, quibus dispiciendis Circumspectio occupatur, continentur hoc pervagato versiculo:

*Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?*

1. Quis?

*Quis* denotat personam et condicionem agentis; v. g. an magistratus, an privatus sit; an dives, an pauper; an versatus in negotio quod exsequendum est, an rudis, etc. Et penes hanc condicionem magnopere variat honestas et turpitudo actionis; nam quod magistratui licet, saepe privato non licet, et contra; quod diviti licet, saepe pauperi non licet, et contra. V. g. dives donare potest, pauper non potest; pauper accipere potest a multis, a quibus accipere sine turpitudine non potest dives; et sic potro.

Symbolum in hanc circumstantiam, et velut oraculum quoddam, quod Ratio hic fundit: *Ipse te nosce;* item: *Tuo te pede metire.* Quod oraculum longe sapientissimum est, ex quo nos, bono cum Deo, totam Ethicam deduximus, uti videre est Tractat. 1. circa Inspect. sui. Hîc vero oraculum illud applicandum est ad familiariores quasdam et frequentiores considerationes, v. g. an bonâ valetudine sis an adversâ, dives an pauper, doctus an indoctus, indigena an alienigena sis, et sine fine talia, penes quae actio moralis multum variat. Et prudentia alia atque alia agenda videt ac omittenda in suo prototypo, quod semper contemplatur, nempe in Ratione.

2. Quid?

Haec particula designat *actionem exercendam*, et etiam ipsum *opus*, quod actione ponitur; v. g. an ambulaturus sis, an domi studia tua

curaturus? an convivio accepturus, et quos accepturus? an daturus librum, pecuniam? etc.

Symbolum hîc: *Ne quid nimis;* de quo ſatis dictum eſt Tract. 4., ubi de Diabolo.

### 3. Ubi?

Haec particula deſignat *locum* et *perſonas actionem circumſtantes;* an ſcil. privatim an publice fiat actio? an apud alios, an ſemotis arbitris? an inter doctos et intelligentes, an vero inter idiotas et rudes? et clariſſime conſtat, actionem ſaepe apud hos licitam et laudabilem, apud illos illicitam eſſe, et vituperatione dignam. Sic v. g. profundas aliquas et ſubtiles ex Metaphyſica vel Ethica deſumptas quaeſtiones apud populum et ignaros diſceptare, periculoſum ſaepe et vitio non caret; apud probos vero et ſapientes licet omnino, et perutile eſt; ut ſi dicas peccatum eſſe, ex miſericordia et compaſſione commotum aliquid facere, male id ſonat apud populum, apud eos autem, qui in Ethica vera bene verſati ſunt, nullum ea res difficultatem habet. Noverunt illi ex Rationi faciendum eſſe, quicquid rite faciendum eſt, ex Paſſione vero quicquid fit, male fieri.

Symbolum hîc: *Deus videt.* Quo monemur, Deum, ubicunque locorum agamus, ſemper ante mentis oculos obverſantem habere. Nunquam ita ſecedimus ab aliis omnibus, ut Deum fugiamus; nunquam ita tecti et abſtruſi ſumus, ut non oculis ejus nudi apertique ſimus; nihil enim latet ei, qui ex eſſentia et natura ſua omniſcius eſt. Ineptum igitur nobis videri debet, ſi putemus nos latere cum humanos oculos effugimus, expoſiti interim oculis divinis.

Verum hîc caute attendendum eſt, ne juxta hoc ſymbolum agere volentes ex timore vel ſimili aliquo affectu agamus, timore ſcil. ne aliquando vindictam de peccatis ſumat, ideoque peccatis abſtinentes, ſed ut ipſum prae oculis jugiter habentes, meminerimus legis quam nobis tulit, eique ſemper obediamus. Cavendum etiam, ne loco Dei ſinamus nobis homines, aut hominem aliquem obtrudi, quem prae oculis ſoli ſemper habeamus, ut volebat Epicurus. *Aliquis vir bonus,* inquit, *nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus.* Seneca in Epiſt. 11., et 25.: *Sic omnia fac, tanquam ſpectet Epicurus.*

Ubi fe ipfum a fuis, cum foli fint, pro oculis femper haberi vult; fed malo illo Dei vicario tota moralis difcipiina fubvertitur, dum affuefcunt homines ad exiftimationem fe componere, nec ad rigidam Rationis normam, fed ad Lesbiam regulam vanitatis et opinionis exigunt. Una falus erat in folitudine, quam imaginaria ifta celebritas, quam Epicurus infert, et Seneca locis citatis tam vehementer amplectitur, et in quam naturae vitio plus fatis propendimus, interturbat. Itaque vir bonus femper habebit Deum ante oculos, nullum hominem, folum autem Deum, idque ut affuefcat non Rationi obedire, ut fua eft (quod admodum lubricum eft, et ad philautiam certiffime vergit), fed ut Dei eft, mente fcil. ejus concepta, et ad inftar legis ab ipfo nobis lata.

## 4. Quibus Auxiliis?

Haec particula defignat *media quae ad finem adhibemus.* Et media quidem, fi per fe bona funt, non ideo tamen abfolute bona erunt, nifi intentio noftra et finis fimul bona fint; contra vero fi media mala fint, non ideo fiunt bona, quia finis bonus eft. V. g. dare pauperi eleemofynam, bonum eft per fe, fed dare pauperi eleemofynam, ut fubornes eum ad accufandum vel interficiendum innocentem, malum eft; contra vero fervare vitam fuam, bonum eft, fed occidere innocentem (juffu v. g. tyranni, qui tibi necem minatur, nifi innocentem occideris) ut vitam tuam ferves, malum eft; unde axioma Ethicum eft: *Malum medium inquinat optimum finem, et optimus finis non expurgat malum medium.* Prior pars axiomatis in priori, pofterior in pofteriori exemplo declaratur; fic etiam efferri poffunt: *Non funt facienda mala ut eveniant bona; et non funt bona, quae fiunt ut inde eveniant mala.*

Symbolum hîc: *A minimis maxima.* Quo monemur, abjecta etiam media et nullius fere momenti non repudiare, cum ab illis pendeant fines praeftantiffimi. V. g. horulam, imo quadrantem horae quotidie impendere rebus Ethicis, et potiffimum fui ipfius infpectioni, leve et parvi momenti videatur; eo tamen pulcherrimum finem confequimur, nempe Virtutem et Sapientiam; fimiliter ftudio Logices, etiamfi id appareret rei minutae et abjectae, fi fingulis diebus aliquantulum

vaces, facile pervenies ad ſummam ingenii dexteritatem, habilitatemque ad alias quaſlibet humanas ſcientias acquirendas.

Valet etiam oraculum in rebus malis; nam a leviſſimis peccatis, dum haec contemnuntur, facile venitur ad ſumma ſcelera; ut notum eſt de fure illo Aeſopico, qui ultimo ſupplicio daturus poenas, matri oſculum per ſimulationem, et velut extremum Vale offerens, naſum ei demordit, addito elogio: *Si, cum primo libellum a conſodali meo puer abſtuli, me ut meritus eram caſtigaſſes, non huc deveniſſem.* Ideoque nunquam temere committenda ſunt, in quibus vel tantillum apparet malitiae.

Sic etiam ex erroribus Logicis, qui admodum leves videntur, et quos vix operae pretium videatur obſervare, praecipitant homines in graviſſimos errores Phyſicos et Metaphyſicos, haereſes, et impietates; ut patet vel ex ſola mala definitione *corporis*, ex qua confuſio rerum ſpiritualium ac materialium, quae confuſio certiſſimum omnis impietatis fundamentum eſt; vide Metaph. noſtr. part. 2.

### 5. Cur?

*Cur* denotat *finem quem nobis praeſtitutum habere debemus;* is autem finis eſt Deo et Rationi obedire, ut ſatis patet ex ante ſaepe et ſaepius dictis.

Symbolum eſt hîc: *Age quod agis.* Tunc dicimur *hoc agere*, item *agere quod agimus*, quando tantum praeciſe facimus, quantum finis poſtulat; cum vero aliquid agimus, quod parergon eſt, quodque ad finem illum non facit, quem nos praeſtitutum habemus, tunc dicimur alias res agere. V. g. viator, quamdiu properat et ad locum illum continuo pergit, ad quem iter agit, tamdiu *hoc agit*, tamdiu *agit quod agit;* cum vero amoenitate pratorum viae adjacentium, diverticulorum deliciis, obviorum fabulis detentus, haeret in via, et inſtitutum iter ſuſpendit, tum vero aliud agit.

Monet igitur oraculum, ut media noſtra metiamus ex fine noſtro; et tantum praeciſe circa illa occupemur, quantum ea faciunt ad finem conſequendum, non citra, non ultra. V. g. Deus juſſit vivere; ei vis obedire? tantum ergo velis vivere, quantum ille juſſit, non plus non minus; et proinde, ſi adverſa ingruant, injuſſu ejus non exi; ſi mors occupet, non opta longiorem vitam. Quia autem vivere vis, ideo

et edere vis? tantum igitur ede, tantum bibe, quantum ad vitam ſatis eſt. Quia autem edere et bibere vis, condicionem aliquam vitae ſectaris, ut ſuppetat unde edas et bibas? tantam igitur ſectare, quanta ad id ſatis eſt; non ad majorem ambitio, non ad minorem te compellat ignavia. Recreare vis animum, ut Officio ſuo par ſit? tantum igitur recrea, quantum requiritur ut par ſit; non diſſolvat te luxuria, non ſtrangulet te ſcrupuloſa quaedam et perverſa ſobrietas.

Itaque oraculum juſtitiam quandam nobis commendat, quae conſiſtit in proportione mediorum ad finem, ut nunquam plus minuſve ſit in mediis, quam requirat finis. Media enim ſaepe in ſe habent aliquid, quo nos abducunt a contemplatione finis, et in ſui contemplatione detineant; eatenus vero exuunt rationem mediorum, et induunt rationem finis, ſimulque peccatum nobis injiciunt, qui ordinem pervertimus, et quae media eſſe debuerant, finem facimus. Veluti cum imminente morte optamus longiorem vitam, jam lex Dei non eſt nobis *finis obedientiae*, ſed nos ipſi ſumus nobis *finis concupiſcentiae*; nempe nos finis *cui*, et vita noſtra finis *cujus*. Similiter cum paſtui indulgemus plus quam ad vitam requiritur, jam finis noſter ſubordinatus non eſt *vita* (ut eſſe debuerat), ſed finis noſter ultimus eſt *jucunditas*, quae ex paſtu percipitur. Et ſi condicionem vitae lautiorem velimus, quam ad vitam tolerandam ſufficiat, jam paſtus non eſt *finis* noſter *ſubordinatus* (ut eſſe debebat), ſed delectatio quaedam ad mundum pertinens, quae ex ſtatu et pompis percipitur, et finis noſter *ultimus*. Et ſi recreari et refici amplius velimus quam ad partes noſtras bene replendas requiratur, jam recta functio muneris noſtri non eſt finis noſter *ſubordinatus*, ſed ipſa illa delectatio *finis cujus ultimus*.

### 6. Quomodo?

*Quomodo* ſignificat *modum actionis;* v. g. an languide an ferventer, an joco an ſerio, ſevere an comiter, ſimulate an ſincere fiat actio?

Symbolum hîc: *Serio et Sincere. Serio* dicimur agere, quod non per jocum, non etiam languide, ſed ſtudioſe, cordate, deliberate agimus. Debet autem viri boni omnis actio *ſeria* eſſe; non quod jocari, ridere, ludere, etc. ſit interdictum, ſed quod haec, dum in virum bonum cadunt, naturam ſuam quodammodo exuant, mutent, et ludicra

esse desinant, fiant summe seria. Nam jocari, ridere, ludere tali mente, quali hoc a viro bono praestatur, et prout Tract. 1. circa 6. Obl. describitur, non est jam jocari, ludere, ridere, sed legem Dei exsequi tam serio, tam cordate, quam cum maxime.

*Sincere* etiam debet esse actio boni viri, id est, non aliter exterius exhibita quam intus ab ipso concepta. Nulla enim Ratio est, cur aliquid simulet, quandoquidem id quod agit sit optimum; nec hominibus placere studeat, sed tantum Deo et Rationi obedire. Nihilominus hîc subinde opus est discretione, et etiamsi nihil simulet vir bonus, quaedam tamen celat et silentio premit; etiamsi nunquam aliorum nequitiae consentiat, saepe tamen eam non reprehendit, et nec dicto nec facto contravenit. Quo casu quidem imprudentioribus ficte ac dissimulanter facere vir bonus videtur; sed errant hi, et longe aliud est celare veritatem, aliud mentiri; item aliud cooperari nequitiae alicujus, aliud non contravenire, ut paulo infra patebit, ubi de Discretione.

### 7. Quando?

Haec particula significat tempus quo actio exercenda est.

Symbolum hîc: *Deliberandum est diu, exsequendum cito.* Quo monemur non agere nisi post maturam deliberationem, qua actionem ejusque circumstantias circumspecte perpendimus. In ipsa vero actione, quam post maturam deliberationem exercemus, non haereamus, non interpellemus illam parergis, sed uno et continuo ductu perducamus cito et sedulo ad finem; cujus ratio satis patet ex principiis nostris Ethicis

## § 2. *Providentia.*

Ex *Circumspectione* naturaliter consequitur *Providentia.* Cum enim diligenter consideramus circumstantias actionis exercendae (quod Circumspectionis officium est), facile videmus, quid ex actione nostra, tum circa nos ipsos, tum circa alios homines emanare possit (quod Providentiae munus est).

Inter partes Providentiae facile prima est, *cavere Scandalon.* Scandalon vero non est aliud quam occasio peccandi sumpta ex alterius alicujus actione; ut si alicui convitium facias, ille vero inde irritatus et excandescens aliis te adoriatur, ad manus et ferrum veniat; hîc illa tua actio, qua convitium fecisti, Scandalon est.

*Scandalon* dividitur in *datum* et *acceptum* (Theologi illud infirmorum, hoc vero Scandalon Pharifaeorum vocant). Scandalon *datum* eft Scandalon *proveniens ex culpa ejus qui illud ponit;* ut invitatio, adhortatio, et compulfio ad potandum et evacuandum fcyphum, unde alterius ebrietas fequatur. Scandalon *acceptum* eft Scandalum *fine culpa ejus qui illud ponit,* et tantum *cum culpa ejus qui accipit illud.* Tale erit, fi vir probus honefte fe in omnibus gerens, adeoque quam plurimis hominibus quibufcum agit diffimilis, incidat in odium et faevitiam ipforum; honeftas enim ejus viri et innocentia eft illis Scandalon, feu occafio peccandi, fed occafionem, quam illi accipiunt, vir bonus illis non dedit. Debet ergo vir bonus fibi cavere a Scandalis prioris generis; cupit enim quam maxime Deo et Rationi obtemperari, non a fe modo, verum etiam a quibusvis aliis, unde cautiffime femper providet, ne quam alii homines ex ejus actionibus, honeftis licet et bonis, arripiant occafionem peccandi. Unde faepe quaedam omittet, quae alioqui facere ei integrum foret, quando videt pofiturum inde Scandalum. A Scandalis vero pofterioris generis, quae mere ex accipientium nequitia proveniunt, cavere fibi vir bonus non debet, fed merito negligit illa; nempe totam fibi alioqui Rationem et legem Dei deferendum effe novit, fi ea cavere velit.

## § 3. *Difcretio.*

*Difcretio* eft pars Prudentiae fubtiliffima, quae verfatur circa diftinguenda ea, quae prima fronte et vulgari judicio aut eadem, aut admodum affinia funt, inter quae tamen difcrimen Ethicum permagnum eft, eo quod alterum eorum bonum, alterum malum fit.

Et in hoc genere occurrunt primo *commiffio* et *permiffio;* quae faepe populo videntur effe ejusdem rationis ac naturae, cum tamen multum inter fe differant; faepe enim permittere licet, quod nulli committere licet. V. g. fi tyrannus petat fibi tradi innocentem a republica; ni tradatur, excidium minatur; non licet reip. obedire, et innocentem tradere (hoc enim effet malum *committere,* et tyranni faevitiae cooperari), licet tamen permittere, ut tyrannus innocentem illum per fuos fatellites capiat (hoc enim tantum eft *permittere* ut innocens capiatur, quod cum tanto incommodo et innocentium clade refpubl. non tenetur interire).

Ut autem haec et similia *discretionis* exempla melius intelligas, nota, idem medium aliquando servire ad duos fines, quorum alter bonus est, et quem intendere per se licet, alter autem malus, et quem nullo casu licet affectare. V. g. exsilire e turri quae incenditur, servit ad fugam ex incendio (et haec fuga bona est, atque hanc etiam affectare et velle licet), et servit etiam ad propriam necem (et haec mala, nec licet eam affectare).

Nota *secundo*, medium, quod sic servit ad duos fines, subinde servire ad bonum finem independenter a malo fine, seu natura prius utile esse ad bonum finem, antequam utile sit ad malum finem. V. g. exsilire e turri in casu posito, prius servit ad fugam ex incendio quam ad sui ipsius necem; imo ad istam fugam facit, et utile est exsilire, indepenter omnio a propria nece.

Nota *tertio*, tale medium aliquando vice versa, prius facere ad malum finem quam ad bonum, aut non facere ad bonum finem nisi dependenter a malo. V. g. cultro pectus sibi perfodere, facit ad fugam ex incendio, et etiam ad necem propriam, sed prius ad hanc quam ad illam; imo ad fugam istam nihil facit istud medium nisi dependenter a propria nece.

Medium postremi generis non licet assumere; hoc enim assumere est committere et positive operari malum. V. g. cultro pectus sibi perfodere in casu posito, non est tantum permittere se interimi, sed est positive se interimere, quod nullo casu licet; nihil enim est tam tetrum et calamitosum in hoc mundo, ut lex Dei antiquior nobis esse non debeat: *Mane quoad te evocem.*

Medium vero secundi generis assumere licet, justâ et proportionatâ subexsistente causâ; hoc enim non est committere, sed permittere; licet autem permittere malum, cum justa causa subest non impediendi. Sic v. g. qui e turri exsilit, cum incendîtur, et incendium jam ad ipsum pertingere incipit, non se interimit, sed fugit ex incendio; permittit autem se interimi, cum inferne ad aream gravitate sua alliditur.

Hinc facile solvitur etiam, an, qui ob falsum crimen quaestioni subjectus est, posset crimen illud sibi imponere, er confiteri se reum quo a tormento quaestionis liber sit? Certum est non licere; nam medium illud (confessio criminis) servit ad bonum finem (liberationem

a tortura) tantum dependenter a malo fine (extremo fupplicio), quod judex fumet a reo confitente, licet innocente.

Item an liceat militibus navalibus ignem conjicere in pulverem pyrium, ne navis veniat in poteftatem hoftium? Id plerumque non licet; quamvis enim prius hoc medium ferviat ad bonum finem quam ad malum, prius ad exemptionem navis e poteftate hoftium quam ad necem oppugnatorum, vix unquam tamen contingit hîc adeffe caufam fatis gravem et proportionatam; non enim eft tanti plerumque, navem unam et aliquot homines venire in poteftatem hoftium. Quo etiam facit quod, etiamfi hoftes forte faevi fint, homines tamen fint, et non tam brutaliter ac neceffario acti, ficut lapides, plateae, feu areae, hominem e turri exfilientem allidentes; unde ab illis merito fperari poteft aliqua falus.

Secundo, Difcretio etiam verfatur circa illas materias, quae modo fub legem cadunt, et Ratione vetantur, modo autem in medio relinquuntur. V. g. furari illicitum eft; auferre tamen in extrema neceffitate, quantum illi neceffitati fublevandae fatis eft, non eft illicitum. Ut qui in extrema fame panem auferet a piftore, quo fatisfaciat ifti neceffitati, non peccat, nec furatur proprie; nam furari eft rem alienam auferre, hic vero non aufert rem alienam, fed communem. Nam bonorum divifio inter homines non tam rigide introducta eft, et introduci ab hominibus tam rigide non potuit, ut non iterum in cafu extremae neceffitatis bona omnia communia cenfeantur; idque praecife pro ea parte, quae requiritur ad neceffitati illi fubveniendum. Ubi tamen par eft neceffitas utriufque partis, non licebit auferre; difcretio enim dictat, hîc potiorem effe condicionem poffidentis. Sic in communi naufragio non licet, eum qui tabulam aliquam arripuerit, de tabula detrudere, ut te ipfum falves qui tabulam non habes.

## § 4. *Ignorantia.*

Prudentiae poteft bene confiftere cum ignorantia aliqua. Quamvis enim vir bonus fit fapiens (ut pridem demonftrabamus), multa tamen ignorat; velut modum, quo Deus mundum, et ipfum in mundo pofuit, rurfumque cum ei placet e mundo eripit. Et multa paffim concurrunt talia, quae limites humanae intelligentiae tranfcendunt; quos limites vir bonus egregie perfpectos habet, nec eos unquam ingenii aviditate

aut fciendi cupidine tranfilire conftituit. Hoc enim attentare ftultum effet, et Rationi, quam unice amat, vel maxime inimicum.

Continet igitur vir bonus fe intra cancellos illos, quibus Deus eum circumfcripfit; atque hoc jugiter oraculum in animo fuo affixum et infitum habet: *Magna pars eft fapientiae quaedam aequo animo velle ignorare.*

Infuper cum homo fit vir bonus, neceffe eft multa eum fugere in particularibus fuis circumftantiis et negotiis. *Homo ergo eft, et nihil humani a fe alienum putat.*

Illam modo ignorantiam excludit prudentia, quae non compatitur fecum rectae Rationis amorem unicum, quaeque per diligentiam ex amore illo natam vinci ac fuperari poterat.

Unde *Ignorantia* dividitur in *vincibilem* et *invincibilem.* Ignorantia *vincibilis* eft, *quam pellere potuiffemus, fi debitam diligentiam adhibuiffemus.* Debita autem diligentia eft, quae nafcitur ex Virtute, feu amore Rationis, non vero aliunde. Hanc ignorantiam non admittit prudentia. V. g. mercator oblato contractu infolito non examinat illum; videt lucrum ex illo emanaturum, atque fic celebrat iftum contractum, ultra de eo non laborat; quia vero non examinat illum, nefcit injuftum effe. Haec mercatoris hujus Ignorantia vincibilis eft, et cum Virtute non confiftit: fi enim unice amaffet Rationem oblato cafu, quo illa in materia juftitiae feu commercii laedi poterat, diligenter circumfpicere debuerat, ne laederetur. Sicut filius familias argueretur patrem fuum non amare, fi inter tenebras gladium diftringeret in importunos quosdam et contumeliofos, ubi fufpicio effet patrem fuum medium inter illos forte verfari.

Ignorantia *invincibilis* eft, *quae adhibitâ debitâ diligentiâ non pellitur.* Non quafi vir probus femper adhibeat diligentiam ad Ignorantiam repellendam, quae circa actionem fuam vel certam actionis fuae circumftantiam verfatur; poteft enim fieri, quod ignoret fe ignorare aliquid circa illam actionem. V. g. fi amicus (puta Sejus) fcripferit amico (puta Cajo), ut ferat opem, epiftola autem per incuriam tabellarii non deferatur, laborabit Cajus Ignorantiâ invincibili, et tamen nullam diligentiam adhibuit ad eam Ignorantiam pellendam. Fieri tamen etiam poteft, ut vir probus diligentiam adhibeat ad fuperandam Ignorantiam, quae tamen adhibitâ diligentiâ ei invincibilis manet; ut

ſi Cajus amicum ſuum Sejum indigere ſuſpicetur, ideoque ſcribat Sejo, et opem ei ſuam offerat; Sejus vero prae verecundia recuſet opem, Cajo non advertente, atque ideo exiſtimante, bene agi cum Sejo. Hîc Cajus laborabit Ignorantiâ invincibili, etiam poſtquam adhibuit conatum ad illam amovendam. Videtur ergo in eo ſitum eſſe diſcrimen inter vincibilem et invincibilem Ignorantiam, quod, occurrente ſuſpicione, num forte honeſta ſit actio et Rationi conſentanea, quam exercere decrevimus, examinemus, an examen illius circumſtantiae, circa quam ſuſpicio verſatur, negligamus. Si enim occurrente illa ſuſpicione, antequam illam debite diſcutiamus, properemus ad opus, Ignorantia, quae in nobis circa honeſtatem illius actionis manebit, erit *vincibilis*, et a peccato non excuſabit. V. g. ſi medicus potionem praeſcripſerit, atque interim incidit ei ſuſpicio ex quibusdam indiciis de inſcitia pharmacopoei, vel ejus qui potionem illam paraturus eſt; pergit nihilominus, et rem illam relinquit in medio; haec medici Ignorantia circa inhabilitatem pharmacopoei vincibilis cenſebitur. Nec immunis homicidii labe erit ille medicus, ſi pharmacon male paratum aegro mortem intulerit; imo etiamſi non intulerit mortem, etiamſi etiam bene paratum ſit, etiamſi etiam pharmacopoeus ille intelligens ſit et doctus in ſuo munere, medicus tamen, qui ſic proceſſit, homicidii reus eſt, quia quantum ad ipſum attinet, ſolum caſu factum eſt, ut non occiſus ſit aeger. Si vero nulla occurrat ſuſpicio circa honeſtatem actîonis exercendae, Ignorantia erit invincibilis, et excuſabit a peccato. V. g. ſi idem medicus nullâ ſuſpicione urgeatur, nec ſit cur de peritia pharmacopoei dubitet; hic interim imperitus ſit, et male potionem illam aegro miſceat, indeque mors aegri conſequatur; medicus immunis eſt ab homicidii culpa.

Ignorantia aliter dividitur in Ignorantiam *juris* et *facti*. *Ignorantia iuris* eſt, *qua legem aliquam ignoramus:* atque haec Ignorantia vel eſt *juris naturalis* vel *juris poſitivi* ignorantia. Jus *poſitivum* eſt, quod ex ſola Ratione non ſequitur, ſed ex ratione in his vel illis circumſtantiis poſitâ; v. g. in teſtamento adhibendos eſſe ſeptem teſtes, et alius ſolemnitates. Jus *naturale* eſt, quod ex ſola Ratione ſequitur; adeoque non differt ab ipſa Ratione, ſicut concluſiones re ipſa non differunt a principiis, a quibus concluſiones illae deducuntur. Sic jus

naturale eſt, injuſſu Dei non eſſe hinc abeundum, etc., quae ad Obligationes pertinent alibi a nobis recenſitas.

*Ignorantia facti* eſt, *qua* legem quidem non ignoramus, *ignoramus* tamen *factum noſtrum* iſta *lege vetari*. Ut ſi heres injuſti hominis utatur bonis alienis, quae per hereditatem ad ipſum devoluta ſunt, is quidem non ignorat non furandum eſſe, ſed facile fierî poteſt ut neſciat hanc ſuam actionem, qua hereditatem adiit, ad furtum pertinere, ideoque laborat ignorantiâ facti, non juris.

Et quidem Ignorantia facti ſaepe eſt invincibilis, excuſatque a peccato, ut ferme videre potes in exemplo jam proxime a me allegato. Major eſt difficultas, an Ignorantia juris naturalis etiam invincibilis eſſe poſſet, et a peccato excuſare? Multi ajunt, et exempla adducunt varia; quorum hoc unum eſt: Famulus quidam noſocomii, aegros jam animam agentes aliquoties verſabat in utrumque latus, dictitans ſe id facere, quo citius liberarentur ab anxietatibus et agone mortis; hoc vero quid erat aliud quam aegros occidere? Hic tamen homo videtur laboraſſe Ignorantia invincibili, et a peccato excuſandus.

Sed verius videtur, nullam juris naturalis Ignorantiam invincibilem eſſe, nullam a peccato excuſare. Quantum ad exemplum illud: videtur in illo quaedam Ignorantia facti verſari; non neſciebat ille famulus jus, quod vetat occidere, ſed hoc ſuum factum putabat iſto jure non vetari; putabat enim hoc ſuum factum non eſſe occiſionem, ſed certae ac indubitatae mortis accelerationem, adeoque diminutionem afflictionum, et agonis in morte ſubeundi. Sicuti non videtur culpandus ille reus, qui ad capitale ſupplicium ducendus, tantiſper jejunat, ut mors, quae v. g. laqueo inferenda eſt, magis cita ſit et facilis in corpore non bene paſto.

*Reliqua deſiderantur.*

# ANNOTATA
# AD ETHICAM.

## Ad Tractatus I. Praefationem.

1. Virtutes *Cardinales* ſunt tales virtutes, quae neceſſario concurrunt ad omne Virtutis exercitium; ita ut nullum eſſe poſſit opus bene et ex Ratione geſtum, quod aliqua earum deſtitutum ſit. Tales ſunt hae quatuor: *Diligentia*, ſeu auſcultatio Rationis), et *Obedientia* (ſeu exſecutio Rationis), et *Juſtitia* (ſeu adaequatio Rationis), ac denique *Humilitas* (ſeu ſui ipſius Incuria), Si enim opus aliquod bene rationabiliterque fiat, neceſſe eſt ut auſcultemus, quid Ratio jubeat (alioqui enim caſu benefaceremus; jam autem caſu benefacere eſt abſolute malefacere, ut patebit Tract. ult., ubi de prudentia); ut exſequamur quod Ratio jubet (ſi enim non id quod Ratio jubet, ſed quod Paſſio aliqua urget, fecerimus, opus noſtrum bonum eſſe non poterit); ut adaequemus opus noſtrum Rationi, ſeu nec plus nec minus faciamus, quam Ratio praeſcribat (ſi enim plus minuſve fecerimus, non id fecerimus); et denique, ut noſtrum nullâ curâ ducamur (nam ſi nos ipſos curaverimus, non id fecerimus quod Ratio, ſed quod Philautia, hoc eſt, amor ſui ipſius jubet). P. 6.

2. Tres virtutes Cardinales priores ſatis agnoverunt et Ethnici. Nam Plato, Ariſtoteles, aliique, auſcultandum eſſe Rationi, faciendum eſſe quod jubet Ratio, et id unum eſſe faciendum (quibus punctis *diligentia*, *obedientia*, *juſtitia* continentur), ſatis aperte docuerunt. Et quis eſt qui id ignoret? Sed profunde ignoraverunt quartam, ſeu Principem inter Virtutes Cardinales, *Humilitatem*. Cujus ignorantiae haec eſt ratio, quod totam Ethicam et omne genus morum P. 7.

ſemper direxerint ad utilitatem aliquam, vel ſuam, vel (cum ſublimius aliquid ſapere videntur) ad Reip. Patriae, vel etiam humanae ſocietatis. Inter illos Epicurus, inter hos manifeſte Ariſtoteles et Plato; ſed in hoc magnopere falſi fuerunt. Cum enim Ratio, quam virtute amamus, *lex* quaedam ſit nobis juxta atque integro humano generi lata, de ratione quidem ejus eſt, ut qua talis non ſit beneficium, nec faciat ad utilitatem et commodum noſtrum (ſic enim potius privilegium quam lex eſſet). Imo ſi Ratio, quatenus lex eſt nobis injuncta, reſpiceret commodum, emolumentum, favorem noſtrum, poſſemus ei renunciare; nam lumine naturae notiſſimum eſt, integrum eſſe cuique renunciare ei juri, quod in favorem ſuum introductum eſt. Igitur non eſſet *lex;* nam *lex*, cui obtemperare non debes, cui, cum placet, nuncium remittere potes, non lex, ſed nugamentum legis eſt, ut per ſe notum eſt. Jam vero neque nos in individuo, neque genus humanum univerſum abdicare nos poſſumus illis *legibus*, quas Deus et Ratio nobis injunxerunt; non ſunt ergo qua tales in favorem noſtrum latae; adeoque qua tales extorquent a nobis Humilitatem ſeu Incuriam noſtrum. Vide ad haec Belgicam noſtram verſionem in margine de Humilitate.

## Ad Tr. I. Cap. I. §. 1.

P. 9. 1. Quid ſit amor, dici non debet; res ea nobis per conſcientiam et intimam experientiam quam notiſſima eſt. Cum enim aliquando amemus ipſi, ignorare certe non poſſumus, quid ſit amare. Et id generatim obtinet in iis omnibus, quae ad cogitationes noſtras, ad intellectum, atque ſenſum, voluntatem item, et animi affectus pertinent; haec enim omnia nobis, ut dixi, per conſcientiam notiſſima ſunt, nec poſſunt unquam definitione aliquâ declarari. Saepe tamen ambiguitas quaedam eſt in nomine, quando in re ſumma claritas eſt; tum vero opus diſtinctione aliqua et diſcuſſione ſignificationis ipſius nominis. Quod et hic uſu venit, nam Amphibologia iſta, quae in nomine *Amoris* verſatur, magnorum eſt in Ethica cauſa errorum. Imprimis inde perſuaſum fuit populo (qui per Amorem non ſolet niſi certum aliquem affectum intelligere), totam naturam virtutis in tenero quodam atque ſuavi erga Deum et Rationem affectu (quem *devotionem* paſſim vocant) conſiſtere. Aliis perſuaſum fuit, vitutem ad concupi-

fcentiam aliquam fpectare; et denique aliis alia vifa funt, ut patebit ex fequentibus in textu.

2. Hinc incidenter patet, quam miferi fint illi homines, qui aliis invidere, alios exfecrari, aut quoquo modo odiffe affuefcunt; eliminant enim, quod in vita jucundiffimum eft, *amare.* Facillime autem poffumus omnes, quiqui illi fuerint, amare, etiamfi quorundam fubinde vitia non approbemus. Praetexunt aliqui *antipathias*, id eft, differentias five repugnantias naturales, ficut Poëta:

*Non amo te, Volufi; nec poffum dicere quare;*
*Hoc tantum poffum dicere: non amo te.*

Sed certe haec funt intolerabilia, delicata, et tantum phantaftica, imaginativa quaedam fomnia; quae vi Rationis bonae et confuetudine contrariâ facile eliduntur. Nec decet fapientem aliud magis, quam quod olim de fe Ariftoteles pronunciat, *φιλάνθρωπον*, id eft, hominum amatorem effe, neminem averfari, omnes amplecti.

3. *Defiderium* non eft aliud quam *amor rei abfentis;* adeoque includit in fe dulcedinem (*amorem*) et fimul afflictionem feu acerbitatem aliquam (*dolorem* ex abfentia rei amatae conceptum). *Spes* non eft aliud quam *amor erga bonum futurum, quo fruftrari poffumus;* ideoque includit rurfus in fe dulcedinem (id eft, *amorem* paffionem) et acerbitatem (id eft, *timorem*, ne fruftremur illo bono). *Fiducia* autem non eft aliud quam *magna fpes*, feu *magnus amor cum parvo timore.* Quas quidem definitiones non afferimus, ut quid res eae fint indicemus (notiffimae funt ipfâ confcientiâ, ut jam ante annotavimus), fed ut indicemus, cum bene nos partim et partim male afficiant (ut clariffime in nobis fentimus), juvare nos, qua parte amorem, obeffe vero atque affligere, qua parte alium aliquem affectum implicant.

4. Ex quo patet, homines pleraque propter feipfos facere, et verâ P. 10.
humilitate deftitui (haec enim in fui ipfius incuriâ confiftit, ut annotatum eft in praefatione). Imo patet, illos omnia referre ad fe quatenus homines funt, feu tum corpore colligati. Si enim feipfos abftractos a corpore et humana condicione confiderarent, fatis magna videretur illis ea delectatio, quae confiftit in nuda fuarum actionum approbatione, de qua hîc mentio; fed quaerunt femper delectationem aliquam

crassiorem, sensibilem, et cum corporali motu conjunctam; qualis est amor passio, qui non habetur sine motu concussioneque nostri corporis, praesertim cordis. Ex quo et hoc liquet, eos sibi, quasi deditâ operâ, viam semper praecludere ad veram Humilitatem.

5. Quando actionem aliquam nostram intus et in animo approbamus, dictante nobis conscientia, illam cum recta Ratione seu lege Dei convenire, consequi solet delectatio quaedam, seu amor passio inenarrabilis suavitatis; qua passione ita saepe boni deliniuntur, ut calamitates illas vulgo vocatas, damna, infamiam, squalorem carceris, tormenta, et mille mortes contemnant, imo ne sentire quidem videantur. Sed aliquando approbatio illa animi isto corporali gaudio, quod totum in passione aliqua consistit, destituitur; pendet enim illa passio a constitutione nostri corporis; ita ut subinde quidem causam habeat in mente, sed propter indispositionem non sequatur illa in corpore ipso; et contra subinde nullam habet causam in mente, et sequitur tamen in corpore propter certam ipsius corporis dispositionem; ut gaudere nos aliquando sentimus, nullâ ipsius gaudii subexsistente causâ.

6. Amor passio, seu amor affectionis, est extra genus moris, nec bonus est nec malus in illo genere, nec ad vitium pertinet, sed est res indifferens hîc, seu ἀδιάφορα, sicut videre, audire, et his similia, naturalia quidem sunt, non vero moralia. Sensus enim nostri, et passiones nostrae, sunt ejusdem prorsus rationis, et tantum relatione aliquâ externâ (nam sensus nostros objectis adscribere solemus, non autem passiones) inter se differunt; ut latius patebit infra Tract. 4. ubi ex professo agitur de Passionibus.

7. Tota definitio et natura virtutis hisce paucis vocibus perstringitur: *Virtus est propositum faciendi quod jubet Ratio.* Hoc propositum dulcedine (amore passione) junctum an destitutum sit, nihil refert ad naturam virtutis; optimus est, qui illud propositum habet, etiam cum omnibus illis blanditiis, in quibus amor passio consistit, orbatus est. Orbari autem potest, ut paulo ante notabamus, propter dispositionem corporis minus idoneam ad dulcedinem illam et suavitatem percipiendum in qua amor passio consistit; unde graviter decumbentes, et moribundi, etiam cum viri optimi sint, habeantque in se firmissimum propositum obediendi Deo, et veniendi ad eum qui ipsos e vivis evocat, saepe tamen carent blanditiis illis et suavitate animi, qua

deliniri ſolebant cum corpore valebant; quod equidem eorum probitati nihil officit.

8. Videndum tamen eſt, quem denominet; non enim quemvis amare dicimur, circa quem firmo propoſito verſamur. Igitur firmum propoſitum dicitur amor reſpectu finis-cui (de Fine *cujus* et *cui* dicetur infra Tract. 3.). Itaque ſi quis habeat firmum propoſitum occidendi inimicum, is eo propoſito non inimicum, ſed ſe ipſum (qui hîc finis *cui* eſt) amare dicetur; ita etiam, ſi quis habeat firmum propoſitum legem Dei rite exſequendi, ut eo pacto conſequatur aeternam beatitudinem, illud quidem propoſitum (ſicut alias ſemper) eſt amor, ſed amor ſui ipſius, cum ipſe, qui hoc firmiter proponit, eo caſu ſit finis *cui*. Si quis habeat firmum propoſitum legem Dei rite exſequendi, ſeu faciendi quod Ratio jubet, mere quia jubet Ratio, ibi ſtando, et intentionem ſuam non ulterius extendendo, is amat Rationem et legem Dei, et pro modulo ſuo Deum ipſum; non quod Deus, lex ejus, aut Ratio ibi ſint Finis *cui*, proprie loquendo (nihil enim illi feritur aut metitur cum nos bene agimus, nihil diſcedit cum male), ſed ſunt finis *cui obedientiae*, quod hic ſatis eſt ut amari dicantur, cum nullus alius ordinatus amor in ea cadere poſſit; quae latius patebunt infra Tract. 3.

9. Sicut pharmacum et homo *ſana* dicuntur, homo quidem proprie P. 11.
ſanus dicitur, pharmacum vero improprie, et per analogiam quandam ſanum dicitur, eo nempe, quod ſit cauſa ſanitatis; — ita etiam et *paſſio* quaedam (nempe ſuavis illa, tenera, et dulcis) et ſimul *propoſitum* firmum aliquid exſequendi, *amor* vocatur; *propoſitum* quidem proprie, paſſio vero per ſimilem metonymiam, eo quod ſaepe ſit cauſa amoris proprie dicti, qui in propoſito conſummatur. Solent enim homines eos, quos paſſionate ſeu amore Affectionis diligere inceperant, poſtmodum ſaepe amare amore Effectionis, iiſque ſtudere et gratificari; ſic amor Affectionis generat ſaepe amorem Effectionis, ut videri poteſt paulo infra num. 5.

10. Sunt molliculi quidam tales, qui facile blande erga alios afficiuntur, miſeratione aliqua etiam tenentur, ſed cum res poſtulat, non ferunt opem; in his amor affectionis ſterilis eſt, et non producit amorem effectionis. Qui homines nullius aeſtimandi ſunt; habent enim in ſe ſemen aliquod veri amoris, ſed ſine fructu; amor autem Affe-

ctionis velut femen quoddam hunc tantum ufum habet, quod procreet amorem Effectionis; alias de fe prorfus inutilis eft. Abarcendi igitur funt hi homines, cum auxilio nobis et re opus eft, atque cum mulieribus et pueris habendi, qui, cum in periculis verfamur, lacrimis et teneritudine potius obfunt quam profunt.

11. Nempe naturali inftinctu novit vulgus (quod et veriffimum eft, et in quo tamen Scholae turpiter lapfae funt, ut patebit hoc cap. §. 3.), virtutem effe *amorem;* fed cum illi nomine *amoris* tantum intelligant certum fenfum feu paffionem (fenfibus enim fuis toti vacant, quotquot ad Vulgum pertinent), hinc etiam virtutem ipfam referunt ad fenfum feu paffionem; nominatim ad *devotionem*, ut ipfi loquuntur, id eft, ad tenerum illum fenfum, quo erga Deum et Legem, feu Rationem, blande afficiuntur.

12. Nimirum amor Affectionis, ut ante notavimus, pendet a conftitutione corporis; fieri ergo facile poteft, ut corpore minus bene ad praedictum amorem concipiendum conftituto, amor ille ejufque deliciae non adfint, etiamfi caufa ejus fit in mente. Facile, inquam, fieri poteft, ut probitas fit fine devotione, eo quod corpus ad devotionem non bene fit affectum.

13. Si enim vere humiles fuerint, facile recuperabunt praemium illud humilitatis, pacem fecuram nempe, pacatam et tranquillam confcientiam a paffionibus omnibus et perturbationibus liberam, de quo praemio infra Tract. 5. Imo fi vere humiles fuerint, praemia fua non defiderabunt; fatis illis erit Divinae legi obtemperare; ut infra hoc etiam Tractatu de Adminiculo Humilitatis, praefertim n. 4. Hoc ipfo vero, quo non defiderant pacem, fed legem Dei, hoc ipfo inquam in mediis fuis perturbationibus et anxietatibus confcientiae certiffimam pacem et tranquillitatem confecuti funt.

14. Non mirum; quid enim te moveat ad expellendum, nifi Philautia, feu amor tui ipfius, ut nempe liber fis ab illis vexationibus, iterumque fecure et fuaviter degas; quale propofitum abit quam longiffime ab eo propofito, in quo virtutis natura confiftit, utpote quod nihil fibi praeftitutum habet, nifi legem Dei, officium, et obligationem. Itaque ne quidem affequeris priftinam tuam fecuritatem; haec enim quaerendo perditur, eftque de eorum genere quae ultronea funt, et non nifi fponte obveniunt (vide hoc Tract. de Adminiculo

Humilitatis num. 4.) Majoribus ergo indies anxietatibus et ſcrupulis intricaberis, niſi hanc tranquillitatis tuae cupiditatem novis cupiditatibus et peccatis obruas et quaſi ſepelias, quae et vera et horribilis philautiae merces eſt.

15. Nempe homines ſolent actionibus ſuis paſſiones ſuas ſequi, et P. 12. prout affecti ſunt, ita et dicunt et faciunt. Admodum quidem hoc perverſum eſt (imo in ea animi propenſione, quam omnes in nobis tam luculenter ſentimus, ad accommodandam affectibus ſuis actionem, conſiſtit origo omnis peccati, ut infra Tract. 4.); decet enim actiones noſtras praecedere, tum paſſiones ſeu affectus, quiqui adhaeſerint, aequi bonique facere, et velut penſum noſtrum, velut partem non minimam humanae condicionis, quam Deus nobis impoſuit, conſiderare; et ſi quidem blande nos afficiant, Deo gratias agere (ut infra Tract. 2. ubi de Pietate), ſi minus, aequo animo ferre, quod ferendum eſt quomodocunque. Haec melius patebunt infra Tract. 4.

16. Hoc maſculum eſt, non ſinere ſe praeverti a paſſionîbus, id eſt, nunquam illis hoc juris dare, ut actionem aliquam noſtram aut jubere aut inhibere poſſint, ſed totum illud jus Rationi integrum relinquere. Haec enim videt, haec dux eſſe poteſt actionum noſtrarum; paſſiones omnes coecae ſunt.

17. Caute; non eſt enim neceſſarium ut ſemper pullulet talis floſculus ex tali ſurculo; ſaepe enim obſtat hîc valetudo corporis, et aliae ejus affectiones, ob quas ad tenerum illum affectum non faciat; ut jam aliquoties monuimus.

18. Unde non poteſt ſine turpitudine et ſcelere eſſe amor *benevolentiae* aut beneficentiae in Deum. Cum enim dignior ſit perſona patroni quam clientis, ejuſque qui beneficium impertit, quam qui beneficio gaudet et fruitur, non poſſumus Deo beneficium aliquod noſtrum impingere velle, quin hoc ipſo nos efferamus, et in eo ſaltem negotio nos ei anteponamus, et ipſo digniores eſſe velimus (quae melius conſtabunt infra Tract. 3. ubi de Fine beneficentiae). Cautiſſime ergo temperandum eſt iſti Cacozeliae, qua multi praepoſtere pii feruntur, hoc ſibi praeſtitutum habentes, ut Deo gloriam aliquam et honorem apud homines, tanquam beneficium aliquod quo Deo gratificentur, acquirant. Summus noſter amor, ſummum noſtrum officium et obſequium erga Deum, in noſtra erga legem ejus obedientia ter-

minatur; caeterum quicquid etiam fecerimus, fervimus ei volentes nolentes (ut videre potes hic §. 2. num. 1.).

P. 13. 19. Quamvis in Deum et Rationem amor nofter benevolentiae non quadret, ut jam oftendimus, quadrat tamen amor aliquis *approbationis*, confenfus, et acquiefcentiae; dum fcil. approbamus effentiam Dei et attributa ejus, ipfamque adeo legem et Rationem, quam nobis incul-cavit. Sed hic amor non fpectat ad Virtutem formaliter; *Virtus* enim refpicit officium et actionem aliquam, quae nobis per legem Dei in-juncta fit; adeoque virtus eft talis amor, qui rem praecedit; *appro-batio* vero eft talis amor, qui rem approbatam fequitur. Virtute amamus quod faciendum eft; approbatione amamus quod factum eft.

*Quadrat tamen* (dixi) *amor aliquis approbationis.* Re bene perpensâ videtur hoc retractandum effe, quod hic de amore approbationis in Deum dicebamus. Non enim videtur talis aliquis amor nofter in ipfum quadrare. Debet enim ad probam, ad regulam, ad menfuram applicari, quod approbatur; nec ante approbari poteft, quam facto examine (quod in illa applicatione confiftit) inveniatur cum proba, cum regula, cum menfura fua quadrare. Sic v. g lineas calamo forte ductas exa-minamus ad regulam, an rectae fint; picturam examinamus ad vivum, an rite imitata fit; res omnes examinamus ad ideam, et prout ab illa defecerint vel cum illa convenerint, probamus aut improbamus. Nihil fimile in Deo locum habet; ad nullam regulam applicari poteft, qui ipfa fuprema regula eft, neque ipfe ab idea fui, quam nobis com-municat (ficut res aliae), fed contra haec idea ab ipfo dependet. Non eft ergo, ad quod Deum referamus, ad quod ejus naturam et effentiam comparemus, ut approbatione noftrâ in haec ferri legitime poffimus. Unde qui approbant, fi fe ipfos ad vivum difcutiunt, videbunt plerumque, fe Deum comparaffe cum aliquo, quod ipfis gratum, pulchrum, et excellens videtur, et eatenus approbare, qua-tenus cum illo figmento fuo exiftimatur convenire; in qua approba-tione fine dubio peccatum eft. Hinc tot monftra Deorum apud Poëtas Gentiles, fuperftitiofos, et phantafticos homines, Deum quolibet cum cerebri fui figmento aliquo comparantes, quadrantes, et eatenus appro-bantes. Reftat igitur nobis fola *obedientia*, folus amor fervitutis, quo pro modulo noftro in Deum ferri legitime poffumus, et jugiter debemus.

20. Nimirum actiones noſtrae ſunt quaſi ſpeculum Rationis et legis Dei. Si bene referant Rationem, et illud in ſe contineant quod praeſcribit, bonae ſunt et laudabiles; ſi vero pervertant ſpeciem Rationis in illis relucentem, malae ſunt et vituperandae; quod totum ad ipſam Rationem ſeu legem Dei nihil attinet, ut quae inde ipſa in ſeſe nec pulchra magis ſit, nec deformis. Sicut nempe res ſpeculo repraeſentata manet eadem, ſive ſpeculum bonum ſit et rite repraeſentet, ſive malum ſit et ſpeciem rei intorqueat et depravet (ſpeculum non depravat imaginem rei repraeſentatae in re ipſa, ſed in ſe, ſeu in ipſo ſpeculo; unde tota illa turpitudo atque deformitas pertinet ad ipſum ſpeculum, non autem ad rem repraeſentatam); ſic etiam nos dicimur aliquando legem Dei reſcindere, conculcare, pervertere, etc., ſed in nobis ipſis, non vero in ipſa lege, ita ut tota illa deformitas in nobis maneat, nihil ejus ad legem ipſam pertineat.

21. Dixi circa num. 2., firmum propoſitum ſemper eſſe amorem, ſed non denominare quicquid iſto firmo propoſito attingitur, denominare vero Finem *cui*. Sic etiam amor concupiſcentiae, cum ſit propoſitum, proprie tantum denominare poterit finem *cui;* et homines amantes divitias, honores, etc. (cum haec propter ſe ipſos velint) proprie ſe ipſos amare dicendi ſunt; ipſi enim ſunt fines *cui* iſtius ſui amoris ſeu propoſiti. Sed regulam illam denominationis non ſervant hic homines; cumque volunt opes aut honores ſibi comparare, non dicunt, ipſos ſe amare, ſed amare ſe honores, opes, etc. Quod ſi aliis iſta vellent comparare, dicerent aperte, ſe alios amare; ex quo patet, eos palliare amorem concupiſcentiae, et obſcure ferre ac diſſimulare. Vident enim, male ſonare et nullatenus plauſibile eſſe, ſi quis ſe ipſum amare dixerit; hoc igitur abuſu ſermonis et alio modo loquendi in amore concupiſcentiae atque in amore benevolentiae ſatis teſtantur, ſe aliquam turpitudinem in amore concupiſcentiae agnoſcere. Et merito; eſt enim hic amor ipſiſſimum peccatum, ut magis patebit ex ſequentibus.

22. Nempe Tract. 6. ubi de Antipathiâ ſive naturali differentia bonorum et malorum inter ſe.

23. Radix Ethices eſt humilitas, abire a ſe ipſo, nullâ ſui curâ aut contemplatione teneri; finis vero et fructus Ethices eſt lex et obligatio noſtra, qua Rationi ac Deo ipſi quodammodo adſtricti

tenemur. Impoſſibile enim eſt, ut ad fructum Ethices accedat, ſeu ad Deum et legem ejus, qui non quaſi ante jam ſe ipſum deſeruerit. Lex enim, qua talis, atque obligatio quaecunque, nunquam reſpiciunt emolumentum obligati (ut in prooemio hujus libelli annotavimus, et plura hanc in rem dicentur infra). Igitur praemia virtutis, poenaeque peccati, ad Ethicam directe non pertinent. Ethica ſiſtit gradum, cum eo ventum eſt, ut quid nobis agendum omittendumve ſit, clare liqueat; quid inde conſequens, non putat ſuâ referre. Scit tamen vir bonus haec ſua praemia, et ante deſtiturum eſſe Deum, quam probos ſuos non coronet, optime intelligit (et intelligimus nos ipſi); nihilominus propter haec ſua praemia nec agit quicquam, nec omittit agere; Lex ei Divina ſatis eſt.

24. Non quaſi omnia ſcelera atque *deficia* omnia perpetraverit; ſed quia habet in ſe ſeminium cujuſcunque ſceleris, et bonâ tantum fortunâ atque caſu a nefariis abſtinet. Quae equidem laus ei non debetur, ſed bonae et favorabili fortunae (ut loqui ſolemus) adſcribenda eſt; quantum enim de ſe erat, tam facile prorupiſſet in facinus immane aliquod, quam in leve forte mendaciolum. Abiit enim a Ratione, filum illud Ariadnes abrupit; bona fortuna eſt, ſi non incidit in Minotaurum, et devoratur; hunc bonum caſum ne adſcribat ſibi.

25. Per *virtutem* ergo dicimur *amare Rationem*, legem Dei, et quodammodo ipſum Deum; iſta enim ſunt finis cui iſtius propoſiti, quod virtutem conſtituit; non quidem finis cui benevolentiae, nec approbationis, ut ante annotavimus num. *6.*, ſed finis *obedientiae.* Poſſumus vero aliquatenus etiam inter homines amare aliquem amore obedientiae, non amantes illum amore benevolentiae; ut ſaepe magiſtratui obedire volumus, etiam cum illi nihil boni aut mali volumus, ſed nobis ipſis tantum aut comparare praemium, aut poenam evitare. Sic igitur Rationem etiam amare poterimus amore obedientiae, nullo erga ipſam amore benevolentiae adducti. Sed cum magiſtratum ſic amamus amore obedientiae, tunc nos ipſos amamus amore concupiſcentiae; quod erga Rationem non licet ſimiliter adhibere. Cum enim Rationem amamus amore obedientiae, tunc impoſſibile eſt ut nos ipſos amemus amore concupiſcentiae; cum Virtutis ſuprema lex ſit, ſe ipſum relinquere, ſe ipſum non amare.

*Argumentum hujus* § 1.

Amor eſt duplex: dilectionis et effectionis.

Amor dilectionis rurſum duplex eſt: ſenſibilis ſeu corporalis (qui eſt amor paſſio, aut amor affectionis) et ſpiritualis (qui eſt approbatio quaedam; et hîc eminet ea approbatio, qua noſtras ipſorum actiones approbamus, eo quod cum Ratione ſeu ſupremâ regulâ conveniant). Corporalis ille magni fit paſſim ab hominibus, ſpiritualis ille pro nihilo fere ducitur; homines enim addicti ſunt ſuis ſenſibus. Haec fere tractantur Num. 1.

Neuter (ſcil. neque amor dilectionis, neque amor affectionis) Virtutem conſtituit; nam ſine et cum illo virtus eſſe poteſt; ſine hoc vero virtus quidem eſſe non poteſt, ſed eſt eo prior. Haec Num. 2.

Amor effectionis eſt firmum propoſitum; denominat finem-cui. Saepe generatur ex amore affectionis (quod in vitio eſt, et ad intemperantiam pertinet), aliquando illum generat (quod fit ſaepe in virtutis exercitio); aliquando hic ſine illo, et aliquando ille ſine hoc eſt. Haec Num. 5.

Amor effectionis, aut benevolentiae eſt (hic ad virtutem non facit, cum nos Rationi bene aut male facere non poſſimus), aut concupiſcentiae eſt (et hic multo minus ad virtutem facit, cum eo amore nos ipſos amemus, non Rationem), aut obedientiae eſt (et hic denique virtutem conſtituit; nam alius amor in Rationem non quadrat). Haec Num. 6., 7. et 8.

Inter haec notatur etiam error vulgi. Hi enim ſenſibus dediti virtutem conſtituunt in amore affectionis, ſeu in certâ paſſione, et ideo, cum illa paſſione carent, magnopere anguntur. Haec Num. 3. et 4.

## Ad Tr. I. Cap. I. §. 2.

1. Et ideo non debet dici quid ſit; nam dicere quid ſit, eſt declarare; jam autem quod ſatis notum eſt clarumque, declarari amplius non debet. p. 14.

2. Ideo Ratio tam clara nobis eſt, quia eſt aliquid noſtrum, quod nobiſcum jugiter circumferimus, quodque cum volumus inſpicimus; ſicut ſimili de cauſa §. 1. ſub initium dictum fuit, quid ſit *amor* non eſſe dicendum. Eadem enim eſt utriuſque cauſa, et haec talia dum

Scholae definitionibus logicis illuſtrare voluerunt, nihil aliud egerunt quam ut ſibi ac aliis, quaſi deditâ operâ, obſcura ea reddere velle viderentur.

3. Ratio Ethica hîc omnibus hominibus ſatis perſpecta eſt: *ubi nihil vales, ibi nihil velis*, ſeu *nihil fruſtra faciendum eſt*, quod eſt exemplum Rationis Ethicae, imo vel ſummum Ethices principium, ex quo facile ſequuntur omnes et ſingulae obligationes, quae utramque paginam in Ethica faciunt, et de quibus agitur infra. Si enim nihil *fruſtra* faciendum, ergo non reluctandum Deo vocanti et ab humana condicione nos ſolventi, ſeu mortem indicenti (quae eſt *prima obligatio*). Si nihil *fruſtra* faciendum, ergo non reluctandum Deo adhuc vivere jubenti, adhuc nos in humana condicione detinenti (quae eſt *ſecunda obligatio*). Et ſi haec ita ſint, ergo victus quaerendus (quae eſt *tertia obligatio*); et ſi ita, ergo munus aliquod fungendum, etc. Cum igitur ratio in his omnibus tam manifeſta nobis ſit, non debemus abſolute dicere, rationem obſcuram nobis eſſe; etiamſi alibi forte etiam in rebus moralibus obſcura nobis eſſet, v. g. incenſâ turri, in cujus forte culmine conſiſtimus, exſiliendumne ſit, an permanendum? Hîc quidem ratio obſcura eſt omnibus, qui *Ethicae periti* non ſunt (nam quod coecus non videt, hoc coecitati, non ſolis fulgori imputandum); ſed non ideo obſcura eſt ratio; nam quod alicubi manifeſtum, alicubi rectum et obſcutum, id abſolute manifeſtum, et tantum ſecundum quid obſcurum eſt.

4. In his omnibus caſibus filius familias abſolute dicitur patrem ſuum *noviſſe*, ſed tantum non *agnoviſſe* dicitur. Multum enim intereſt inter *cognoſcere* et *agnoſcere*; multa enim cognoſcimus, quae jam non agnoſcimus; et filiusfamilias hic cognoſcit quidem patrem ſuum, ſed ſic larvatum non agnoſcit. Sic etiam Ethicae rudes cognoſcunt Rationem, ſed non agnoſcunt eam in his v. g. circumſtantiis: cum turris incenditur, et quis in culmine ejus deprehenſus eſt, liceatne exſilire, an permanendum ſit? In his enim et ſimilibus circumſtantiis. ratio iis quodammodo larvata eſt aut velata; velamento autem iſto per bonam Ethicam detracto, non tantum noſcunt, ſed et agnoſcunt nobiſcum rationem ſub illo velamento latitantem. Hîc interim pandit ſe inſigne diſcrimen inter cognitionem et amorem; nam quod alibi noſcis alibi non noſcis, hoc abſolute noſcis; ſed quod alibi amas alibi

non amas, hoc abſolute non amas; unde qui amicum amat juxta tritum hunc verſiculum:

*Dum fueris felix, multos numerabis amicos,*
*Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris,*

clare intelligitur non amicum amare, ſed amici fortunam. Similiter qui Rationem alibi amat (v. g. cum parcendum eſt ſumptui) alibi non amat (v. g. cum ſumptus faciendus eſt), is abſolute non amat Rationem, ſed ad ſummum amat certum modum et circumſtantiam rationis. Ex quo jam etiam incidenter patet, verum eſſe illud Stoicorum paradoxum: *Qui unam habet, omnes habet virtutes;* nempe non datur Rationem alibi amare et alibi non amare, ſed qui eam alibi non amat, nuſquam eam amat.

5. Ratio hîc redditur, cur virtutem potius *amorem Rationis* quam *amorem Dei* eſſe dixerimus. Chriſtiani quidem in Eccleſiis ſuis hoc ſemper dicunt, Virtutem eſſe amorem Dei, et verum dicunt: eſt enim quodammodo virtus magis Dei, quam legis ejus amor. Sicut enim qui mandatum Principis amat (id eſt, obedire ei vult), magis mandatum illud, quod Principis mente conceptum eſt, quam quod in tabulis exaratum eſt, amat; — ſic boni omnes magis legem Dei ſeu Rationem, ut a Deo concepta eſt, quam ut ab eo dimanat, et in mente noſtra ceu in tabula exarata eſt, colunt, et obediendo diligunt. Jam vero lex illa, ſeu ratio, ſeu decretum nos obligandi in divina mente, re ipſa Deus eſt. Sub haec igitur conſideratione tam pia merito dicunt Chriſtiani, virtutem magis eſſe amorem Dei quam legis ejus; ſed vero abſolute ſecundum ἀκρίβειαν, id eſt, accuratam diligentiam Scholaſticam ac Philoſophicam loquentes, dicere debemus, virtutem amore illo obedientiali, in quo natura ejus abſolvitur, non tendere in Deum uſque, ſed ante deficere ſub ipſo nimis excelſo atque ſublimî, quam ut amore noſtro attingi poſſit, et in lege ejus ſeu Ratione ſtare atque terminari; quod rationibus, quae hîc in textu ſubjiciuntur, invictiſſime probatur.

6. Obedimus Deo in modo et in conſideratione aliqua noſtra; ſcil. in illa conſideratione, qua conſideramus illum ut legiſlatorem noſtrum, ut concipientem in ſe Rationem illam, quam nobis dictet et inſculpat; et propoſitum ipſi ſic obediendi non eſt vanum, non eſt malum, ſed

continet in se totam virtutis naturam (ut jam paulo ante satis annotavimus). Sed propositum obediendi Deo in se, ut absolute in se est, et seclusâ quavis tali consideratione, ineptum est, vanum est atque ridiculum, imo, cum bene discutimus, impium; supponit enim clare Deum indiguum opis nostrae, Deum cui benefacere nos possumus, id est, Deum in certo negotio inferiorem nobis. Vis enim facere quod ipse vult, et putas te posse facere quod ipse non vult; quid hoc aliud est quam persuasum tibi esse, posse te de illo bene vel male mereri?

7. Alibi paroemia est, hîc veritas. Nam actum agere dicuntur, qui frustra faciunt aliquid, ideo quia quod actum est adhuc agere, frustra, et *cessante fine, cessant media* (ut Scholarum axioma est); hîc vero Deo absolute parere velle, est in rei proprietate, et sine ullo tropico aut proverbiali sermone, id velle agere, quod jam actum est. Agit enim hoc Deus atque natura, et fatali necessitate hoc egit, ut omnia subjecta essent voluntati divinae; velle te ergo aliquid ei subjicere, quid aliud est, quam id agere velle quod jam actum est? quid aliud, quam circulo de area sua velle prospicere? quam haberet equidem, velis tu aut nolis.

8. Etiamsi velit Deus actus illos, qui sine peccato et scelere a nobis non perpetrantur, ipse tamen eo non est auctor peccati, sed auctor naturae. Non vult enim eos ut scelesti sunt, seu ut a regula quam praescripsit delirant, sed ut sunt res naturales, in quibus hactenus nihil est mali. Sicut igitur ulna (instrumentum illud designo, quo mercatores pannum metiuntur) longitudinem quidem habet, eamque desiderat ut sit id quod dicitur, nempe *ulna*, latitudinem vero atque crassitiem non absolute respicit (fieri enim nequit, ut quod longum est, non pariter latum sit atque crassum, ut in Metaphysica demonstramus), sed tamen ut ulna ad metiendum pannum respicit tantum longitudinem (nam quid ad pannum metiendum confert latitudo vel crassitudo istius instrumenti?); — sic etiam Deus, quatenus rationem nobis praescribens, et rerum agendarum ordinem, imo quatenus ipse illa ratio et ille ordo est, respuit penitus et aversatur actus illos nostros, in quibus peccatum aliquod et defectio a praescriptâ nobis regulâ ac supremâ normâ continetur; absolute vero, et prout ipse est auctor naturae, actus illos vult (nec enim fierent, si non vellet); sic enim in illis actibus nihil mali est.

Nunquam quidem ſimilitudinibus illis hoc efficere poſſumus, ut abſolute conciliare rem illam ineffabilem poſſimus. Omnis enim vera conciliatio ſupponit comprehenſionem utriuſque extremi; concilianda autem hîc eſt Dei *potentia* cum Dei *bonitate; potentia*, qua efficit omnia, ſeu omnes res veras, ita ut nihil fiat praeter, nedum contra voluntatem ejus; *bonitas*, qua peccatum non cupit, ſed exſecratur illud in nobis merito, et punit. Hoc vero utrumque conciliationîs propoſitae membrum (*bonitatem*, inquam, et *potentiam* Divinam) ut apprehendimus clariſſime, ita nequaquam comprehendere valemus; atque adeo deſperatum eſt de omni tali conciliatione apud nos, qui intellectum finitum habemus. Et non ſpectat ad minimam impietatem ille humani ingenii pruritus ad conciliandum ea quae captum excedunt noſtrum; eo enim clare vergit, ut tandem Deum comprehenſibilem nobis exiſtimemus (id eſt, nos aequales illi), et omni conciliatione intellectu noſtro detectâ, ineffabilitas ejus tollatur (quae in eo verſatur tota, ut et facere ipſum, ſcire nos, et quomodo faciat, neſcire nos, clariſſime recognoſcamus); hac vero ſublatâ, adorabilitas ejus auferatur (quae ineffabilitatem tanquam neceſſariam cauſam ſupponit, ut infra Tract. 2., ubi de Pietate et Religione, clare demonſtratur), omniſque adeo religio et divinus cultus intercidat. Igitur omni iſtâ conciliationum prurigine depoſitâ, nobis ſatis eſſe debet, quod utrumque membrum conciliationis ſeorſum clare diſtincteque percipiamus, ut in caſu poſito contingit; nam clariſſime intelligimus, nihil fieri, niſi quod Deus directe fieri vult (quod eſt unum membrum), rurſumque improbare eum peccata noſtra, et graviter ulciſci (quod eſt alterum membrum).

9. Navis ociſſime vectorem abripiens verſus occidentem, nihil impedit quominus ille in navi ipſa deambulet verſus orientem; ſic voluntas Dei omnia portans, omnia vehens fatali impetu, nihil obſtat quominus nos, quantum eſt ex parte noſtra, obluctemur voluntati ejus, liberâ et plenâ noſtra deliberatione. His et ſimilibus analogiis aſſueti, tandem rem ipſam, quia hic magis propter inſolentiam cogitationum noſtrarum quam propter ſe ipſam difficilis eſt, quaſi familiaritate quadam initâ (hic enim fructus eſt ſimilitudinum, et alio non ſerviunt, et alio non conducunt) ſatis ſuperque percipiemus.

10. Ergo vanum eſt propoſitum, ei ſecundum ſe obedire velle; P. 15.

vanus eſt amor obedientiae noſtrae erga ipſum in ſe conſideratum. Non eſt tamen vanus amor approbationis [1]), qui equidem multum differt ab amore obedientiae; nam *approbatio* reſpicit congruentiam effecti cum voluntate dîvina, ut *poſitam*; *obedientia* vero reſpicit eandem congruentiam ut *ponendam* a nobis et procurandam. Ex gr. Tempeſtas eſt; congruit hoc effectum cum divina voluntate (nec enim eſſet tempeſtas, niſi illam eſſe Deus voluiſſet); approbo hanc congruentiam; poſita ergo jam eſt. Sed ſudum eſt; et ſtultitiâ forte vel cacozeliâ ductus quis putat ad gloriam Dei pertinere, tempeſtas ut fiat: rogat igitur, et alîa media adhibet fatuus, ut fiat. Hîc apprehenditur congruentia tempeſtatis cum voluntate divina, et amatur (perverſo licet amore), ſed ut ponenda, non vero ut jam poſita; ideoque hic amor ad obedientiam pertinet.

11. Res morales et Ethicae ſupponunt res naturales et Phyſicas: nam notitia condicionis humanae pertinet ad Phyſicam; ſine autem illa ſui cognitione nihil de rebus moralibus boni verique ſtatui poteſt, nam ex inſpectione ſui tota Ethica omneſque obligationes derivantur. Ex quo ſequitur, Ethicam, prae aliis omnibus ſcientiis, maxime obnoxiam eſſe erroribus; nam et *proprias* cloacas habet, unde in illam errores regurgitent (ſcil. cupiditates noſtras atque libidines; plerumque enim ut affecti ſunt loquuntur homines, et ea facienda eſſe dicunt, quae facienda pronos ſe inclinatos ſentiunt), et *alienas*, e quibus, non minus periculoſis, contaminatur, ſcil. praejudicia, inſcitiamque rerum Phyſicarum, et condicionis humanae, cum aliae fere ſcientiae ſuas modo cloacas habeant, a quibus inquinentur.

12. *Unicus* amor Rationis eſt unius et ſolius Rationis amor. Et quidem, Virtutem debere eſſe amorem *unicum* erga Rationem demonſtratur, tum ex notione *amoris*, tum ex notione *rationis*. Ex notione quidem *amoris*, quia non niſi unum amare vere potes, nihil enim proprie amatur niſi finis-cui; hic vel unus eſt, vel multi; ſi unus, ergo habemus intentum, et unum tantum amatur; ſi multi, ergo vel

1) Loco iſtius approbationis poſſemus ponere aſſenſum, quo aſſentimur propoſitionibus illis, in quibus attributa Dei de ipſo enunciantur, eaſque pro veris habemus; ſed aegre videtur hic aſſenſus ad amorem revocari poſſe: nulla enim in aſſenſu bonitas malitiave moralis (quae amorem neceſſario conſequuntur), ſed tantum veritas falſitaſve verſatur.

divisim vel conjunctim multi sunt. Si conjunctim, unum simul finem constituunt; si divisim, ergo subordinati sunt, et ille tantum qui ultimus est, proprie finis est, proprieque amatur (quae magis constabunt ex Tract. 3. de Fine). Cum igitur virtus sit amor rationis, amari vero nisi unum eodem tempore non potest, necessum est, ut solius Rationis amor sit. Idem demonstratur ex notione *rationis;* nam si per impossibile amor duorum simul esse posset, adhuc non posset esse Rationis et alicujus alterius. Ratio enim ex speciali natura sua et condicione essentiali non permittit se coamari, sed cum amatur, totum amorem in se solam deposcit. Ratio enim mox atque amari coepta est, amandat amorem illum, quo amator seipsum amet; ostendit enim clarissime ei (quod inspiciendo nos ipsos discemus pag. 21., 30., et seqq.), nihil posse ipsum, nihil valere, nec nascendo, nec vivendo, uec moriendo; ostendit item clarissime, ubi nihil valet, ibi nihil volendum esse, nihil attentandum (quid enim hoc dictamine clarius dici potest ?). Si igitur Rationem hoc dictantem amet, id est, obedire ei velit, necessum est ut omnem sui curam a se studiumqne deponat, id est, omnem sui a se amorem abdicet. Vides ergo, Rationem non pati se amari simul cum eo ipso qui illam amat; quanto minus patietur se cum aliquo tertio amari ? Quibus adde (quod ex sequemtibus manifestissimum fiet), duos esse tantum amores, nempe amorem Dei (Rationis) et amorem mei. Cum amor Dei excludat amorem mei, omnem ergo alium amorem excludit.

*Argumentum hujus* §. 2.

Quid sit Ratio, notum satis hoc ipso, quo notum est alicubi. Haec Numer. 1.

Virtus potius est amor Rationis quam Dei; nam amor noster, scil. obedientiae (de quo hîc solum sermo), supervacaneus est circa Deum ipsum, cui velis nolis obediendum est. Amor tamen approbationis hîc non abs re est, quod vide in annotatis. Haec Num. 2.

Expunguntur ex definitione Virtutis, in fronte §. 1. positae, duae hae particulae *Unicus*, *Rectae*, quarum illa generi, haec differentiae adhaeret. Insunt enim hae particulae ex se; nam amor erga Rationem esse non potest, nisi unicus sit; quod tum ex notione amoris, tum ex notione Rationis probatum est; vide in annotatis. Haec Num. 4.

Similiter redundat illa particula *Rectae*, nam recta Ratio et Ratio idem ſunt. Nam verum ſeu rectum proprietas entis eſt (ut Scholae loquuntur), quae ens omne explanat, nullum reſtringit. Haec Num. 3.

## Ad Tr. I. Cap. I. §. 3.

p. 16. 1. *Habitus* ſeu *habilitas* duo dicit, conſuetudinem et facilitatem; hanc ut effectum, illam ut cauſam; adeo ut habitus non ſit aliud quam *conſuetudine parta facilitas.* Et conſuetudo quidem ſola non eſt habitus; nam quae facilitatem non parit conſuetudo, habitus non eſt; ut lapis ſexcenties ſublime projectus non acquirit habitum aſcendendi, nam conſuetudo haec aſcendendi nullam parit in lapide facilitatem aſcendendi. Facilitas etiam ſe ſolâ ad habitum non ſufficit; nam globus in plano facile rotatur et volutatur, nullus tamen habitus in globo agnoſcitur, quia non ex conſuetudine, ſed ex natura certae figurae pendet iſta facilitas.

2. Cum igitur in habitu tantum duo iſta ſint (*conſuetudo*, inquam, et *facilitas*), manifeſtum eſt neutrum horum pertinere ad rationem Virtutis; nam nec facile facere, bene facere eſt, nec *ſolere* facere, bene facere eſt, ut per ſe notum eſt. Et alio non eſt opus argumento, ut ratio Virtutis habitui detrahatur.

3. Si enim non proveniant a Virtute (id eſt, a propoſito faciendi quod Ratio ſeu lex divina jubet), ergo vel a nullo propoſito, vel ab alio propoſito veniunt. Si a nullo, non ſunt actiones morales, ſed naturales, quales ſubinde per oblivionem aut imprudentiam exercemus (v. g. ſicuti ungues aut calamum inter meditandum ac acriter ſtudendum amordemus), quae actiones proinde neque bonae ſunt neque malae in genere moris. Si ex alio propoſito fiant, quam legi Dei et Rationi obediendi, non ſunt jam actiones probae, ſed vitioſae; nam *quicquid praeter rectum finem fit, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Ita ut non ſit opus malo fine ad peccatum, ſed ſatis ſit non eſſe bonum finem.

4. Ad Peripateticum hoc argumentum quod jam ſtatim praeceſſit (nempe Virtutem in habitu ponendam, eo quod dormientes etiam probi vocentur, in quibus habitus eſſe poteſt, ſaepe vero nullus actus eſt) reſpondeo: Denominationem poſſe fieri etiam a cauſa formali abſente. Cauſa formalis in denominationibus eſt id unde denominatio

defumitur; ut *albi* caufa formalis eft *albedo*, ab albedine enim *alba* dicuntur quaedam. Poteft ergo fieri ut caufa tali abfens etiam denominet; ut conful dicitur a confulatu quem geffit, juxta Belgicum adagium: *Qui femel conful, femper conful.* Sic etiam *dives* dicitur a divitiis, quas penes fe non habet, ut in textu; fimiliter etiam *probus* dici poterit a probitate (id eft, a propofito faciendi quod jubet Ratio) etiam cum inter dormiendum, aliove abreptas cogitationes, probitas feu propofitum illud abeft. Et alioqui tota haec de nomine objectio eft; ex quo nunquam equidem deducitur firmum argumentum, cum nomina eorumque fignificatio ab hominum arbitratu mere pendeant, ad naturam rei nominatae nihil pertineant.

5. Sic etiam hodie parietem album folemus dicere, ideo quia parietes, qua parte interiorem domum refpiciunt, calce obduci et dealbari hodie folent, ad conciliandum lumen noftris conclavibus, et ad detergendum facilius pulveres et fordes iis inhaerentes. Dicuntur ergo parietes albi, quia folent effe albi; nihilominus non dicuntur albi a folentia ifta feu confuetudine (quamvis illa requiratur ad denominationem albi), fed ab albedine iis adhaerente, ita ut confuetudo fit condicio iftius denominationis (fi enim parietes promifcue in domibus noftris quovis colore inficerentur, non magis albi quam aliter colorati dicerentur), caufa vero formalis iftius denominationis fit ipfa albedo. Ab hac enim et propter hanc dicuntur albi.

6. Similiter confuetudo bene agendi eft quidem condicio iftius denominationis, qua quis probus effe inter homines dicitur; fed inde nullatenus confequens eft, confuetudinem illam etiam effe caufam formalem iftius denominationis, feu effe ipfam probitatem. Quo fatis corruit argumentum Peripateticorum; nam latum difcrimen eft inter caufam formalem et condicionem denominationis; ut et exemplo jam proxime allegato et infinitis fimilibus, fi id opus effet, comprobari poffet. Cum enim Leydae fum, ut Hagae fim, condicio eft, feu requiritur, ut abeam Leyda, non eft tamen caufa formalis; non enim ab abitu ifto Hagae praefens dicar (quamvis ifte abitus requiratur ut Hagae fim), fed a praefentia mea Hagae praefens dicar. Poftremum, ut *confuetudo* (quod impoffibile eft) effet caufa formalis iftius denominationis, qua quis probus effe dicitur, quid de *facilitate* dicas? *Habitus* enim non tantum *confuetudinem*, fed et *facilitatem* dicit, ut

initio hujus §. notavimus; qua fronte dici poteſt, facilitatem agendi probitatem eſſe? cum probi ſaepe ſub Virtutis officio luctentur et deſudent ſumma cum difficultate.

P. 17. 7. Hic etiam refellitur illud quod per meram indulgentiam conceſſeramus, ſcil. conſuetudinem recte agendi, etiamſi non ſit cauſa formalis, tamen eſſe condicionem iſtius denominationis, qua probi dicimur. Et oſtenditur, ne quidem eſſe condicionem; poteſt enim aliquis abſolute probus eſſe ſine tali condicione, ſeu ſine conſuetudine bene agendi; ſi ſcil. jam nunc firmum animo propoſitum concipiat id unum faciendi, quod jubet Ratio. Etiamſi enim talis populo necdum probus eſſe videatur, eſt tamen, et abſolute nomen illud ei quadrat; quod et Chriſtianorum ſacris confirmatum eſt, qui hominem huic propoſito immorientem, etiamſi ante maximis ſceleribus obſtrictus fuiſſet, aeternae felicitatis compotem fore aſſerere non dubitant.

8. Cum in genere moris aliquid agimus, aut ex paſſione, aut ex Ratione agimus. Id eſt, Ratio nos monet ad agendum vel Paſſio; ſic, cum Paſſio, peccamus; cum Ratio, probe agimus et bene. Haec patebunt Tract. 4., ubi de paſſionibus.

9. Nempe quicquid ex his fit, ex Paſſione fit. Nam familiaritas ſeu amor ſoliti et metus inſolentiae eſt paſſio, qua maxima pars vulgi agitur continuo, ut egregie demonſtramus infra Tract. 4. de vita Vulgi. Eſt igitur omnis actio, quae ex Peripateticorum Virtute procedit, veriſſimum peccatum; cum ex paſſione agere, peccare ſit, ut in eccleſia Chriſti ſatis bene obſervatur. Ideo populus fidelis ſaepe ibidem admonetur, ne exercitia Chriſtianae Pietatis obeant ex conſuetudine, ut hic in textu dicitur.

10. Licet hactenus ſatis demonſtratum ſit, Virtutem in habitu non conſiſtere, idque argumentis clariſſimis, facillimis, et nemini non obviis invictiſſime comprobatum ſit; mirari ſubeat alicui, quid tandem cauſae fuerit, cur Peripatetici Virtutem in habitu conſtituendam eſſe putaverint? Reſpondeo: Dictum eſt aliquid hanc in rem num. 2. Nempe decepti ſunt propter denominationem iſtius vocis *probus*, et condicionem qualemcunque iſtius denominationis pro cauſa formali, ſic ut nubem pro Junone amplexati ſunt. Sed ſi ſubtilius error eorum diſcutiatur, videbimus eum hoc num. 4. funditus erui; nempe non ſatis diſtinxerunt inter facilitatem et amorem, viſumque eſt iis, quod

populo etiam videtur, cum facilitate fieri, quicquid cum Amore fieret; in quo magnopere falſi ſunt, ut hoc num. 4. ſatis demonſtratur. 1)

*Argumentum hujus* §. 3.

Virtus non debet conſtitui in habitu. Primo, quia virtus eſt ante probas actiones, et habitus poſt illas; ſecundo virtus ſpectat ad mores, habitus ad res naturales. Haec Num. 1.

Tertio, quia virtus poteſt haberi repente, habitus non niſi ſenſim, et per frequentatos actus. Quarto (quod eſt argumentum ab auctoritate) quia ſic cenſent in Eccleſiis ſuis omnes Chriſtiani. Haec Num. 3.

Objicitur, bonos eſſe etiam qui dormiunt, in quibus tamen non eſt propoſitum, in quo nos virtutem conſtituimus, ſed tantum habitus bene agendi. Reſpondeo, in illis eſſe propoſitum bene agendi, ſaltem moraliter, quod ſufficit ad hanc denominationem. Objicitur ſecundo, habitum illum requiri ad denominationem probi. Reſpondeo: falſum eſt quod aſſumitur, ut patet num. 3.; et ut verum eſſet, ad ſummum inde ſequitur, habitum eſſe condicionem iſtius denominationis, non vero cauſam formalem. Haec Num. 2.

Tandem diſcrimen adfertur inter amorem et habitum, quorum confuſio radix fuiſſe videtur hujus erroris Peripateticorum. Haec Num. 4.

## Ad Tr. I. Cap. II.

1. Hinc excluduntur praemia eſſentialia virtutis, ut *ſapientia*, *doctrina*, *libertas*, *ſatietas*, et ipſa etiam *felicitas* (de quibus partim hoc tractatu, partim de Praemio Virtutis ſpeciali tractatu infra agetur). Praemia enim illa non dimanant proxime ex natura virtutis, ſed mediantibus aliis proprietatibus naturâ prioribus. Sic *ſapientia* atque *doctrina* profluunt ex virtute mediante diligentiâ; *libertas* mediante

---

1) Videntur itaque his gradibus in illum errorem delapſi eſſe: *primo* viderunt probos amanter facere, ſeu ingenti et firmo propoſito (nam virtus amor et propoſitum tale eſt), *ſecundo* propter analogiam et ſimilitudinem (quae eſt potiſſima et forte una cauſa noſtrorum errorum, ut in partem primam Carteſii demonſtravimus) confuderunt amorem et facilitatem; ex hac confuſione boni viſi ſunt iis facile agere, et virtus facilitas viſa eſt; *denique* cum viderunt facilitatem (corporalem illam et ſenſibilem) plerumque nobis per frequentes actiones acquiri (in quibus duobus jam tota ratio habitûs abſolvitur), non ſuperavit huc per errorem adductis, niſi ut virtutem in habitu reponerent.

obedientia; *ſatietas* mediante juſtitia; *felicitas* et ſublimitas mediante humilitate. Virtutes ergo Cardinales non ſic mediate, ſed proxime profluere debent ex natura virtutis. Sic Diligentia proxime ſequitur a Virtute ſeu amore Rationis (nam ſi Rationem ames, ſequitur ſtatim, ut eam auſcultes, in quo conſiſtit diligentia), non autem Sapientia. Haec enim tantum remote ſequitur ex natura Virtutis, hoc modo: Si ames Rationem, ſequitur ut auſcultes Rationem; et ſi auſcultaveris, percipies quid dicat, in quo tandem conſiſtit Sapientia. Similiter Obedientia proxime ſequitur ex natura Virtutis (nam ſi ames Rationem, proxime ſequitur, ut facias quod illa jubet, in quo conſiſtit obedientia). Libertas autem non ita proxime ſequitur, ſed remote tantum, hoc modo: Si ames Rationem, facies id unum quod illa jubet; et ſi hoc unum feceris, ſemper facies quod voles, ſemper quod tibi lubitum erit, in quo tandem conſiſtit libertas. Similia dicenda ſunt de Juſtitia et Satietate, itemque de Humilitate, et ſublimitate ſeu Felicitate vel beatitudine. Sed haec omnia magis patebunt in progreſſu, ubi de ſingulis Virtutibus Cardinalibus dicendum erit.

2. Hinc excluduntur virtutes particulares, quae ſemper ad externam aliquam circumſtantiam referuntur; ut Temperantia, quae ſpeciatim refertur ad res ſecundas; Fortitudo, quae ſpeciatim refertur ad res adverſas; Pietas et Religio, quae ſpeciatim referuntur ad Deum; Aequitas et civilis Juſtitia, quae ſpeciatim referuntur ad alios homines. Haec patebunt Tractat. 2. ubi ex profeſſo de Virtutibus Particularibus.

Ad Sect. I. §. 1.

P. 18. 3. Ratio habet quatuor haec attributa. Primo *dictamen* eſt, ſecundo *lex;* tertio *regula;* quarto *onus*, quod nobis injunctum eſt. Virtus ergo, quae non aliud quam amor Rationis eſt, *λόγον* quidem ut dictantem *dictamen* amplectitur per auſcultationem ſeu *diligentiam;* *λόγον* ut *legem* amplectitur per *obedientiam;* *λόγον* ut *regulam* et menſuram actionum noſtrarum amplectitur per *juſtitiam;* et tandem *λόγον* ut onus et officium nobis injungentem amplectitur per *humilitatem.* Inter quatuor illa attributa Rationis primum eſt dictamen, utpote latiſſimum et generaliſſimum Rationis attributum. Dictamine enim Ratio extendit ſe tam ad res Phyſicas quam ad morales, tam ad

ſpeculativas quam ad practicas (in his enim omnibus dictaturam exercer Ratio); regula vero, lege, et onere, proprie tantum ad res Ethicas et genus moris pertinet. Ex quo vides, Diligentiam primam eſſe inter virtutes Cardinales, ut quae Rationem ſecundum-ſe et toto ſuo ambitu amplectitur; cum reliquae (Obedientia, Juſtitia, et Humilitas) amplectantur modo Rationem ſecundum-aliquid-ſui, quo ſcil. ad mores praeciſe pertinent.

4. Redditur hîc in libello ratio, cur Diligentia naſcatur ex Virtute; non vero cur primo et ante alias naſcatur, quam nos rationen jam ſtatim in annotatis dedimus. Nempe primum attributum Rationis dictamen eſt, eo quod latiſſime pateat, et rationi ubique, ſive in ſpeculabilibus, ſive in practicabilibus verſanti, adhaereat; cum caetera attributa tantum rationi in practicabilibus verſanti adhaereant. Amplexus ergo, quo virtus λόγον ſuum amplectitur, is primus eſt, quo ipſum ut dictantem amplectitur; ex hoc autem amplexu parit λόγῳ ſuo Diligentiam, quae proinde prima ex hoc connubio filia eſt.

5. Si quis diceret amare ſe melodiam, et muſicum concentum, cum vero hic, ſcil. concentus, ederetur, aures obturaret ſibi, aut interſtreperet, per deridiculum hoc dixiſſe videretur, et minime ex animi ſententia locutus fuiſſe diceretur (concentus enim ille nihil habet, quo capiat aut oblectet, niſi cum ipſe auribus noſtris capitur). Sic qui Rationem, quod virtutis eſt, amare ſe dicit, et tamen cum dictat illa, et ſuggerit aliquid intus et in animo, non attendit, ſed mente divagatur, aut paſſionibus ſuis interſtrepit dictamini, ſplendide mentitus fuiſſe facile convincitur. Nam natura Rationis non conſiſtit in alio quam in certo dictamine, quod qui aſpernatur, hoc ipſo Rationem aſpernatur atque non amat.

6. Imo etiam ab internis et inſenſibilibus: intus a cogitationibus Logicis, Phyſicis, aliiſque ad has vel illas ſeu liberales ſeu mechanicas artes pertinentibus; nam converſione ad iſtas cogitationes mens etiam turbari poteſt in auſcultatione Rationis, ut legis et regulae actionum noſtrarum. Non quod mens viri diligentis ſemper ſe avertat a ſenſibus ſuis, ſimilibuſque cogitationibus, quales jam recenſitae ſunt (ſaepe enim ex praeſcripto rationis et obedientiae lege tenetur his vacare et invigilare), ſed quod praevie quaſi et antequam a Ratione hauſerit, quid mandet illa, totum ſe vir bonus abſtrahere a ſimilibus cogita-

tionibus debeat, ut ſoli Rationi tum vacet (Rationi, inquam, jubenti atque vetanti), eique vacando, clare percipiet quid ipſa velit.

7. Clariſſime nobis conſcii ſumus, Rationem intus in nobis, et in mente noſtra eſſe, ſemperque fuiſſe ibi, nec illius temporis recordari unquam poſſumus, quo nobis primum advenerit; quod clariſſimum eſt ex principiis Rationis, quae *communes notiones* et ideae paſſim vocantur. Etiamſi enim illas ſuſcitari nonnunquam a docente in nobis deprehendamus, ſimul tamen clariſſime deprehendimus, illas non indi nobis ab ipſo, ſed tantum moneri nos ab eo, ut mentem advertamus ad id quod jam ante in nobis ipſi habebamus; quod adeo clare in nobis experimur, ut inde olim Plato ſtatuerit, nullam eſſe doctrinam, noſque cum doceri nova quaedam videmur, tantum veterum reminiſci, et ea recolere quae ante ſcivimus. Jure an injuriâ hoc ſtatuerit Plato, non eſt hic diſceptandi locos; hoc ſaltem patet, omnes homines planiſſime hoc intelligere, et penitus in ſe ipſis deprehendere, Rationem eſſe aliquid penitiſſime in mente ſua affixum, quod nunquam illis advenerit, ſed cum ipſis fuit, quamdiu ipſi cum mente, id eſt, cum ſe ipſis fuerunt.

8. Unde nihil eſt magis ſervile, quam jurare in verba magiſtri, ſeu ideo rationem aliquam aſſumere, quia alius illam ſub auctoritate ſuâ venditat et obtrudit nobis. Pigrum eſt et vecors et manifeſte contra indolem diligentiae, imo etiam contra indolem humani animi, non penitus adhuc corrupti et deflorati. Ita enim naturâ comparati ſunt, quotquot aliquatenus ingenui ſunt, cum rationem aliorum audiunt, eam ut cum ſuâ ratione, quam intus in mente habent, comparent; approbaturi externas illas rationes aliorum, ſi cum interna ſua ratione congruant; ſin minus, rejecturi.

P. 19. 9. Nulla tam compendioſa ad doctrinam et rerum cognitionem ratio, quam ſaepe et ſaepius ea repetere quae bene ſcimus; nam repetitio eorum quae ſcimus, ſemper eſt gradus ad notitiam eorum quae neſcimus; ut vel experientiâ quotidianâ conſtat eorum omnium, quos non taedet hanc repetendi crambem recoquere. Sentient enim ſe, quotieſcunque repetunt quae jam olim bene ſciverunt, ſemper novi quid addiſcere, quod miro modo et quaſi divinitus illis illabatur, ita ut decima repetitio pandat et aperiat aliquid, quod nona non detexerat, imo centeſima prodat aliquid quod omnibus prioribus delituerat. Itaque

fiunt hi tandem fupra omnes aequales fuos, imo fupra reliquos homines longe doctiffimi atque profundiffime fapientes, et praeclarum eft hoc Diligentiae effatum: *Non multa difce, fed multum;* nam fi multum didiceris, multa fcies; fi multa autem didiceris, omnia confundes et nihil fcies

10. Non aliud habet velamentum, quo nobis fe celat Ratio, quam praejudicia et cupiditates noftras; ipfa de fe nuda claraque eft. Qui ergo illam, ubi a praejudiciis et cupiditatibus noftris nonnihil folutior eft, frequentare folet, facile illam etiam agnofcit, ubi velo ifto noftrorum praejudiciorum et cupiditatum involvi quam maxime videbatur. Novit enim ipfam, et novit velum ejus; itaque velum facile aufert, et irretortis nec impeditis oculis intuetur ipfam; in quo obtutu vera confiftit fapientia.

11. Notatu dignum eft, eas difciplinas, quae maximae cultrices fuerunt Veritatum iftarum manifeftiffimarum et ufque adeo manifeftiffimarum, ut rifui fint populo et fatuae vocentur (quales funt Geometria et Arithmetica, quae communes fuas notiones, poftulata, ac definitiones, longe omnino clariffima femper in fronte praeferunt, et difcipulis fuis jugiter inculcant), puriffimas jam a tot feculis et illibatas permanfiffe, nec tantum ab erroribus, fed vere etiam a conjecturis, opinionibus, et fufpicionibus liberas perftitiffe; ubi caeterae difciplinae, quae hîc minus accuratae fuerunt, in infinitos errores, et adhuc plures fi fieri poffet opiniones, conjecturas, nugas, et fomnia praecipitarunt. Quod obfervandum praefertim in Logica et Metaphyfica, quae undique fcatent parergis, cum tamen naturâ fuâ verae liquidaeque fcientiae fint, non minus quam Mathematicae iftae.

12. Mythologia hujus fabulae (qua Ratio velut amafia quaedam, nos vero velut proci confideramur) perfacilis eft; fieri enim non poteft, ut rationem in doctrinis atque fcientiis reconditam et abftrufam capiat is, qni non ante per prima ejus rudimenta gradum fecerit. Atque hinc illae lacrimae; hinc illa tanta fero, operam et oleum perdidiffe fe, et videntium et deplorantium multitudo; quod ad altiores fcientias animum applicaverint, antequam inferiores coeperint, et quod volare voluerint (ut habet paroemia noftra Belgica), antequam alas haberent. Fingitur ergo merito Ratio velut generofa aliqua puella, quae nuptias in thalamo fapientiae cum eo refpuat, a quo videt fe in rudimentis fuis contemptam effe.

13. Tritum eſt hoc Ariſtotelis: *Adoleſcentem eſſe inidoneum auditorem Ethices;* quia nempe, ut inquit ille, paſſionibus ſuis nimis deditus eſt et ſervit. Adeoque veritates Ethicae, quae non tantum praejudiciis, ſed vel maxime cupiditatibus noſtris laborant (ut cap. 1. §. 3. num. 3. annotavimus), admodum obtectae ſunt et abſtruſae adoleſcentibus (quod de iis potiſſimum adoleſcentibus intelligendum eſt, qui animo magis quam aetate adoleſcentes ſunt; invenientur enim et octogenarii pueri, ut inquit ille). Paulatim vero cum aetate ſolet ſe humanus animus a corpore ſenſibuſque ſuis abſtrahere, et vindicare ſe quaſi in libertatem, quae nuſquam eſſe poteſt niſi in regno Rationis, ut patebit §. ſeq. ubi de Fructu Obedientiae.

14. Annotavimus ad n. 2., Diligentiam avertere ſe non tantum a rebus ſenſibilibus, ſed etiam Geometricis et Arithmeticis, et caeteris; proinde forte non conſtare nobis videamur, qui hic ſtudium iſtarum ſcientiarum inter potiſſima diligentiae adminicula reponamus. Sed nulla contradictio eſt; Diligentia enim cum jam vacat muneri ſuo, et dictamini Rationis, quo quid faciendum ſit praeſcribitur, altiſſime auſcultat, merito ſeponit a ſe omnes alias cogitationes; ſed praevie quaſi et antequam muneri iſti accingatur, merito vacat Geometricis et Arithmeticis cogitationibus, utpote in quibus eadem ratio eluceſcat clariſſime, quam in rebus Ethicis comprehendere conatur, ubi longe obſcurior eſſe conſuevit, praeſertim ob noſtras cupiditates. Sunt etiam haec Mathematicae ſcientiae et a cupiditatibus omnibus liberae (nam cupiditates in ſpeculationibus non habent locum), et hanc praecipue ſpeculativae ſcientiae praerogativam habent, quod ſenſuum noſtrorum praejudiciis vel nihil, vel certe minimum infeſtae ſint, quod de Metaphyſica, Phyſica, atque Logica non perinde dici poteſt. In has enim praejudicia noſtra enormiter graſſantur; et fere quotquot theoremata in his ſcientiis conſtituta ſunt, aut Senſum interſtrepentem, aut etiam adverſantem et reſpuentem habent; quorum illud in Logica, hoc in Phyſica et Metaphyſica videmus. Sunt igitur Mathematicae diſciplinae adoleſcentibus longe utiliſſimae, quibus manu ducantur ad Rationem.

15. Sapientia a *ſapere* dicitur, eo quod iſto ſenſu (guſtu) intime rem aliquam corpoream examinemus; nam aſpectus caeterique ſenſus tantum haerent in cortice, et ſuperficiem modo rerum circa quas

verſantur arripiunt, guſtatus vero interiora corporis, quod ei ſubjicitur interius, pervadit et penetrat. Ex quo etiam fit, ut hic ſenſus alia ſaepe de rebus ſentiat quam caeteri ſenſus, v. g. ſpiritum vini, quem tactus frigidum eſſe dixerat, guſtatu calidum eſſe deprehendamus, et inaurata Medicorum catapotia, quae viſus placida eſſe dixerat, guſtatu horrida et amara perhibeantur. Similiter ſapientia, quae ex profunda Rationis auſcultatione naſcitur, rem objectam pervadit et penetrat, et ſaepe longe aliud de illa judicat, quam aut communis hominum ſenſus, aut Scholarum receptus intellectus ferat.

16. Diligentia eſt perpetua captatio Rationis, ſapientia captio: diligens captat, ſapiens capit rationem. Aſt vero captando tandem etiam capimus, id eſt, diligentia tandem aſſequitur ſapientiam. Sed, inquies, captio captantem aliquando fallit; et, inquam (fatendum eſt enim), diligentia aliquando fruſtratur ſapientiâ; ſed ad tempus tantum. Igitur eo caſu conſtantiam accerſat ſibi; ſolet enim eſſe certior poſſeſſio ſapientiae iſtius, quae diligentiam aliquam diu deluſit, et tenaciſſime ſua ſciunt, qui multum laborant, et non niſi multo labore ſua ſciunt. Adde quod et jucundum eſt; nam jucundi ſunt acti labores, praeſertim cum fructu.

17. *Prudentiam* in eo diſtinguunt Scholae ab Ethica, quod Ethica P. 20.
quidem (quod omnibus ſcientiis commune eſt) abſtracta a particularibus, magis univerſalia et generalia contempletur, Prudentia vero proprie pertineat ad particulares circumſtantias morum et actionum humanarum. Quantum ad praeſens, Prudentiam hic tam late ſumpſimus, ut etiam doctrinam Ethicam complectatur.

18. Philaretus in hoc tractatu eſt perſona ficta, amans quidem virtutem (ut nomen ejus ſonat), ſed cum zelo indiſcreto, ſeu minus ſecundum prudentiam comparato; ſimilis nempe tironibus Ethices, quamdiu adoleſcentes ſunt et ad res Ethicas, ut Ariſtoteles bene ait, minus idonei. Hic genium ſuum maxime exſerit Obl. 6. n. 3. et 4., item cap. 2. ſect. 2. §. 13. n. 2.; qui proinde corrigendus eſt ſubinde inſtruendusque, et caſtigatione etiam aliqua reducendus ad veram virtutis normam, a qua imprudenti zelo ſubinde aberrat longius. Caſtigationem illam ejus vide Obl. 2. §. 5. et paulo ante.

19. Reſponde: Provenit proxime ex diligentia obedientiali, nempe diligentiâ qua auſcultamus Rationem in rebus Phyſicis verſantem,

eo quod Ratio in rebus Ethicis praecipiat, ut se ibi etiam auscultemus; remote vero provenit ex diligentia pura, quae ante obedientiam nascitur ex amore Rationis, seu Virtute. *Primo* enim Rationem amamus (hoc ad virtutem pertinet); *deinde* movemur ad auscultandum, quid velit (hoc ad diligentiam pertinet); *tertio* percipimus quid velit (hoc ad sapientiam pertinet); et quidem, inter caetera quae vult, percipimus nonnunquam, etiam hoc illam velle, ut se non tantum in rebus Ethicis versantem, et jubendo vel prohibendo occupatam, sed se etiam in rebus Physicis versantem et exhibendo occupatam auscultemus; proinde auscultamus, sicut jusserat Ratio. Estque haec auscultatio obedientialis quaedam diligentia, participans nempe simul naturam diligentiae (hoc ipso quo auscultat Rationem) et naturam obedientiae (hoc ipso quo jussum Rationis exsequitur). Est igitur haec *obedientialis* Diligentia alterâ illâ, quam *puram* vocavimus, Diligentiâ posterior, atque haec est, quae sapientiam Physicam patit.

20. Quicquid ex passione est, peccatum est; oportet enim nos non passione, sed ratione adductos agere, quicquid ex proposito agimus. Distinguendum autem est inter agere *cum* passione, et agere *ex* passione; nam agere *cum* passione est habere comitantem opus suum passionem aliquam, quae operi causam non dederit; hoc vero non est in vitio ponendum, quinimo, quamdiu homines sumus, nulla nostra actio est, quae non aliquâ passione comitata se prodat; et quo corpore saniores vegetioresque sumus, eo solent actiones nostrae vivacioribus passionibus aspergi, et quasi tingi atque infici. Agere vero *ex* passione est ita agere, ut passio causam det actioni; hoc vero semper et necessario in vitio est (ut jam ante cap. 1. §. 1. etiam annotavimus et probavimus, magisque adhuc probabitur Tract. 4.). E. g. pater castigat filium *cum ira*, quando ratione solâ permotus castigat, ira tamen quaedam hanc actionem comîtatur, sed ob hanc ipse nihil inter castigandum facit aut omittit; hic igitur probus pater est, etiamsi enim cum ira castiget, non tamen castigat *ex ira*. Sed pater verberat filium, quia filio iratus est pater, sic nempe ut ira in causa sit cur verberet; hic malus homo est, licet forte justissima etiam adsit verberandi ratio, imo et tantum, et omni modo, quo eum verberat, verberandi. Licet enim eo casu apud homines facile se

excuſet, ut qui internam animi affectionem non aſſequuntur, revera tamen peccat, ut qui non ex Ratione (quae juſta quidem ſubeſt) ſed ex Paſſione agat. Melius haec patebunt Tractat. 4. ubi de paſſionibus agitur. Cum igitur amor paſſio aliquid nos jubet facere, non poſſumus ejus juſſa exſequendo non peccare; cum vero ſe actionibus noſtris iuterponit, nihil mali eſt. Comitari illas poteſt, ſed non praevertere.

21. Non tamen proprie ſorores ſunt Sapientia ſpeculativa et Prudentia, ſed potius conſobrinae, ſeu duarum ſororum filiae; nam prudentia naſcitur ex diligentia in rebus moralibus verſante), Sapientia autem ſpeculativa ſeu Theoretica naſcitur ex dilgentia obedientiali; quae cum non aliud quam obedientia quaedam ſit (qua obedimus Rationi jubenti auſcultationem ſui in rebus Phyſicis verſantem), patet prudentiam et ſapientiam ſpeculativam duarum ſororum filias eſſe, hanc quidem obedientiae, illam vero diligentiae; nam has ſorores eſſe patebit §. ſeq.

22. Nimirum illi ſoli paſſionibus ſuis non turbantur inter auſcultandum Rationi; caeteris, ne rite et ut decet auſcultent, impedimento ſunt paſſiones, quibus obſequi conſueverunt, quaeque obſequio creſcunt, ut flamma oleo (ut latius Tractat. 4.). Hi ergo cum non bene auſcultent, non bene etiam rationem capiunt (in quo tamen ſolo ſapientia conſiſtit); illi vero auſcultant ut decet, adeoque capiunt rationem ut decet; ſoli proinde capiunt non tantum in rebus moralibus, ſed aliis etiam quibuſcunque, quas contemplandas ſibi conſtituerunt. Melius haec intelligentur, ubi de Praemio Virtutis agetur.

23. Tota ratio ſapientiae, ut jam ſaepe inculcatum eſt, conſiſtit in P. 21.
perceptione rationis; oportet ergo captare rationem, ſeu auſcultare, in quo conſiſtit natura diligentiae. Quod ſi quis rationem captet paſſone aliqua adductus, is hoc ipſo deficit a Ratione (quandoquidem hoc nihil aliud ſit quam peccare, ſeu rationem deſerere); fruſtra igitur captat id, a quo inter captandum continuo recedit. Qui ſic captat, nunquam capit; qui paſſione adductus rationem quaerit, nunquam illam invenit, nam per paſſionem ſemper a ratione abducitur.

24. Eadem quoad modum dictaminis; nam et in Phyſicis ſeu Theoreticis, et in moralibus ſeu Ethicis, ex aequo dictat et ſuggerit Ratio; non tamen eadem omnimode: nam inſuper ratio in rebus Ethicis lex

eſt (non dictat ſimpliciter, ſed dictat aliquid faciendum, aliquid omittendum eſſe, et onus, obligationem, ac officium nobis injungit), quomodo ad res Phyſicas non pertinet.

*Argumentum hujus* §. 1.

Diligentia eſt auſcultatio Rationis. Haec Num. 1.

Partes ejus ſunt duae: Averſio a rebus externis (haec enim impediunt auſcultationem) et converſio intra ſe (ibi enim Ratio, quae auſcultanda eſt, habitat); ſic ſolemus naturaliter procedere, et omnia, quae extrinſecus nobis perhibentur, intra revocare ad examen Rationis noſtrae ſolemus. Haec Num. 2.

Adminiculum diligentiae eſt familiaritas cum Ratione. Initur iſta familiaritas duobus potiſſimum modis: primo frequenti repetitione eorum quae ſcimus, et in quibus manifeſta eſt Ratio; ſecundo, cultu diſciplinarum earum quae Ratione ac demonſtratione maxime gaudent, quales ſunt Mathematicae. Haec Num. 3.

Fructus diligentiae eſt prudentia. Nam diligentes auſcultando captant Rationem; prudentes vero, quod diu captavere, tandem capiunt; nam naturale eſt, et ita omnino natum eſt fieri, ut qui captaverit ſaepe, tandem etiam capiat. Haec Num. 4.

Sapientia autem ſpeculativa, quae magnam cum prudentiâ habet affinitatem, naſcitur demum perfecte poſt prudentiam. Prudentia enim videt, Rationem jubere ſe audiri in rebus Phyſicis, cui juſſui cum obtemperatur, parit ea obtemperatio ſeu obedientia ſapientiam theoreticam ſeu ſpeculativam. Haec Num. 5.

Ad Tr. I. Cap. 2. S. 1. §. 2.

1. Nec enim ideo vir bonus exſequitur quod dictat Ratio, quia aut auſcultavit rationem (quo caſu obedientia ex diligentia naſceretur, et non proxime ex ipſa Virtute, ſeu amore Rationis) aut percepit quid illa dicit (quo caſu obedientia proxime naſceretur ex prudentia), ſed quia amat Rationem; nempe id unum eſt, quod movet ipſum ad faciendum quod jubet ratio, quod rationem amet. Obedientia igitur ſupponit quidem diligentiam et prudentiam (ſcire enim oportet quid jubeat ratio, antequam fiat quod jubet ratio; ſciri vero hoc non poteſt, niſi auſcultetur ratio), ſed tamen ex his non naſcitur, hac

non movent ad obediendum, et ſunt quidem condiciones obediendi, ſed non cauſae; nam ſola cauſa obediendi eſt amor. Ideo enim obeditur rationi, quia amatur ratio; ſolus ergo amor rationis (id eſt, virtus) obedientiam procreat. Sed ſimilitudine res forte fiet clarior. Ut incaleſcas, abeundum eſt hinc, et accedendum ad ignem; hae ſunt condiciones ut incaleſcas, neutrum cauſa eſt, ſed cauſa caloris erit ignis, ad quem accedis; ſic et auſcultare, et percipere quod jubet ratio, condiciones ſunt obediendi, cauſa vero hujus caloris, hujus obedientiae, eſt ille amor rationis, qui inſtigat ad obediendum [1]).

2. Proprius locus, et velut domus atque familia Rationis eſt Ethica, in qua multis praerogativis Ratio ſe prodit. Nam in rebus phyſicis Ratio tantum *exhibet* ſeu dictat; in Ethicis vero, ſeu moralibus, et item dictat ratio (quod ad diligentiam pertinet), inſuper vero etiam *praecipit* atque *vetat* (quod ad obedientiam ſpectat) et regulat (quod juſtitiam concernit) et onerat atque obligat (quod humilitas curat). Ex quibus vides, Rationem tantum obiter in rebus Phyſicis verſari, et velut peregrinari, cum in rebus Ethicis deditâ operâ verſetur, et totam ſe quaſi effundat; ut proinde haec *domus* ejus merito dici poſſit. Quamvis enim etiam in practicis diſciplinis, quae extra genus morum verſantur (velut in Logica, in Pictura, caeteriſque liberalibus vel mechanicis artibus) Ratio quodammodo etiam jubeat atque vetet, regulet, et oneret (v. g. praecipit ſyllogiſmum ſic eſſe faciendum, vetat illum aliter fieri, et per conſequens regulas tradit, et onus injungit diſputanti vel argumentanti); — non abſolute tamen vetat aut praecipit, ſed fere ſub condicione, nempe ſi hoc vel illud (puta ſyllogiſmum) conficere in animo habes; in rebus autem moralibus abſolute praecipit Ratio aut vetat, nulla interpoſita condicione.

3. Nempe illud *quia* reddit hoc negotium Ethicum et morale; videre enim, quod dictat ratio, ſi ibi ſtetur, non eſt morale, non pertinet ad obedientiam; ſed videre hoc, quia ratio jubet, aut quia paſſio impellit, ſeu videre, aut quia decet, aut quia lubet, hoc jam morale eſt. Et ſiquidem quia decet (ſeu quia ratio jubet), hoc probum eſt, et ad obedientiam P. 22.

---

1) Si auſcultaſſes quidem quid ratio dicat, et percepiſſes etiam quod ratio dicit, niſi tamen amares rationem, non faceres quod dicit ratio; unde amor ſolus eſt, qui te inſtigat ad obediendum, cum rite obediens es.

pertinet, ſin quia *lubet* (ſeu quia paſſio jubet), hoc jam malum eſt, et ad ſui ipſius ſervitutem pertinet. Et quidem, quotieſcunque videmus in Phyſicis et notamus, quid ratio dictet, toties id vel quia lubet, vel quia decet facimus; ſed haec laſcivia, quia decet vel quia lubet, ad Phyſicam non pertinet (cujus totum negotium abſolvitur in τῷ videre quid exhibeat Ratio), hoc autem, quia lubet, aut decet, Phyſicam egreditur, et in Ethicam ſe inſinuat; unde bene dictum eſt, in rebus phyſicis obedientiam nullam eſſe, nullam ſervitutem; nam hae ſoli Ethicae debentur.

4. Unde diſtinctio naſcitur in Scholis decantata inter praeceptum poſitivum et negativum. *Poſitivum* obligat pro nunc aut tunc (ut loquuntur), *negativum* obligat pro ſemper. Ut *honora patrem* poſitivum praeceptum eſt, ideoque non obligat pro ſemper (non ſemper enim honorandus eſt, ſed tunc cum res tulerit, ut honorandus eſſe videatur); *non occides* negativum praeceptum eſt, et ſemper ei vacandum eſt, id eſt, neque nunc neque tunc, etc. occides unquam. Unde *negativa* praecepta habent ſenſum copulativum per *neque*, (ac ſi dicas: neque tunc facies, neque tunc, et ſic de reliquis inſtantibus temporis), *poſitiva* autem praecepta habent ſenſum diſjunctivum per *vel* (ac ſi dicas: vel tunc facies, vel tunc, etc.). Oſtendunt interim, praecepta poſitiva ſemper etiam adjunctum habere praeceptum negativum; ut *honora* adjunctum habet *non laede*, *non injuriâ affice*, quae pro ſemper obligant; etiamſi enim parentes non ſemper honorandi ſint, numquam tamen laedendi aut violandi ſunt.

5. Optima via ad veram obedientiam eſt, diſcedere a fucata illa a larvata, quae hominibus ſervit, obedientia. Similis eſt enim exteriori apparatu et fronte verae obedientiae, et ſeducit multos iſtos iſta ſua ſimilitudine; imo tam ſimilis eſt, ut multi (inter quos ſubtiles etiam aliqui Philoſophi, et malorum illorum politicorum vulgus omne) nullam aliam agnoſcant obedientiam, paeter eam quae principibus et magiſtratui ſervit.

6. Lex humana (idem eſt de more et conſuetudine, nam haec vim legis habent) nunquam poteſt nos per ſe obligare; faciendum tamen aliquando eſt quod homines jubent, non quia ipſi jubent, ſed ſubinde quia Deus juſſit ut iis in certo caſu morem geramus (ſic ſaepe faciendum eſt quod parentes et magiſtratus jubent), ſubinde quia aliter

legi divinae ſeu Rationi parere non poſſumus, niſi fecerimus quod homo quiſquam juſſerit. Sic aliquando faciendum etiam quod latrones juſſerunt, v. g. ſi in ſilvis ab iis deprehenſus fueris, et juſſerint te nummos, veſtes, gladium iis tradere; imo ſi foeda etiam aliqua, modo ne directe ſint contra legem Dei, (puta excrementum pecoris [honorem praefamur] vel etiam hominis devorare) juſſerint, faciendum erit, non ex latronum juſſu, ſed quia aliter hic ſervari non poteſt lex Divina de retinendâ vitâ, de qua infra Oblig. 2. Ex quibus patet, bonos multa ſaepe facere quae mali juſſerunt, nunquam tamen faciunt quia illi jubent, ſed quia poſito illorum juſſu reſultat caſus obligationis divinae.

7. Solus enim Deus, ſeu Ratio, poteſt eſſe finis-cui obedientiae (finis, inquam, ultimus; nam ſolus hic proprie finis eſt); nunquam hominem aliquem iſto honore dignari licet. Poteſt interim homo aliquis eſſe finis-cui ſubordinatus, et ita fit, cum parentibus et magiſtratui civili, rite atque ex ratione imperanti, paretur; eo enim caſu quidem finis-cui obedientiae ſunt. Iis enim ipſis obeditur, Deo jubente ut iis pareamus; maxime tamen obeditur Deo, utpote qui ſit finis ultimus obedientiae; nam his hominibus obedimus quia Deo hoc jubenti obediendum eſt. Saepe autem exſequimur quod alius quiſpiam juſſerit, ſic ut ei nullo modo pareamus, ne quidem tanquam fini ſubordinato noſtrae obedientiae; ut cum facimus in ſilvis quod latrones jubent, ſicam nobis intentantes ni fecerimus; hoc enim caſu mere obedimus Deo (ut hic probi ſimus) jubenti ut vitam conſervemus, latrones autem penitus per obedientiam noſtram non attingimus; quae magis patent paulo infra hic Num. 4. [1]).

---

1) Parent boni Deo quidem abſolute ſoli; ſed etiam hominibus quibusdam, et quidem modo aliquo accedente ad abſolutam et perfectam obedientiam, cum homines illi Deo ſubordinantur, ita ſcil. ut his pareamus quia Deus juſſit ut pareremus. In quo ordine ſunt parentes, quibus (ut ipſum nomen indicat) parendum eſt; ſub quibus etiam magiſtratus boni et rectores veniunt. His enim dicimur directe obedire; ſunt enim quaſi in illa linea recta, qua voluntas viri boni tendit in Deum, tanquam finem-cui ultimum obedientiae ſuae; etiamſi non conſiſtant ultimo loco in iſta linea, ideoque nec proprie voluntas in eo feratur. Sicut Leydâ Hagam tendens non proprie ad domum *Ten Deyl* [cod. MS. *Ten Deelen*], nec proprie ad ſilvam, ſed Hagam tendit, haec tantum in curſu et itinere ſuo transmittit. Eſt igitur tertius modus parendi indirecti, qui omnium imperfectiſſimus eſt, cum ſcil. is cui paretur, in illa linea recta non conſiſtit, qua voluntas noſtra in Deum tendit; ſic latroni in ſilvis obedimus.

8. Nimirum Ratio eſt lex, leges autem humanae ſimilis tenoris, ſimiliſque ſunt quoad faciem apparentiae, cum vera illa divina lege; unde qui non aſſuevit diſcrimen inter has obſervare, facile in poſterum decipitur, et quae ſimilia ſunt pro iisdem habet et confundit. Ex quo errore (nam error omnis in alios errores praeceps eſt) facile ſequitur, ut deinceps nullam putet eſſe legem niſi humanam, nihil hic attendat praeter conſuetudinem et hominum mores; in quam ſententiam propendet Ariſtoteles, ut ex locis hic citatis, et multis aliis patet. Nebulones autem hodie multi (qui Politici vulgo dicuntur, ſed injuriâ) non propendent modo, ſed manibus et pedibus in eam ſententiam eunt; quod ex ignorantia verae philoſophiae (unde nihil non mali) in illis evenit.

9. Hoc potiſſimum obtinet in humilitate, et illis quae ad eam ſpectant. Nihil enim magis abſonum popularibus auribus accidere poteſt [1]), quam hoc verum et pia Ethices fundamentum: Nihil ſui cauſa faciendum eſſe; ſuae felicitatis atque beatitudinis nullum ducendam eſſe rationem. Certe populo perſuaſum eſt, omnia agenda eſſe propter ſe, et propter ſuam felicitatem; nam et qui minus probi ſibi videntnr, omnia lucri, commodi, et voluptatum ſuarum cauſâ faciunt; et qui probi ſibi quam maxime videntur, omnia ad aeternam beatitudinem, quae eos poſt hanc vitam maneat, conſequendam faciunt. Nemo in officio, nemo in obligatione ſua ſtat; nemini ſatis eſt ad agendum, praecepiſſe Deum ut hoc ageret.

10. Nec injuriâ, ſi verum ſit quod ſtatuerat, nempe res Ethicas non tam a Natura et Ratione, quam ab humano arbitrio dependere; nec enim plus merentur, ſi ita ſit. Quamvis et in his rebus, quae mere arbitrariae ſunt, plus ſatis operae ponatur a multis; unde Ciceronis juſta illa querela aut expoſtulatio: *Quid? Partus ancillae ſitne in fructu habendus, diſputabitur inter principes civitatis; haec* (quo digitum intendit ad haecce noſtra moralia), *quae vitam continent omnem, negligentur?* Lib. 2. de Fin. ſub initium.

1) Non laborant circa humilitatis materiam magnopere, praejudiciis intellectus ſui (nam quid clarius, quam legem non eſſe in favorem? adeoque eum, qui legi pariturus ſit, ſui cauſâ non conſtituiſſe agere), ſed magnopere laborant cupiditatibus ſuis, quibus ſemper inclinantur, ut omnia propter ſe faciant. Has quamdiu non ſuperarunt, judicant non ut intelligunt, ſed (quod dicitur) ut affecti ſunt, ſeu ut cupiunt.

11. Tantum defert vir ille vanus et popularis rudibus illis in Ethica tractatibus, ne quando emergat politior aliquis, qui craſſam illam et rudem Ethicam (in qua vita facile ſtabiliuntur et reconduntur) refellat, et Augiae illud ſtabulum repurget in quo et ipſe Ariſtoteles cum gentilibus ſuis Philoſophis volutatur, et, ut hîc videmus, libenter impune adhuc volutaretur; itaque deterret magna ingenia a ſtudio Ethices, perſuadens, hoc non eſſe ad palatum ipſorum, hoc non eſſe ſubtiliter exigendum, ſed rudi et pingui Minervâ; ad haec ſufficere, et quemque de circulo poſſe.

12. Innuit, ecce res Ethicas non eſſe capaces magnae ſubtilitatis, et per conſequens tantum ruditer tractari debere. Sed quam falſus ſit, ſatis patet ex infinitis erroribus, quibus ſe et Ethicam ſuam, dum eam ſic ruditer tractat, implicavit. Imprimis aberrat cum caeteris Gentilibus a janua Humilitatis; quam nullo negotio cognoſcere potuiſſet, ſi nonnihil ſubtilius (ut alias Philoſophiae partes ſaepe nimis ſubtiliter) res Ethicas exegiſſet. Quam enim facile eſt videre, cum qui rationem ut legem, (nam Dei illa lex eſt) amplexurus ſit, debere recedere a ſeipſo? Cum lex, qua talis, ſemper onus et officium injungat, de favore ejus cui fertur non laboret; eſto quod ex officio ſaepe favor aliquis, in eum qui officio rite functus ſit, redunder. P. 23.

13. Ut gloriam, ſeu appetitum conſequendi ſibi honores et dignitates, quem ad virtutem magnificentiae refert aut magnanimitatis; item iram et inclinationem ad agendum ex ira, quam in rebus bellicis aliiſque arduis et difficilibus negotiis magnopere commendat; et generatim actionem ex paſſione (quae ipſiſſimum peccatum eſt). Nullam enim novit virtutem aliam, quam quae agit ex paſſionibus ſed moderatis, ſeu ad mediocritatem aliquam redactis; ut adhuc videbimus infra Tract. 4.

14. Prima, radicalis, et eſſentialis libertas eſt *facere quod vis.* Haec libertas reperitur iu omni opere morali, ſeu ad vitium, ſeu ad virtutem pertineat; quaeque hac libertate carent opera, ad naturam, non ad mores pertinent. Accidentalis autem libertas eſt *facere quod conſtituiſti;* et multa ſunt quae iſta libertate carent, opera noſtra; ut quae ſubinde ex conſuetudine aut vehementi aliqua paſſione abrepti, antequam ſatis, quid facturi ſimus, conſtitutum ſit, exſequimur. Hae libertates non ponuntur in fructu ſeu in praemio virtutis, ſed in

exercitio. Eſt igitur alia ac tertia quaedam libertas, quam omnes ambiunt, et a qua libertas nomen ſuum habet; nempe *facere quod libet*, aut, ut honeſtius loquimur (libere enim et lubere male ſonant, quandoque libidinem ingerunt audienti, non tantum libertatem), *agere quod ex animi ſententia eſt*. Qua libertate v. g. non gaudet mercator, qui obortâ tempeſtate merces ſuas abjicit in mare; licet enim ibi quod vult agat, imo quod conſtituit agat (adeoque liber ſit juxta duos priores modos libertatis), non tamen agit quod lubet ei, ſed prorſus agit contra animi ſui ſententiam, minimeque id ageret, ſi non id agere compelleretur. Hac poſtremâ libertate ſemper et ubique liberrimus eſt vit bonus, iſque ſolus; nihil hic unquam facit contra animi ſui ſententiam, nihil, cujus eum poenitere neceſſum ſit, ſi modo ad integrum opus ſuum, omnibuſque ſuis circumſtantiis inveſtitum, animum attenderit. Quod addo, quia, cum partem tantum aliquam operis ſui attendit, ſaepe videbitur contra animi ſui ſententiam agere. V. g. latroni aut tyranno, facultates et fortunas ſuas exigenti, conceſſit eas; aut forte patrem occidit, invincibili ignorantiâ ductus, et hoſtem eſſe ratus; hiſce caſibus vir bonus contra animi ſui ſententiam egiſſe videbitur (non conceſſiſſet enim facultates tyranno ſuas, ſi his non conceſſis ſalvus eſſe potuiſſet; nec occidiſſet patrem, ſi patrem eſſe ſciviſſet). Sed hoc videtur tantum; atque hoc ita etiam eſt, cum animum ad partem tantum operis ſui reflectit; cum vero integrum opus ſuum conſiderat (cogitatque ſe facultates ſuas tyranno ceſſiſſe, quia obligatione et lege Dei, quae de tuenda vita eſt, obligabatur; et patrem occidiſſe ſe, qui hoſtem Patriae occidere debebat, putabatque eum eſſe patrem ſuum), non poteſt ei diſplicere; eſt enim ex dictamine Rationis peractum. Ipſe vero nihil vult, quod ab iſto dictamine diſſentit, et omnia illa ſemper vult, quae cum iſto dictamine conſentiunt; itaque nec poenitet eum, nec poenitere poteſt unquam iſtius operis, quo in caſu poſito, vel neceſſario ſuas facultates ceſſit, vel patrem invincibili ignorantia circumventus occidit. Eatenus haec non ſunt contra Rationem, et eatenus tantum ab illo facta ſunt.

15. Id eſt, quod libet, ſeu quod ex animi ſententia eſt. Alioquin etiam mali agunt quod volunt; imo et agunt quod conſtituerunt agere, ſeu deliberate agunt; haec enim in omni fere opere morali,

ſive bono ſive malo, interveniunt. Temperatur tamen hic iſti phraſiologiae, *quod libet*, quia fere male ſonat, et ex communi uſu magis libidinem quam libertatem ſignificat, ut adhuc ante notavimus. Mali itaque etiamſi duplici priori libertate liberi ſint, hac tamen tertiâ nunquam gaudent, nunquam agunt *ex animi ſententia;* nunquam agunt, quorum eos poenitere non ſit neceſſe; ſemper ita agunt ſicut mercator, qui merces ſuas invitus abjicit in mare. Et quamvis populo ſubinde quaedam libenter facere videantur, neceſſum tamen eſt multa paſſim occurrere iis, quae illibenter et inviti faciant. Fruſtrari enim poſſunt eorum ſtudia et labores optato ſucceſſu; imo ſemper et neceſſario fruſtrantur. [1]) In qua fruſtratione neceſſario invitum eſt; boni vero nunquam fruſtrari poſſunt, ut hic in textu demonſtratur.

16. Servire alicui nihil aliud eſt quam facere aliquid *quia* ipſe jubet; ſervire autem alicui non eſt facere *quod* ipſe jubet. Niſi enim ſimul facias *quia* jubet, non ſervis ipſi; ut ex exemplo, quod mox ſequitur, evidentiſſimum fit. Facit itaque vir bonus ſaepenumero *quod* jubet homo aliquis, nunquam vero facit *quia* jubet homo; nunquam ergo homini alicui ſervit, ſed Rationi et Deo; facit enim *quod* hi jubent, et mere ideo facit, *quia* hi jubent.

17. Nec hoc in rigore; nam voluntas viri boni ad ſummum eſt finis-cui ſubordinatus; itaque vir bonus non facit quia ipſe vult, ſed quia Deus vult, ſeu quia Ratio (quae Dei voluntas quodammodo, certe lex eſt) praecipit. Unde patet, virum bonum nunquam ſic poſſe eſſe liberum, ut

---

1) Mali omnia agunt propter ſe (nec enim aliud eſt peccatum, quam exlex actio; qui enim ob legem agunt, nunquam propter ſe agunt, exleges autem non habent aliud, ob quod agunt, quam propter ſe); cum igitur mali omnia agunt propter ſe, omnis tamen eorum actio naturaliter et fatali neceſſitate tendit contra illos, ſeu tendit in eorum graviſſimam perniciem et calamitatem, ſicut conjectio olei in incendium naturaliter tendit non ad reſtinctionem ſed ad augmentum incendii (hoc infra evidenter demonſtrabimus, ubi de poena peccati). Cum igitur ſemper ut ſibi proſint agent; agendo autem nunquam ſibi proſint, ſed ſemper acerrime obſint; liquet clariſſimum id eſſe, eos ſemper et ubique optato ſuceſſu fruſtrari, ſemperque invitiſſime agere, nunquam ex animi ſententia, nunquam quod libet, ſemper quod diſplicet. Sicuti qui ad reſtinguendum incendium, oleum injicit, putans eſſe aquam, invitus hic eſt, nec agit quod libet, aut quod placet, ſed quod diſplicet; eo quod natura actionis abludat ab intentione animi, aliud proſequentis; — ſic et mali, cum propter ſe agant, et tamen natura actionis eorum ſit contra ipſos, ſemper inviti eſſe intelligentur, ſemper contra animi ſui ſententiam agere.

non serviat; servit enim Deo et Rationi, atque in ea servitute tota ejus consistit libertas; cum absoluta libertas, et ab omni exempta servitute tantum in Deum quadret. Hactenus ergo facit quod vult vir bonus, quia nihil vult, nisi quod jubet Ratio, contra quam nihil agit nisi velit; est enim impossibile contra Rationem agere eum, qui hoc nolet.

P. 24. 18. Dices: magna differentia est inter istum vicinum tuum et herum hunc boni viri; nam imperium vicini tui nullatenus causam suppeditat actioni tuae, at imperium heri causa est, aut certe condicio aliqua multarum, quas vir bonus, qui mancipium ejus est, exsequitur; non enim exsequeretur illas actiones, nisi herus imperaret eas. Resp. Verum est, et ideo recte dicitur: *Omnis similitudo claudicat.* Similitudo tantum, quae hic adfertur, in eo consistit, in eoque est vis et energia ejus, quod nec imperium vicini, nec imperium heri in casu posito sit ullatenus vera causa actionis, seu finis obedientiae. Neutro enim casu hîc obtinet illud, quia nec enim tu domo egrederis, quia jubet vicinus (facis tantum *quod* jubet, non *quia* jubet), nec vir ille bonus bajulat, quia mandat herus, sed quia jubet Ratio (forte illa, quae jubet nos hic in vivis manere, donec Deus evocet). Facit igitur etiam, *quod* mandat herus, non *quia* mandat herus.

19. Nunquam facienda sunt illa quae intrinsece mala sunt, seu talia quae nunquam fieri recte possunt; nam heri mandatum, et periculum vitae propriae, non possunt rebus illis intrinsecam et essentialem malitiam detrahere. Igitur hoc casu vir bonus videbit se solvi ab illa obligatione, quae nos hîc manere jubet, aliamque sibi injungi, quae jubet Deo nos hinc evocanti protinus parere; qui non magis angitur aut turbatur animo, quam fidelis hero suo servus, qui inter exsequendum pensum, quod herus imposuerat, interpellatur, et aliud aliquid agere jubetur. Tota siquidem agendi ratio ei est haec: *Deus jubet, Ratio postulat;* hoc an illud jusserit, non multum interest ejus, cui tota agendi ratio est *jussisse.*

20. Dices: mali id etiam agunt, quod volunt, et quia volunt. Resp. Verum est, si intelligas ut verba jacent; hoc enim requiritur ad moralitatem actionis; sed mali non agunt quod volunt hoc sensu quasi nihil unquam faciant inviti, nihilque contra animi sui sententiam. Si enim vir malus eodem modo veneat, eodemque modo servitutem servire cogatur, prout hic in textu de viro bono dicitur, certum est

facturum multa invitum: nihil enim aliud quaerit quam commoda, voluptates, etc. Ipfam etiam vitam propter vivendi fuavitatem, et horrorem mortis, continuare defiderat; his vero in illa fervitute multa contraria et facere et pati cogetur; vir bonus vero, qui haec talia non quaerit, et ne vivere quidem vult aliam ob caufam, quam quia Deus juffit, et in reliquis omnibus nihil aliud quam juffum Dei fpectat, nihil hic facit contra animi fui fententiam; cum Ratio hîc in fervitute tam bene vigeat, quam alibi in libertate. Utraque enim fortuna (fecunda, inquam, et adverfa) a Ratione dirigitur, et perinde in utraque valet. Igitur vir bonus, qui tantum rationem quaerit, eâ folâ gaudet, tam adverfis quam fecundis gaudet, nihilque in his omnibus effe poteft praeter animi fui fententiam. Mali vero, cum fe jugiter quaerant, jugiter fe quaerendo fe perdunt, omnifque eorum actio naturaliter tendit ad eorum ultimam et deploratam calamitatem. Ex quo ergo fequitur, quod nunquam agant ex animi fententia; is enim maxime contra animi fui fententiam agit, qui inter agendum continuo fruftratur optato fucceffu; quod hic adhuc praecox et immaturum, magifque detegetur, ubi de poena peccati dicemus Tract. 5.

*Argumentum hujus* §. 2.

Obedientia eft exfecutio Rationis. Nafcitur ex virtute, feu amore Rationis, quatenus Ratio lex eft; qui enim virtutem ut legem amat, debet ei obedire. Haec Num. 1.

Sicut legis duae funt partes, jubere et prohîbere, fic et Obedientiae duae funt partes, facere et omittere. Haec Num. 2.

Adminiculum Obedientiae eft, diligentiffime fibi cavere ab Obedientia hominum. Debemus quidem aliquando facere quod jubent, nunquam, quia jubent homines. Ariftoteles hîc notatus, qui vacillat, et non fatis intər Obedientiam Rationis ac hominum diftinguere fe poffe conqueritur; ideoque res Ethicas tantum obiter tractandas fufcipit, ut quae non plus mereantur, tanquam vagae, et hominum placitis vel fimiles, vel etiam eaedem. Haec Num. 3.

Fructus Obedientiae eft Libertas, feu nihil facere invitum; quam folus, quam femper et ubique is habet, qui foli obedit Rationi. Non eft enim cogitabilis cafus ullus, quo adigatur ad invitum; cum Ratio in utrâque fortunâ, in omni ftatu et condicione vitae, perinde et

aeque ſuas partes habeat; qui proinde ſolam illam ſpectat, eâ ſolâ ſtat et cadit, nunquam cogi poteſt ad invitum, ad id quod contra animi ſui ſententiam eſſet. Haec Num. 4.

### Ad Tr. I. Cap. 2. S. 1. §. 3.

1. Cum particula illa non ſit neceſſaria in definitione virtutis (ut cap. 1. §. 2. num. 3. et 4. demonſtratum eſt), ſatis importatur Ratio juſtitiae, cum per genus (quod eſt *Amor*) tum per differentiam (quod eſt *Rationis*). Nam nec *amari* vere niſi unum poteſt, et licet amari plura poſſent, certe *Ratio* talis eſt naturae, nihil ut ſinat ſecum amari; quae omnia demonſtrata ſunt ſupra in annotatis.

P. 25. 2. Sub diverſâ conſideratione et juſtitia obedientîam praecedit et ſequitur. Praecedit, quatenus opus integrum obedientiae eſſe non poteſt, in quo partes ſuas non habuerit juſtitia; non eſt enim opus obedientiae, in quo plus minusve ſit quam ratio jubeat. Sequitur autem obedientiam, quatenus juſtitia ſupponit aliquid, a quo *plus et minus*, a quo *nimis et parum* arceat; hoc vero eſt rude aliquod et inchoatum opus obedientiae. Verbo igitur: juſtitia ſequitur inchoatam, praecedit completam et perfectam obedientiam.

3. Mythologia hujus fabulae ſatis fere patet jam ex iis quam proxime notabamus. Nempe virtutes Cardinales conſiderantur hic in fabula tanquam ſorores: ſunt enim conceptae ex eodem patre, nempe *Ratione*, partae ab eadem matre, nempe *Virtute*, quae complexu rationis et amoris in illam (virtus enim *amor rationis* eſt) concipit et in lucem nobis edit generoſam illam ſobolem, Diligentiam, inquam, Obedientiam, Juſtitiam, et Humilitatem. Merito igitur ut ſorores in fabula perhibentur, et quidem tales ſorores, quae veluti deditâ operâ nativitatis ſua ordinem nobis occultent, nec ſciri permittant, quae earum major, quae natu minor ſit, eo quod ſub diverſa conſideratione aliam aliâ priorem, et contra deprehendamus; ut jam proxime de Obedientia et Juſtitia annotatum nobis fuit, et mox in textu ſequetur de aliis.

4. Harum diverſa conſideratio locum dat huic ambiguitari in fabula. Si enim conſideres rationem ſeu λόγον ut *dictantem* tantum (ex quo a virtute concipitur Diligentia), praecedit diligentia obedientiam; ſi vero conſideres λόγον non ut dictantem tantum, ſed ut *jubentem* etiam atque *vetantem* (ex quo virtus Obedientiam concipit), jam

Diligentia, et quicquid virtutis eſt, non niſi Obedientia eſſe poteſt.

5. Deae, quia jungunt nos et copulant cum Deo quam arctiſſime; unde omnia noſtra beatitudo atque felicitas, unde nos ipſi velut parvi quidam Dii, ſi earum miniſterio cum Deo jungi nos patiamur; dulces ergo vere quae id conferunt, unde merito dicatur: *Vero bono ſecundum Deum nihil pulchrius eſſe.*

6. Patet id ſatis ex nomine quod libido habet apud Belgas [*On-* P. 26.
*kuyſheyt*].

7. Videtur communis Ethicorum ſchola exiſtimaſſe, ea vitia ad exceſſum pertinere, in quibus plus activitatis eſſe videbatur; ea vero ad defectum, in quibus plus ſocordiae, ignaviae et velut quietis eſſe ducebat. Sic ſuperbiam, luxuriam, prodigalitatem, temeritatem, quia in his omnibus activitas quaedam ſonat, vitia in *exceſſu* vocavere; contra vero ſtuporem, avaritiam, ignaviam, quod nulla in his, vel parva videretur vigere activitas, ad *defectum* revocarunt. Sed imprimis illa ipſa apparentia falſa eſt; certum enim eſt, avaros ſaepe plus agere quam prodigos, meticuloſos plus quam temerarios; hos equidem ut vitam, illos ut fortunas ſervent. Secundo in eo etiam errant, quod in quiete minus activitatis eſſe putent quam in motu (quod in Philoſophia Naturali falſum eſſe demonſtratur); quod tamen illi perſuaſiſſe ſibi videntur, vitia omnia, in quibus plus motûs eſſe putabant, quaeque quaſi majorem celeritatem ſonabant, ad exceſſum referentes. Non igitur vitium in exceſſu, itemque vitium in defectu abſolute dicuntur, ut eorum fert ſententia, ſed relate et cum ordine ac reſpectu ad certum virtutis officium. Unde et idem vitium in exceſſu pariter atque defectu eſt, comparatione factâ ad diverſa virtutis officia; ut Avaritia defectus eſt, ſi comparetur ad officium liberalitatis, exceſſus vero ſi comparetur ad officium frugalitatis; quae vide in textu.

8. Particula alienans Logicis dicitur, quae oppoſita vocabulo, retorquet illud a propria ſignificatione in alienam et veluti contrariam; ut *falſum* alienat *aurum*, nam falſum aurum jam non eſt aurum, ſed aurichalcum, aut quid ſimile. Tales ſemper ſunt illae particulae *plus* et *minus*, et facillime patet, quando nominibus numerorum adjunguntur; ut *plus quam quatuor* non eſt jam *quatuor*, ſed ad minimum *quinque;* ſic etiam *minus quam quatuor* non eſt jam *quatuor*, ſed ad ſummum *tria.* Quodque ita in numeris obtinet, etiam in aliis rebus

quibuſcunque obtinet; eſſentiae enim ſunt ſimiles numeris, quibus ſi quid addas vel demas, naturam mutant, nec id manent, quod eſſe dicebantur, ut Philoſophi paſſim inculcant.

9. Apparet in hoc ſchemate, quod multiplicari poteſt in indefinitum; capiendo duas virtutes, aut potius duo virtutis officia inter ſe quodammodo oppoſita, et eorum ſingulis defectum ac exceſſum ſuum (ut in hoc ſchemate fit) appingendo; patebit enim ſemper, id vitium, quod unius exceſſus eſt, alterius defectum fore, et contra.

| | | | |
|---|---|---|---|
| LIBERALITAS | PRODIGALITAS | | FRUGALITAS |
| | Exceſſus | Defectus | |
| | Defectus | Exceſſus | |
| | AVARITIA | | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| GENEROSITAS | SUPERBIA | | MODESTIA |
| | Exceſſus | Defectus | |
| | Defectus | Exceſſus | |
| | IGNAVIA | | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| RELIGIO | SUPERSTITIO | | MASCULA PIETAS |
| | Exceſſus | Defectus | |
| | Defectus | Exceſſus | |
| | IMPIETAS | | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| COMITAS | SCURRILITAS | | GRAVITAS |
| | Exceſſus | Defectus | |
| | Defectus | Exceſſus | |
| | RUSTICITAS | | |

V. g. loco liberalitatis et frugalitatis in uno ſchemate, itemque loco generoſitatis et modeſtiae in altero ponatur v. g. Religio et (quia nomen non occurrit aliud) Maſcula Pietas, id eſt, virtus illa, quae a minutiis et quiſquiliis ſcrupuloſorum et ſcrupuloſarum ſibi tempeſtive cavet. Utrimque in lateribus per modum quadrati ponantur Impietas et Superſtitio. Videbis mox Impietatem defectum eſſe religionis, et exceſſum maſculae pietatis; contraque Superſtitionem exceſſum eſſe religionis, et defectum maſculae pietatis. Obtinebit ſaepe hoc ſchema etiam locum, cum nomina idonea non ſuppetunt quod equidem remorari nos non debet, quia res non pendent a

nominibus, et inventis rebus nomina ſi non ſint, fingantur: ſemper id inter probos licitum fuit.

——— *Licuit, ſemperque licebit,*
*Signatum praeſente notâ producere nomen.*

Ex his etiam habebis ſchema: Comitas et Gravitas et adverſo ponantur, ad latera etiam ex adverſo ſcurrilitas et ruſticitas. Scurrilitas eſt exceſſus comitatis et defectus gravitatis; ruſticitas eſt exceſſus gravitatis et defectus comitatis.

10. Nimirum circa coërcendum Diabolum (de quo infra, tractatu 4., ubi de hoſtibus virtutis agetur), cujus hic eſt ſtimulus: *Perge, quia incepiſti;* contra quem virtus clypeum hunc objicit: *Ne quid nimis.* Facile eſt enim inſtigante Diabolo a medio virtutis ad exceſſum ire; et qui liberalem ſe praebere conſtituit, facile in prodigum degenerat; qui frugalem, in avarum; qui generoſum, in ſuperbum; qui modeſtum, in ignavum; qui religioſum, in ſuperſtitioſum; qui maſcule pium, in impium; qui comem, in leviculum; qui gravem, in moroſum et ruſticum; et ſic de caeteris. Periculum ſemper eſt ab exceſſu, nunquam vero tantum periculum eſt a defectu; nam qui liberalem ſe praebere conſtituit, non tam facile in avarum degenerat, nec qui frugalem in prodigum, nec qui generoſum in ignavum, etc. quia ab hac parte Diaboli ſuggeſtio non militat.

11. Metaphyſici vulgo tres aſſignant proprietates entis, *unum, verum, perfectum;* ſed quarta adroganda eſt, nempe *purum.* Quemadmodum enim res quaeque *unum* hoc eſt quod eſt (v. g. fluctus unus fluctus eſt, etiamſi multae guttae), quemadmodum etiam quaeque res *verum* hoc eſt quod eſt (ut fluctus verus fluctus eſt), item *perfectum* hoc eſt quod eſt (nam imperfectus fluctus, et imperfecta menſa, et imperfecta domus, non haec ipſa ſunt, ſed horum partes), ſic etiam quaeque res eſt *purum* hoc quod eſt: nam impura res non eſt res illa, ſed res illa et aliquid aliud, quod ei admixtum eſt. Ut aurum impurum non eſt aurum, ſed aurum cum ſcoria; impurum vinum non eſt vinum, ſed vinum et faeces, aut aliquid aliud ei admixtum, et ſic de reliquis. Ex quibus clare ſequitur, Juſtitiam penes utramque ſuam partem (puritatem, inquam, et perfectionem, de quibus num. 2.) reperiri in re quaque, et per conſequens reperitur

necessario in virtutis officio; ita ut, si non perfectum, vel non purum virtutis officium fuerit, minime in officii loco reponendum sit.

12. Valde obvium et nimis quam frequens cacoëthes. Sceleribus quibusdam per adulationem speciosa induntur nomina; caedes et rapina bellica virtus vocatur; sordes et avaritia frugalitatis nomine veniunt, et ipsissima impietas mascula ac robusta pietas vocari amat; et ita porro. Vitio, quod ad excessum pertinet, ipsius virtutis, cujus illud excessus est, adulator affingit nomen. Contra vero invidia [1]) et malevolentia optimis virtutibus turpissima vitiorum accommodat nomina; proborum pietas atque religio superstitio vocatur; mascula eorum pietas impietatis inuritur notâ; frugalitas avaritia vocatur; atque adeo omnibus virtutibus nomen vitii, quod ad excessum pertinet, malevolus et detrectator impingit. Ex quibus equidem incidenter vides, majorem virtutis cum excessu, quam cum defectu suo in apparentia et populari judicio affinitatem. Nec statur hîc; cum tam dissentanea rebus imposita sunt nomina, sive per adulationem sive per invidiam, facile postea contingit, ut res id esse, quod nominibus innuitur, videantur; itaque imposterum et virtutem fugiunt sub larva vitii iniquissime degentem, et vitium sectantur sub virtutis exuviis iniquissime gloriosum.

P. 27. 13. Nolim hic, ut putet aliquis me omnia peccata aequalia ducere (sicut postea ostendemus, virtutes omnes aequales esse Tract. 2.). Nam *magis* quidem et *minus* in virtute non obtinet, quae summum gradum obtinet (sicut in recto non obtinet magis et minus, eo quod rectissimum esse debeat quicquid simpliciter rectum est), sed in peccato, quod a virtutis via deflectit, *magis* et *minus* agnoscendum est. Nam *bonum ex integrâ causa, malum ex singulis defectibus* (ut scite philosophi); possunt ergo defectus esse multi, et per consequens magis minusque accumulari, bonum vero tantum unum integrumque esse

---

1) Duae pestes pestilentissimae in Repub., obtrectatio et adulatio, hoc agunt, ut totam Ethicam ab animis hominum expellant, dum virtutis et vitii confusionem inducunt; nam adulator vitiis imponit nomina virtutum, obtrectator virtutibus imponit nomina vitiorum. Hinc fit, ut rudiores postea virtutem, quam tam malo nomine inuri audiverunt, velut vitium fugiant, et vitium, quod tam specioso nomine insigniri audiverunt, pro virtute prosequantur, adeoque sublato aut incerto discrimine virtutis ac vitii pessum eat Resp., cujus omnis salus a bonis civibus, qui sine delectu virtutis et vitii boni esse non possunt.

poteſt. Quid interim ſibi velint *magis* et *minus* (nam ad operationes mentis noſtrae, quod vulgus ignorat, ſpectant hae particulae), dico in Metaphyſica, praeſertim ea parte, quae eſt Metaphyſica Peripateticorum, ad quae hic longum eſſet abire.

14. Satietas, quae reſultat ex puritate et perfectione inter ſe conjunctis, ſeu ex refectione ejus quod nimis et ejus quod minus eſt, illa, inquam, ſatietas eſt fructus et praemium eſſentiale juſtitiae, quod ab illa ſeparari nunquam poteſt. Cum enim ablatum eſt quod nimis erat, et ſuffectum quod minus erat atque incompletum, reſultat neceſſario ipſum *ſatis*, quo nihil ſublimius, nihil magis divinum excogitari poteſt; nunquam enim melius eſt, quam cum ſatis eſt. Praeter hanc eſſentialem juſtitiae ſatietatem, datur accidentalis quaedam, quae vernacule *contentement* vocari ſolet, eſtque paſſio pertinens ad amorem affectionis, inter alias longe ſuaviſſima.

15. Diaboli aſtutiâ ſeductus. Diabolus enim ſemper in exceſſum impellit, quem ſub virtutis nomine venditat, ut hîc in textu notatur ſub nomine majoris virtutis. De quibus infra Tract. 4.

16. Frequens quidem, ſed ridicula populi aſſenſio; re ipſa enim notant eum atque carpunt, cui videntur adblandiri velle. Si enim plusquam ſatis, ergo male, ergo ſtulte; nam in *plusquam ſatis* neceſſario intricatur *fruſtra* (ut mox in textu demonſtrabitur), *fruſtra* autem facere ſtulte atque inepte facere eſt. Itaque cui ut liberali his vocibus adulantur, aut ut modeſto, ut generoſo, etc., eum revera fatuum atque ridiculum dicunt. Non ſunt tamen graviori cenſurâ perſtringendi, qui forte nobis in communi uſu vitae talem aliquam vocem objiciunt, et laudando, nos vel nimis generoſos, vel plus quam ſatis obſonii appoſuiſſe dixerint. Non proveniunt enim haec ſemper ex malo animo et adulandi ſtudio: ſaepe haec non aliud ſignificant quam nos bene generoſos et liberales eſſe, et plus quam illi, quibus haec nomina per adulationem tribuuntur, qui aliquando non ſatis generoſi aut liberales ſunt. Summa regula accipiendi voces pendet a mente loquentis, ut in Logica noſtra dicimus. p. 28.

17. Poſſet aliquis cogitare, defectum exceſſu pejorem eſſe, eo quod in exceſſu aliquid boni contineatur, ſcil. mediocritas, ſeu ſatis (exceſſus enim eſt *ſatis et adhuc*), in defectu vero nihil appareat boni. Sed re bene perpenſa par eſt exceſſûs atque defectûs ratio; in utroque boni

aliquid, in utroque aliquid mali eſt; initium in utroque bonum eſt, finis vero malus. In defectu enim tenditur ad *ſatis* (hoc bonum eſt), non pertenditur (hoc malum eſt); in exceſſu pertenditur ad ſatis (hoc bonum eſt), non ſtatur ibi, ſed ultra tenditur (hoc malum eſt). Sed quia defectus videtur poſſe conſiſtere ſine ulla ad medium ſeu *ſatis* tendentia, hinc populo magis notatus fuit defectus quam exceſſus: hinc enim *defectus* et *vitium* illis ſynonyma ſunt, non item *exceſſus* et *vitium*. Hoc autem non eſt ita, neque defectus unquam tantus eſt, ut non ſit in eo aliquid boni, ſeu tendentia ad medium; ſicut enim nihil tam falſum eſt, in quo non neceſſario ſit aliquid veri, nihilque tam curvum, in quo non ſit aliquid recti, ſic nihil tam malum eſt, in quo non ſit boni aliquid. Quod ſi omnino boni nihil ineſſet, nihil eſſet (nihil, inquam, in genere *naturae*, cum de malo naturali ſermo; et nihil in genere *moris*, cum de malo morali ſermo eſt). Sed de his infra dabitur forte occaſio latius diſſerendi et elucidandi.

*Argumentum hujus* §. 3.

Juſtitia eſt adaequatio rationis. Oritur etiam ex virtute ſeu amore Rationis, ut regulae et menſurae actionum noſtrarum; menſuram enim et regulam amat nemo, niſi ei adaequet quod menſurandum aut regulandum eſt. Haec Num. 1.

Partes iſtius adaequationis duae ſunt: Reſecare quod ultra menſuram ſupereſt (et puritas vocari poteſt), et ſupplere quod ad plenam menſuram deeſt (quod perfectionis eſt). Juſtitia hiſce partibus, ceu duabus ſuis manibus, duo retegit vitia, defectum, inquam, et exceſſum; illum puritas ſeu dextra ejus manus, quae gladium portat, hunc perfectio ſeu ſiniſtra manus, quae ſtaterâ inſtruitur, abarcet et cavet. Haec Num. 2.

Adminiculum Juſtitiae eſt ſeria eſſentiae rerum conſideratio, quae in numero et menſurâ conſiſtit; adeo ut res quaeque naturam ſuam mutet, ſi vel hilum ei addas aut demas. Igitur nec actiones probae erunt (id eſt, dictamini rationis conſentaneae), ſi tantillum in iis plus minusve ſit, quam Ratio dictet. Haec Num. 3.

Fructus Juſtitiae eſſentialis eſt illa ſatietas, quae ex declinatione cum ejus quod redundat, tum ejus quod deficit, exoritur; accidentalis

autem fructus eſt illa, quae in paſſione conſiſtit, quae *contentement* vulgo vocatur.

Appendix, quod populus magis agnoſcat vitium in defectu quam in exceſſu; exceſſus tamen non minus malum eſt, utpote quod fruſtra in ſe habeat, quod ab omnibus malum eſſe cognoſcitur. Haec Num. 4.

## Ad Tr. 1. Cap. 2. S. 2. §. 1.

1. Securitatis cauſâ additur haec lacinia, non neceſſitatis. Sufficit enim ad humilitatem, quod ſit contemptio ſui; aliunde enim contemptio illa provenire nunquam poterit, niſi ex amore Dei et Rationis; caeteri omnes, qui hoc amore non percientur, ut ſe contemnere, negligere, et abjicere videantur, hoc unum ſemper agunt, ut ſe et ſua curent. Qui ergo res ſuas familiares dilapidant, qui perpotant, qui ſui et ſuorum negotiorum incurioſi, qui totos dies ſtertunt, hi ſunt, qui vel maxime ſuâ cauſa laborant; propter ſe enim, propter laborum et moleſtiarum incommodum deſides ſunt, et officium deſerunt, propter delectationem et libidinem ſuam indulgent genio, et facultates ſuas peſſumdant. Imo hi etiam, qui animam deſperabundi abjiciunt, maxime id ſui cauſâ faciunt, nempe ut effugiant paupertatem, infamiam, ſupplicia, et quae id genus ſunt alia, quae vulgo *calamitates* vocantur. Tandem neceſſe eſt, ut, quicquid ex propoſito agunt homines, vel quia jubet Ratio, vel quia lubet illis, agant (ſi enim non quia Ratio jubet agis, ergo, quia placet, quia lubet, quia ſic videtur tibi, quia ſic conſtituiſti, agis). Si hoc, propter ſe et ſua cauſa agunt, et per conſequens non ſunt humiles, non ſe ipſos contemnunt, ſed ſe ipſos in omnibus reſpiciunt; ſi illud, jam ſicuti ſe ipſos contemnunt, ita etiam ſoli Rationi vacant. Non poteſt ergo eſſe verus contemptus ſui, niſi ex amore Dei et Rationis.

2. Poſitive contemnit, qui ipſum contemptum ſpectat, ipſum illud id animo et intentione gerit, ut contemnatur et male habeatur. Quae intentio longiſſime abeſt a viro bono; hic tantum negative ſe contemnit, id eſt, nullam ſui curam habet. Quod fieri non poteſt, niſi ſummam habeat curam Rationis, ut jam ſtatim demonſtratum eſt.

3. Vir bonus, quantum ad intentionem attinet, ſeipſum nullo P. 29.
modo curat, de ſe nihil laborat; quantum vero ad effectum attinet, unice ſe curat, maxime de ſe laborat. Omnia enim quae facit, eo

naturaliter et neceſſario tendunt, ut feliciſſimus ſit atque beatiſſimus (ut infra patebit, ubi de praemio virtutis, ſcil. Tractat. 5.). Contrarium obtinet in malis; hi, quantum ad intentionem, unice ſe curant, continuo de ſe laborant (ut patere poteſt ex iis quae ad initium hujus §. notabamus), quoad effectum vero ſeu eventum, ſe ipſos penitus negligunt et peſſime oderunt: nam quae agunt, omnia naturaliter tendunt in eorum perniciem, in eorum deploratam, ultimam, et miſerrimam calamitatem; ut evidentiſſime demonſtrabimus Tractat. 5., ubi etiam de poenâ peccati.

4. Jubet hoc Ratio per gradus aliquot procedendo, quos paulo poſt, ubi de obligationibus dicetur, emetiemur; jam tantum obiter. Jubet ergo Ratio nos manere in vivis, donec ſolvamur (miſſi enim huc a Deo, hoc ipſo etiam juſſi ſumus manere, donec quid aliud nobis injungeretur); hîc ſi manendnm eſt, veſcendum eſt; ſi veſcendum, etiam laborandum; ſi laborandum, corpus par laboribus habendum; ſi hoc, ergo quies ei ſua et commoditas, et animo recreatio aliqua atque voluptas concedenda. Per hanc ſcalam vir bonus ſemper aſcendit et deſcendit: commodum quaerit, ut laboribus par ſit; laboribus par eſſe vult, ut laboret; laborare vult, ut habeat quo veſcatur; veſci vult, ut vivat; vivere vult, quia Deus hoc juſſit, non quia ſibi placet, non quia vita (quod hodie proverbio tritum eſt) tam ſuavis ſit; atque in hoc ultimo gradu ſiſtit vir bonus, et Deum juſſiſſe ſatis eſt. Ex quo apparet quam clariſſime, eum ſua commoda et ſuas voluptates aliquando quaerere; nunquam vero propter ſe quaerere ea, aut ſuâ cauſâ, ſed quia Deus illum ad haec quaerenda ſubinde obligat, pulchrâ illâ et per concinnos annulos (ut vidimus) perpetuo cohaerente catenâ.

5. Quo pacto humilitas ſit filia Virtutis et λόγου ſeu Rationis (hic pater ejus, illa mater ſit), facile intelligetur ex iis quae annotata ſunt ad §. 3. praecedentis ſectionis num. 1. de Juſtitiâ.

6. Humilitas enim λόγου et virtutis filia, non neptis eſt; nihil enim intercedit inter ipſam et parentes ejus, ſeu nulla alia generatio interjicitur. Etiamſi enim diligentia praeceſſerit, obedientia et juſtitia, harumque etiam fructus, et quaſi filiae, nihil tamen ex his habet rationem matris reſpectu ipſius humilitatis, id eſt, nihil habet rationem cauſae, ſed ad ſummum condicionis. Nec enim ideo negligit ſe

vir bonus, quia aufcultavit Rationem, aut percepit Rationem, aut obedivit, aut juftus fuit; fed totum ejus motivum, quo agitur ad fe negligendum, amor Rationis, feu Virtus eft; ideo enim mere, et ob hoc unum fe negligit, quia Rationem feu legem Dei amat.

7. Humilitas eft amplexatio obligationis et oneris, quod Ratio nobis injungit. Ratio quidem in feipfa dictamen eft (cum virtus fic amat λόγον, parit et diligentiam); Ratio etiam in fe ipfa, fed tamen cum refpectu ad actus noftros, lex eft (et virtus hoc amore tacta parit λόγῳ fuo obedientiam); ratio etiam eft menfura morum et actionum noftrarum (et cum fic λόγον fuum amplectitur virtus, parit ei juftitiam); tandem Ratio effectum etiam aliquem in nobis producit, obligationem et onus atque officium quod nohis injungit. Huic cum virtus fuccollat, parit humilitatem; fieri enim nequit, ut onus fuam acceptet, et tamen fe ipfam diligat; cum onus, qua fic, non fpectet ad amabile feu amabilitatem, non fpectet ad favorem ejus cui imponitur.

8. Ratio hujus fabulae feu mythologia eft, quia praecedentes virtutes Cardinales genitae funt ex amplexu Rationis ut in fe eft, Humilitas autem generatur ex amplexu Rationis, quatenus Ratio nos refpicit, quibus onus et officium injungat; jam autem prius eft, quod eft, quodque in fe eft, quam quod eft in ordine ad alia; igitur et amplexus ille hoc amplexu prior eft, priufque quod ex illo, quam quod ex hoc gignitur.

9. Alia ejufdem ratio hîc datur, fcil. aliae virtutes proxime occupantur circa objectum (id eft, circa quod), humilitas circa fuum fubjectum (id eft, in quo) verfatur, nam Diligentia eft aufcultatio Rationis, Obedientia exfecutio Rationis eft; Juftitia eft adaequatio Rationis (ecce hae omnes circa Rationem verfantur, quae virtutis objectum, quae id eft, quod eo amore qui virtutem conftituit amplectimur); Humilitas autem eft incuria fui. Ecce haec circa fubjectum virtutis, circa perfonam illam, in qua virtus eft, verfatur; cum igitur objectum fubjecto prius fit (ut vel ipfa nominum iftorum ratio praefert), neceffum eft etiam, reliquas Humilitate priores effe.

10. Alia innuitur confideratio, juxta quam humilitas diligentiâ prior eft; nempe quod non nifi vir humilis rite poffit Rationis di- P. 30.

ctamen aufcultare. Quo pacto enim aufcultabit, quid dicat Ratio, fi adhuc aufcultet, quid dicat ipfe, feu quid ad fua commoda et voluptates pertineat? Unde profecto bene infertur, perfectam completamque diligentiam praefupponere humilitatem, feu incuriam fui; nam quod vulgo dicitur in lingua noftra vernaculâ: Duos canentes audire poffumus, non duos loquentes, hîc etiam obtinet; non poffumus audire nos et Rationem, oportet ergo alterum oratorem deferere, et toti vacare debemus Rationi, fi quid illa dicit, audire voluerimus.

11. Tota haec tractatio, quae hoc num. 2. continetur, parallela eft ei, de qua ante §. de juftitia numer. 1., ubi fimiles confiderationes de prioritate et pofterioritate fuarum virtutum interponuntur.

12. Non eft vera levitas, uec defultoria vanitas, quae nos hoc numer. 2. exercuit; fed ftudiofa quaedam et amoena (qualis in fabulis effe folet) rei admodum feriae confideratio, qua vidimus arctum illud vinculum, quo virtutes cardinales inter fe colligatae funt atque devinctae, ita ut alteram fine altera habere nunquam poffis; imo ut quaelibet qualibet aliâ, certâ confideratione, prior fit. Etiamfi enim juxta primam et fimpliciffimam confiderationem ordo talis fit inter has virtutes, qualem libellus nofter innuit, funt tamen aliae etiam confiderationes verae atque bonae, penes quas alius inter illas virtutes ordo ponendus fit. Merito igitur confiderantur ut forores, quae arctis benevolentiae brachiis inter fe amplexae mutuâ praerogativâ gaudent impenfius quam fuâ; itaque quaelibet alia, aliam quamlibet anteferri fibi, tantum abeft ut aegre ferat, ut etiam fummopere geftiat, et id unum defiderare videatur; in qua tota fabula fuavis quaedam et generofa ubique fpirat amoenitas. Mythologia ejus jam fatis a nobis indicata eft.

## *Argumentum hujus* §. 1.

Humilitas eft incuria fui; non pofitiva, fed (ut haec verba fonant) negativa. Melius ergo incuria et neglectus fui humilitas dicitur, quam contemptus fui, quia hic pofitivum aliquid fonat, nifi bene caveas, illa vero negativum quid fonant. Haec Num. 1.

Nafcitur humilitas ex Virtute; fieri enim nequit, ut quis fe ne-

gligat, nisi ad hunc neglectum amore Rationis seu divinae legis adductus sit.

Appendix continet certamen de prioritate, seu potius disputationem ambiguam, qua, quae inter cardinales virtutes prior, quae posterior sit, varie ambigitur. Fundatur haec disputatio in eo, quod sub diversa consideratione omnes inter se priores posterioresque sint. Haec Num. 2.

## Ad Tr. I. Cap. 2. S. 2. §. 2.

1. In hac inspectione id primum agendum est, ut omnia dimittamus P. 31. quae nostra non sunt; alioqui enim non ipsos pure, sed et alia quaedam, seu ad alium aliquem pertinentia inspiceremus. Haec dimittentes a nobis, eo tandem deveniendum erit, ut nihil nostrum esse videamus praeter *cognoscere* et *velle;* quod ultra hoc est (ut mundus ejusque partes, corpora nostra, eorumque motus) ad alium pertinere, nihil nobis in istis juris esse, verbo, non esse nostra; ut ex sequentibus in textu satis patebit.

2. Nimirum mundus totus breviter hic descriptus est; descriptus autem, inquam, est, prout in sensum nostrum incurrit (quid enim ipse mundus sit in se, alterius loci est, et in Physica diserte dicimus). Mundus itaque ut sensum nostrum afficit, dividi commode potest in plagas, et plagarum incolas. Prima plaga est vastum illud *coeruleum*, per modum fornicis latissime supra nos expansum; et hujus plagae incolae sunt stellae; inter quas eminent Sol et Luna. Secunda plaga est aër, qui inter coeruleum illud et nostra corpora interjectus est; hujus incolae sunt nubes, et harum phasmata, ut Iris, Parelius, coloresque alii sub Auroram et Vesperam; itemque alia meteora, ut fulmina, fulgura, tonitrua, etc. Tertia plaga est mare, et hujus incolae sunt pisces seu species natantes. Quarta plaga est terra, cujus duae regiones: superior, et incolae hujus sunt stirpes et animalia, seu species terrae affixae, et species per eam gradientes, repentes, et paulo supra ipsam volantes; et inferior regio, cujus incolae sunt metalla, lapides et infinita alia mineralia

3. Nescio enim quousque extendatur haec regionum amplitudo; quantum sursum excurrat vastum illud coeruleum, quantum in latus terra atque mare diffundatur; ideo tam non sum certus, mundum me videre, quam quidem aliquam partem mundi; facile intelligo, multa

ſurſum deorſumque eſſe, ad quae ergo ſenſu et cogitatione non pertingo; ideoque cautionis ergo, ne quid hîc me inſpiciendo me ipſum deciperem, adjicio iſtam clauſulam: *video mundam vel partem ejus.*

4. Nullam habet difficultatem; nemo tam demens eſt, qui horum aliquid ſibi tanquam opifici arroget; et ut ſtultiſſimus aliquis id arrogaret ſibi, ore certe, non mente id faceret. Deus enim conſcientiam hujus rei tam apertam et claram fecit in nobis, ut non ſinat illam ullâ ſtultitiâ noſtrâ deleri vel obſcurari; omnes uno ore conſentimus: Nos iſta non fecimus, nos iſta haec omnia invenimus; nos iſta hic omnia relinquemus.

P. 32. 5. Definitum ergo eſt Meum corpus, nempe quod mihi occaſio eſt percipiendi alia corpora hujus mundi, et ſine cujus interventu alia corpora hujus mundi non perciperem. Si enim oculis carerem, alia iſta corpora non viderem; ergo ſi toto meo corpore carerem, etiam alia iſta corpora non viderem, et ita de auribus et reliquis ſenſuum meorum inſtrumentis dicendum eſt. Interim *corpus meum* pars hujus mundi eſt, incola quartae plagae, et inter ſpecies gradientes ſibi locum vindicat; *ego* vero minime pars hujus mundi ſum, utpote qui ſenſum omnem fugiam, qui nec videri ipſe, nec audiri, nec manu tentari poſſim. Haec omnia in corpore meo ſiſtunt, nihil horum ad me uſque permeat; ego ſpeciem omnem excedo, ego ſine colore, ſine figurâ, ſine dimenſione, non longus, non latus, haec enim omnia ad corpus meum pertinent. Ego ſola cognitione volitioneque definior. Haec omnia magis patebunt ex iis, quae mox ſe inter inſpiciendum me exſerent.

6. Nec hoc difficultatem aliquam habet; et nemo etiam tam ineptus eſt, qui hic aliquid ſibi ſumat, omnes ingenue fatentur, forte occaſionem dediſſe ſe, aut dare poſſe, ob quam corpus aliquod humanum generaretur, caeterum generationem factionemve iſtius corporis non attigiſſe ſe.

7. Proinde reprehendenda eſt ſcurrilis illa quorundam in vernaculâ noſtrâ lingua locutio, qua eum, qui prolem forte genuit, puerum vel pueros feciſſe dicunt; ſcurrilis, inquam, eſt hic loquendi modus, et (fateor) non ſolet hoc niſi per deridiculum dici. Interim abſtinendum eſt; phraſis enim per ſe ipſa impietatem ſonat, et quod Deo proprium eſt, adſcribit aliquando quibusdam nebulonibus. Cum non ſciat homo, qui generat, quomodo fiat corpus humanum, imo infinitas ejus partes

(quae indies adhuc aliae atque aliae ab Anatomicis deteguntur) ignorat; non poteſt ſine ſummâ impudentiâ, non dico arrogare ſibi conſtructionem factionemque talis corporis, ſed vel phraſi illa ac modo loquendi abuti, quo tum, cum liberis operam dedit, liberos feciſſe ſe dicat. Quid quod non tantum hic, qui ſic loquitur, opificem ſe humani corporis (in quo ipſa ſumma impietas eſt), ſed integri et completi hominis ferat, adeoque mentis humanae factionem ſibi arroget. Turpis ergo phraſis illa eſt, et turpitudinem ejus non ſatis capiunt, qui illa ſolent uti; ſed periculoſum eſt male loqui, etiamſi non male cogites; facile enim a verbis malis venitur ad cogitationes malas, ut jam ante notavimus §. de Juſtitia num. 3. ad illa verba: At toleranda forent haec vitia nominum, etc. [ann. 12.].

8. Quae num. 2. et 3. tanquam aliena a nobis rejecimus: nempe mundi hujus partiumque ejus, adeoque et corporis noſtri (quod et ipſum pars quaedam hujus mundi eſt, ut paulo ante annotavimus) conſtructionem, nullam habent difficultatem, et illa facile quiſque ſibi detrahi patitur, quae tam aliena novit. Sed hic occurrit ſpiſſum aliquod velamentum, quod totam noſtrum ipſorum inſpectionem impedit, quod tamen mordicus tenere et vindicare nobis per fas et nefas conamur, motum, inquam, corporis noſtri et membrorum ejus. Hunc ſolemus ita nobis adſcribere, ut nullatenus dubitare videamur, quin is a nobis fiat: proinde riſu tantum accipimus eum qui ſecus dixerit; donec vera philoſophia, non illum qui hoc dixerit, ſed nos ipſos ſtultâ illâ perſuaſione impulſos atque deceptos ridiculos nobis ipſis facit. Ita eſt; immiſcemus nos libenter (neſcio quâ innatâ ſuperbiâ) Dei operibus. Nam cum ille movendo mundum faciat (quod in Phyſica evidentiſſime demonſtramus), nos aemuli ejus eſſe volumus, cum movere nos etiam poſſe contendimus, ſaltem hocce noſtrum corpuſculum.

9. Evidentiſſimum eſt, et quo nihil clarius excogitari poteſt: Ego non facio id, quod quomodo fiat neſcio [1]). Nec argumentis hic opus eſt, ſed uniuscujusque conſcientiâ. Interim quia homines ſenſibus

---

1) Objecerunt aliqui contra praedictum axioma, ſaepe eſſe, quod neſcimus quomodo ſit vel fiat; ut neſcimus quomodo ferrum ad magnetem tendat, et tamen eo tendit. Haec objectio ridicula eſt; nos enim non diximus: *quod neſcis quomodo ſit, non eſt*, ſed: *quod neſcis quomodo fiat id non facis*; ex quo bene ſequitur, nos motum ferri ad magnetem non facere, non autem, illum non eſſe. — Alii

ſuis ineſcati raro ad conſcientiam ſuam ſe convertunt, argumentis quibuſdam quaſi per indirectum eo deducendi ſunt. Dico ergo, nullam eſſe rationem cur non putes te quidvis eorum, et quae fiunt et quae facta ſunt, vel feciſſe vel facere, ſi aliquid horum arrogare tibi ut opifici volueris, quod quomodo fiat neſcis. Si enim neſcius quomodo motus fiat in in membris tuis, cum nihilominus te facere confirmes, pari ratione dixeris, Homeri Iliadem fecîſſe te, ant Semiramidis muros, aut Pyramides; pari ratione dices te Solem ciere, et dierum atque noctium, hiemis atque aeſtatis viciſſitudinem nobis facere; cur enim haec non facis, cur tibi conſcius es quod haec non feceris, niſi quia neſcis quomodo fiant? Primum enim eſt, quod reſpondere ſolemus, cum non feciſſe nos efficaciſſime convincere volumus: *non intelligo, non ſcio quomodo fiat.* Atque ſimiliter modum neſcis, quo motus in membris tuis peragatur; conſcius tibi es, cum vis, non ad te illum, ſed ad alium aliquem pertinere. Nihil autem eſt, quod propoſitum axioma poſſit obſcurare, ſi non praejudicio aliquo laboraremus, quod infantia noſtra nobis allevit, atque Philoſophorum

---

objecerunt: *Si neſcio quomodo fiat non facio* juxta vos; ergo *ſi ſcio quomodo fiat, tunc facio.* Hoc vero perquam ridiculum; nam bonus phyſicus v. g. poteſt ſcire quomodo fiant effectus aliqui naturales, quos tamen non ipſe, ſed natura facit; bonus pictor poteſt ſcire quomodo fiat certa pictura, quam tamen non ipſe, ſed alius quiſpiam pinxerit. Haec objectio non minus inepta eſt quam praecedens, et continet manifeſte fallaciam Antecedentis, ut Logici vocant; perinde ac ſi ſic argueres: *ſi non movetur, non currit, ergo, ſi movetur currit*; erat autem ſic arguendum (ut Logici demonſtrant): *ſi non movetur, non currit, ergo ſi currit, movetur;* et ſimiliter: *ſi neſcio quomodo fiat, non facio, ergo ſi facio, ſcio quomodo fiat.* — Alii objecerunt, multa eſſe quoad modum in actionibus noſtris quae nos ipſi ignoramus; infiniti enim modi, infiniti reſpectus ſunt, habitudines et comparationes in quolibet effecto, quibus ipſum ad alia quaedam referri poteſt; infiniti modi, quibus ſe ad alia habeat. Sed neque haec objectio (etſi ſophiſtica minime, ut erant praecedentes) nihilo plus quam praecedentes evincit; reſpondetur enim facile, nos, quia ea quae facimus, non quoad omnem modum cognoſcimus, etiam non quoad omnem modum efficere; tantum effecti noſtri facimus, quantum illius cognoſcimus, non ultra. Facit v. g. aliquis ſyllogiſmum, ignarus figurae ſyllogiſticae; hunc igitur modum quia non cognovit, etiam actione ſuâ praeterit, inciditque hic modus in effectum, non eſt ab ipſo poſitus in effecto; quî enim ponat ibi, quod non novit? Atque adeo in communi vita ſi quid forte dixerimus, in quo offenſio aliqua erat, ignari interim hujus modi, omnes intelligimus Architectorum miniſtros, etiamſi partes aliquas aedificii conſtruant, quia tamen modum aedificii ignorant (qui eſt in mente et ideâ Architecti) ipſum aedificium proprie non conficere, etc.

Scholae confirmarunt atque corroborarunt. Scil. putamus res naturales facere aliquid, et tamen nefcire quid et quomodo faciant; v. g. Solem illuminare, id eft (ut interpretamur), lumen efficere; ignem calefacere, id eft (fimili interpretatione), calorem facere; gravia cadere, id eft, fui prolapfum et motum ad inferiora efficere; nefcire tamen haec quid faciant, et quomodo faciant. Sed haec eft infignis noftra ftoliditas; cum enim nobis ipfis facile detrahi patiamur (excepto unico illo cafu de motu membrorum noftrorum) ea, quae nefcimus quomodo fiant, mirum eft, nos in rebus illis brutis non eodem uti argumento. Qui itaque verâ Philofophiâ initiati funt, noverunt quam certiffime, nec folem effe, qui lumen, nec ignem, qui calorem, nec gravia, quae lapfum faciant; fed Motorem haec omnia proxime et immediate producere, imprimendo diverfum motum aliis ac aliis partibus materiae, eoque diverfo motu et nullo alio interveniente diverfa illa corpora (folem, ignem, lapides, etc.) conftituere, diverfiffimofque illos ad fenfum noftrum effectus producere, ufum et motu pariter, et diverfis partibus materiae quibus illum imprimit, tanquam fuis inftrumentis. Etiamfi enim clariffimum nobis fit, eum non effe actorem, qui quid et quomodo agit nefciat, clariffime tamen etiam intelligimus, inftrumentum poffe effe opificis, quod, quid per ipfum, et quomodo agatur, nefciat. Unde mirari fubit impudentiam illam (ut leviffime dicam) Peripateticae fcholae, quae conftituit res illas naturales in cenfu caufarum efficientium, cum ad falvandum phaenomena, id eft, apparentias naturae (quod Philofophi munus eft) fatis effet, eas in inftrumentorum numero habere; fed nimirum velut deditâ operâ commentis iftis Deum fibi obfcurum reddiderunt, qui ftatim ex hoc axiomate, *quod nefcis quomodo fiat, non facis*, clarefcit.

10. Nullâ quidem fcientiâ confcientiâve exploratum habemus, motum e cerebro per nervos in artus noftros derivari; fed folâ experientiâ id nobis innotuit, praefertim Apoplecticorum et Paralyticorum. In Apoplecticis enim, feu in iis omnibus, in quibus cerebrum ita graviter affectum eft, ut e cavitatibus ejus in nervos interclufus fit meatus, videmus motum penitus fufflaminari, refpiratione duntaxat fuperftite, eo quod haec intra pendeat a fervore cordis. Similiter in Paralyticis, feu in iis qui membrum aliquod corporis fui, puta manum, movere non poffunt, viam aliquam interclufam

deprehenderunt Medici, feu nervum obftructum compreffumve, per quem ex cerebro in membrum illud, v. g. manum, patebat aditus atque influxio. Et haec quae dixi, experientiâ conftant, et non aliter; experientia vero opere experto, circa quod ipfa verfatur, neceffario pofterior eft, ac fupponit illud jam abfolutum, ita ut in illud influere dirigendo non poffit. Non eft igitur experientia cognitio, quae faciat ad opus efficiendum, fed ad fummum fervit fimili operi faciendo et imitando. Cum ergo folam experientiam, et quidem perexiguam habere poffimus circa modum, quo motus in corpore noftro difpenfatur (nempe e cerebro in nervos, e nervis in artus noftros atque mufculos illabendo), non poteft nos illa cognitio motores facere; feu illa cognitio non fufficit, ut quia eâ folum indutus eft quifpiam, ideo auctor motûs effe queat.

11. Docent Phyfici atque Anatomici, motum e corde noftro per arterias carotides ad cerebrum afcendere. Focus enim ille atque ardor, qui in corde eft, fanguinem cordis agitat, et quafi in ebullitionem attollit; partes vero folidiores hujus fanguinis, magisque ad motum aptae, minutim admodum divifae celerrimeque motae, vafis fuis in cerebrum illabuntur, ibidemque intra cavitates cerebri in omnem partem agitatae, Spiritus vocantur. Hi Spiritus per nervos, qui omnes in cerebrum patent, devecti, motum artubus noftris, ad quos hi nervi alterâ fuâ extremitate pertinent, communicant. Sed qualifcunque haec eft fcientia (certe non admodum praeftantem effe facile videmus, et vix quicquam ab opinionibus fufpicionibusque differentem), tota per experientiam haufta eft, imo ad fummum inde haufta eft; experientia vero, ut jam paulo ante notavimus, non eft fcientia auctoris, fed contemplatoris operis alicujus.

[*Haec defunt in cod. MS.:*] Atque adeo nihil quicquam novi circa motum corporis mei, et circa modum iftius motus; aut fi quid noverim, non a priori ut ajunt, fed a pofteriori id novi, et dirigens motum illum fcientia pofterior eft ipfo motu, et tantum quod fiat motus confcientia et perceptio. Hac fi velim mea cognitione uti velut gubernaculo motus in corpore meo, tantum abeft ut in eo me juvet, ut praeter impedimenta nil conferat. Nam fi me curiofitas habet fcire, quot in corpore motus fiant, ubi tantum unicam pronuntiare voculam animus eft, atque adeo Anatomes ope mihi repraefento omnes illos

nervos, tendines, mufculos, qui tam in lingua, labiis, genis, quam in abdomine, pectore, faucibus Spiritus animales debent transmittere, et intumefcendo atque detumefcendo, aërem intra pectus admittere eumque exinde expellere, aut alio modo movere; atque cuncta haec ut unam folummodo voculam lingua balbutiat; annus erit, antequam omnia mea inftrumenta, huic exiguo operi neceffaria, perfpexero. Quando igitur demum operi ipfi me accingam, cujus equidem minus me peritum effe fcio ?]

12. Experientiâ tantum conftat, ut vidimus, et certe parum adhuc conftat, quomodo et unde motus in corpore noftro derivetur. Haec vero experientia non juvat nos in motu membrorum noftrorum; fupponit enim illum, et eo pofterior eft, ut mox notabamus; et quidem fi illam qualemcunque noftram notitiam deinceps ad motum noftri corporis dirigendo abuti voluerimus, tantum abeft ut jutura fit, oberit peffime, reddetque nos in motu peragendo hebetes plane atque ineptos; ut in verfione Belgica latius nonnihil deduximus.

13. Eft aliquis v. g. qui vefperi fanus decubuit; nocte inter dormiendum catarrho forte in nervum brachialem incidente, brachium ei paralyticum redditur: mane experrectus, et hujus rei ignarus, accingitur fubito ad veftiendum fe, vultque, ut fieri folet, thoracem fuum arripere. Manus, ipfo mirante et ftupente, non procedit ad thoracem, ut antehac folebat, fed languida in lecto jacet, et non nifi altera manu de loco in locum moveri poteft. Hic paralyticus clariffime fentit fibique confcius eft, fe, dum manum thoraci injicere volebat, idem praeftitiffe prorfus, quod alias folebat, cum manus injiceretur thoraci; adeoque clare videt, ipfam manus injectionem feu motum illum a fe nunquam profectum fuiffe, fed ab alio, qui ipfo volente motum illum peragebat.

14. Argumentum quod jam proxime tangebamus, fecundum eft, quo motus nobis ut auctoribus detrahitur. Primum enim argumentum erat, nefcire nos modum, quo motus fiat in membris noftris, ideoque nos illum non facere; alterum jam argumentum eft, quod motus independenter a nobis determinatus atque limitatus fit quoad tempus et fpatium. Quod ad tempus quidem, ut demonftratur in illo paralytico, de quo paulo ante (hic enim quodam tempore non habet motum in brachio fuo, idque independenter ab ipfo paralytico, imo

et contra voluntatem ejus); quod ad ſpatium vero, ut dicetur numer. 7. Ibi enim illud argumentum abſolvitur, quod hic inchoatur. Prima ergo regula rationis, quae motum nobis detrahit, eſt: *Quod neſcis quomodo fiat, id ne facere te dicas.* Secunda regula: *Quod alterius arbitrio definitum eſt, in id nihil tibi juris eſſe ſcias.* Motus ergo et abeſt ſubinde cum volumus (ut in paralyſi), et adeſt ſubinde cum nolumus (ut in convulſionibus epilepticis). Motus ergo alio quam me auctore ſtat atque cadit.

P. 33. 15. Scil. non facio. Jam pridem Scholaſticorum ſapientiores ingenue fatentur, nos extra nos nihil efficere, niſi conjungendo ac diſjungendo. Pictor picturam fecit; quid fecit aliud, qnam pulviſculos quoſdam (colores vocantur) ſeparatos ante inter ſe conjungere, et oleo illitos ac in penicillum receptos affigere tabulae? Statuarius ſtatuam fecit; ſed hoc non eſt aliud, quam partes quaſdam ex trunco deradere, quibus deraſis detractiſque, jam apparet, qui erat in iſto ligno, ut dici ſolet, Mercurius. Atque ita ſe res habet in reliquis, quae arte humanâ conficiuntur, veſtibus, domibus, navibus, etc. Exterius in haec motum conferemus, aut nihil; motum non conferre nos, manifeſtum eſt ex praecedentibus; ergo nihil in iſta conferimus, ſunt haec prorſus alterius cujuſdam opera. Sed dicat forte aliquis: ſi ita ſit, cur pictores aliqui, aliqui autem picturae ignari? cur architecti, cur naupegi alii, alii minime? Nemo enim juxta nos aut picturas, aut domos, aut naves, et quae hujuſce generis alia ſunt, facit. Facilis reſponſio eſt. Quidam habent artem hanc vel illam, ut exemplaria quorundam operum, in mente ſua, voluntque eos motus, qui ad opera illa ponenda neceſſarii ſunt; his volentibus ſuccedunt illi motus. Suntque hi proinde artifices, dicunturque, et artificio ſuo quaedam opera, quorum hoc pacto auctores ſunt, iis adſcribuntur; etiamſi interim ipſum opus (puta picturam aut ſtatuam) ſecundum ſe non attingant; alii vero non habent talia in mente exempla, taleſque imagines, motuſque eos, qui ad expromendum iſta requiruntur, ignorant, qui proinde artificum nomine minime dignandi ſunt. Sunt ergo alii artifices, alii non, etiamſi nec hi nec illi rem aliquam extra ſe in hoc mundo producant; ut jam demonſtravimus.

16. Exemplum habes Num. 4. ſub finem, ubi de paralytico. Agit is ut alio pertineat actio ſua (vult manum ſuam moveri, thoracem

v. g. arripere, quo ſe veſtiat), et tamen operam ludit, quamvis impendat tantum quantum ex parte ejus ſufficit ut motus fiat, et totum hoc impendat quod impendere ſolebat alias, cum ex voluntate ejus motus in manu ſuccedebat.

17. Actio mea non proprie extra me dimanat; tota ſemper in me ſiſtit et haeret; ſed quia cum actione meâ, v. g. voluntate loquendi, luctandi, Deus ineffabiliter conjunxit motus quoſdam ſeu linguae, ſeu manuum atque pedum in hocce corpuſculo meo; hinc actio voluntatis meae, cum illi motus eam ſubſequuntur aut comitantur, tropico quodam aut figurato modo loquendi, extra me tendere, et in corpus meum ejuſque membra, linguam, manus, atque pedes tranſfundi videtur, non ipſa tamen tunc tranſfunditur; nam illa quae in corpus recipitur actio, non mea, ſed motoris actio eſt; ut bene notatur num. 6. his verbis: *Sic ut meae partes hic nullae ſint, et ea non ſit vis meae actionis, ſed ſuae.* Et infra num. 14. art. 3. et 4. *Actionem meam vi Divina aliquando extra me diffundi; eatenus vero non eſſe meam actionem, ſed Dei.*

18. Hîc attingitur pars altera ſecundi argumenti, de quo ad numer. 4. ſupra circa finem aliquid annotavimus. Nempe ad limitationem motûs haec ſpectant; et ſicut ibi limitationem motûs quoad tempus conſiderabamus (ſubinde enim motus voluntatem noſtram comitatur, ſubinde non, ut ibi vidimus), ita hîc, quoad ſpatium. Motus, qui nobis quomodocunque datus eſt, ad exiguum ſpatii reſtringitur; in coelo nihil, nihil in aëre, praeter quam in craſſo hoc et vapido, quo circa terram circumfundimur, in terrâ forte, forte in ejus ſuperficie, in mari tantillum movemus, quod ipſum tamen movere dicendum non eſt; ergo motus, ſicut nobis ut auctoribus detractus eſt totus, ita ut utentibus relinquitur perexiguus.

19. Ne quidem hoc in rigore verum eſt. Nihil ergo quod hic imperem habeo, nec motus ſequitur in membris meis voluntatem meam; ſed voluntatem meam comitatur. Non ideo, inquam, pedes iſti moventur, quia ego ire volo, ſed quia alius id me volente vult. Sicut puſio in cunis ſuis conditus, ſi eas agitari velit, ſaepe agitantur, non quia ipſe hoc vult, ſed quia mater vel nutrix, quae aſſidit; quaeque (modo quodam loquendi) id praeſtare poteſt, id etiam ipſo volente praeſtare vult. Vide infra ad §. 5. n. 2. Imo voluntas mea

non movet motorem, ut moveat membra mea; ſed qui motum indidit materiae et leges ei dixit, is idem voluntatem meam formavit, itaque has res diverſiſſimas (motum materiae et arbitrium voluntatis meae) inter ſe devinxit, ut, cum voluntas mea vellet, motus talis adeſſet qualem vellet, et contra cum motus adeſſet, voluntas eum vellet, ſine ulla alterius in alterum cauſalitate vel influxu. Sicut duobus horologiis rite inter ſe et ad ſolis diurnum curſum quadratis, altero quidem ſonante, et horas nobis loquente, alterum ïtidem ſonat, et totidem nobis indicat horas; idque abſque ulla cauſalitate quia alterum hoc in altero cauſat, ſed propter meram dependentiam, qua utrumque ab eadem arte et ſimili induſtria conſtitutum eſt; ſic v. g. motus linguae comitatur voluntatem noſtram loquendi, et haec voluntas illum motum; nec haec ab illo, nec ille ab hac dependet, ſed uterque ab eodem illo ſummo artifice, qui haec inter ſe tam ineffabiliter copulavit atque devinxit.

20. Quid de imperio illo cenſendum ſit, ſatis jam diximus in modo ſupra annotatis. Sed quomodocunque nihil certe movetur pro arbitrio voluntatis meae, niſi cum corpore meo certo modo colligatum ſit; nam nec lapis, qui a corpore meo ſejunctus eſt, huc aut illuc movebitur, quantumcunque id velim, nec pila, nec ſagitta, cum jam a manu ac arcu abivit, alio feretur, quam quo impulſa eſt, etiamſi qui excuſſit aut impulit et clamore et corporis inflexione (quod in luſoribus et frequens et deridiculum eſt) alio determinare eam voluerit.

21. Bene inculcandum eſt, ne aſſueſcant homines Dei operibus ſe immiſcere, aut aliquid horum ſibi arrogare tanquam auctoribus, quorum Deus ſolus auctor eſt. Deo enim ſoli convenit, mundum omneſque partes mundi facere; etiamſi autem haec, quae Scholae *arte facta* eſſe dicunt, a nobis etiam fieri dicant, ut domus, turres, ſtatuas, non deſinunt tamen partes eſſe mundi, licet ars aliquid machinata ſit circa ea per exemplar et voluntatem artificis. Cum igitur revera partes mundi ſint, non pertinent niſi ad eum qui mundum condit; voluntas autem et exemplar artificis, et quaecunque forte alia ad arte facta concurrere videntur, omnia ſunt immanentia in ipſo artifice; nec in opus exire extra ipſum poſſunt, niſi divinâ manu quaſi educantur; quatenus vero ſic educta, non pertinent ad artificem, ſed ad Deum ſeu auctorem mundi.

22. Tota praxis circa res hujus mundî nobis adempta eſt; ſola ſpeculatio relinquitur, quae et ipſa quomodo circumcidi debeat, ut noſtra ſit, videbimus in ſequentibus. Duae igitur ſunt partes humanae condicionis, ſcil. agere hic in mundo aliquid, et aliquid pati. Quantum ad priorem partem attinet, dictum eſt in praecedentibus, eſtque ea pars tota fere expuncta. *Velle* enim ſolum nobis relictum; quod non ad mundum pertinet, ſed ad nos ipſos; ita ſcil. ut actio tota maneat in nobis, virtute divinâ aliquando educatur quidem, ſed eatenus non ſit noſtra, ſed educentis actio. Quantum ad alteram partem, de qua deinceps agendum eſt, quae tota conſiſtit in Paſſione, qua patimur a partibus hujus mundi, quaque conſequenter hae agunt in nos: videbimus actionem illam partium hujus mundi etiam in partibus illis manere, et nequaquam ad nos poſſe pertingere; aliquando quidem in nos ipſos derivari motus partium hujus mundi, ſed eatenus non pertinere ad partes hujus mundi, ſed ad inducentem. Qui ergo actionem noſtram educit aliquando, et in partes hujus mundi tranſfundit, is idem actionem iſtarum partium in nos inducit; nos interim nec in res illas, nec illae in nos agunt. Noſtra actio in nobis, et earum in illis ſiſtit; qui educit et inducit has actiones, ille eſt qui vere, et in nos et in illas agat. P. 34.

23. Brevis recapitulatio eorum, quae num. 2. dicebantur. Quatuor mundi plagae, et ſingularum incolae breviter perſtringuntur; ibi enim proponenda iſta erant, ut, quid ex illis actione noſtrâ, et quomodo attingere poſſemus, videremus; jam eadem proponenda ſunt, ut videamus, quae ex illis, et quomodo nos actione ſuâ attingant.

24. Nimirum non ſic ſe habent ut video, nec ſic ſe habere poſſunt ut video (ut in vera Phyſica et Metaphyſica ſatis demonſtratum eſt). Nempe res illae extra nos poſitae praeter extenſionem et motum nihil habent; ego tamen in illis et colores et lumen, et ſonos, et infinita ſimilia alia ſimulacra ſpeciesque video, idque ſupra quam decet mihi perſuadeo, res quas video, ſic eſſe ut video. Sed eſto, ita ſe habeant ut video; quid opus eſt me eas videre? etc. quae ſequuntur in textu.

25. Quod de oculis hîc dicitur, ad aures, nares, et reliqua ſenſuum inſtrumenta accommodandum eſt. Merito autem oculorum prae caeteris mentio fit, nam hac parte praecipue mundum incolimus, et longe plurimas mundi partes oculis noſtris uſurpamus, de quibus etiam nihil

fciremus, fi hoc fenfu, qui oculos incolit, careremus. Unde et qui a nativitate coeci funt, exiguam hujus mundi partem inhabitant, comparatione factâ ad vaftam illam furfum praefertim protenfam plagam, quam nos quotidie oculis iftis oberramus, de qua coeci ifti nihil refciunt. Cumque illis et Solem et Lunam, et ftellas, et vaftum illud coeruleum, et nubes, et earum phafmata, atque colores enarramus, nihil nifi inania nomina occinimus; nec enim plus rei haec fignificant illis, quam *fifimandrum*, *fipolendrum*, *fincaptis*, et fimilia inania, quibus ridiculus ille apud Plautum coquus cibos fuos condire fe jactat.

26. Adde: *nec illa conformatio.* Conformatio enim illa nihil aliud eft, quam certa figura, qua tunicae et liquores inter fe cohaerent et devincta funt; figuram autem non videre, ficut nec liquores nec tnnicas, tam eft manifeftum, tam intimâ nobis notione perfpectum, ut clarius cogitari nihil poffit.

27. Summus fructus infpectionis fui ipfius eft, fe ipfum rite a fuo corpore diftinguere; caetera facile ex hoc proveniunt. Omnis autem peccati, omnis impietatis et Atheifmi certiffima origo eft notionum mentis et corporis confufio. Breviter hîc et quam clariffime ingeritur illa diftinctio: nempe tunicae, liquores, et eorum conformatio (id eft, ipfe oculus) non vident; ego vero video: non ergo ego et illa idem fumus.

28. Non video, inquam, *quid* per fe opis conferant; imo video clariffime, quod per fe et fuo nomine *nihil* opis conferant ad videndum. Nec enim tunicae, liquores, et quaevis earum figura plus ad videndum facere poteft quam trabs aut lapis, fi per fe loquamur; alioqui oculos ad videndum facere certiffimum eft, et intimâ confcientiâ notiffimum, ut infra hoc eodem numero perhibetur. Conferunt ergo oculi ad videndum ex divino decreto atque arbitrio vel beneplacito; ficut quod auro emantur, et tam multa comparari poffint, quae ad victum et voluptatem pertinent, non habet aurum hoc a fe, non vi et energiâ fuâ, fed quicquid valet hîc, hominum inftitutis, decretis, et confuetudine valet.

P. 35. 29. Ufu venit hoc faepius, ut rem effe apprime fciamus, quomodo fit planiffime ignoremus; in eo enim confiftit ratio ineffabilitatis. *Ineffabile* enim id effe dicitur, non quod cogitare aut effari non poffumus (hoc enim *nihil* effet: nam *nihil* et *non cogitabile* idem funt, ut Scholis omnibus Philofophorum fatis etiam innotuit), fed cujus modum, quo

eſt vel ſit, cogitare non poſſumus aut ratione noſtrâ complecti. Eſtque Deus hoc pacto non in ſe tantum, ſed in omnibus ſuis operibus ineffabilis. Veluti ego homo opus ejus ſum; ſcio opus illud eſſe, imo nihil tam ſcio, quam illud opus eſſe; et modum tamen, quo is me hominem fecerit, me cum corpore hoc colligaverit, ut et in illud agam, et ab illo patiar, eo modo, quo id jam paulo ſupra declaratum eſt, non intelligo, ſed tantum intelligo, me eum intelligere nunquam poſſe. Sic etiam Deus in condendo mundo ineffabilis eſt, ut in Metaphyſica demonſtramus. Motum enim eſſe in materia (motu autem mundus conſtituitur) intelligimus plane, et conſcii nobis quaſi hujus rei ſumus; ſed quomodo motum indiderit, non poteſt ab humano intellectu capi; idem eſt de reliquis Dei operibus, cum enim ad ultimum perveſtigantur, ſemper in ineffabile aliquid deſinitur. Ineptiſſimum ergo eſt, ut hic in textu bene dicitur, rem negare, quia modum rei non capias; et perſtringuntur hic Sceptici illi, et enormiter ac ſtulti dubitabundi, qui vel motum non eſſe, vel forte etiam ſe a corpore ſuo non affici, quia modum quo et ille ſit, et illi afficiantur ignorant, confirmarunt. Quales olim plures et hodie etiam non pauci reperiuntur; qui omnes impii, et re ipſa tollunt primum maximumque Divinitaris apud homines attributum, nempe ineffabilitatem, dum ſcil. nihil admittendum ſibi putant, niſi quod effari, et diſerte, non quoad ſubſtantiam tantum, ſed et quoad modum cogitare poſſunt; latius de his Tract. 2., ubi de Pietate et Religione.

30. Scil. me eſſe hominem, me ſic agere in corpus hoc, et viciſſim ſic pati. Hoc, inquam, inficiari non debeo, etiamſi modum non intelligam quo haec ſint; etiamſi, inquam, non intelligam modum quo Deus actionem meam extra me diffundat in corpus, et actionem, ſeu potius motum corporis extra corpus effundat, et in me transfundat; ſcio haec eſſe (vidimus id in praecedentibus diſertiſſime), quomodo fiant non intelligo. Superant haec captum cujuſcunque mentis creatae; ſolus ille intelligit, qui fecit.

31. Hic incipit tertia pars inſpectionis, ſeu quae continet adventum noſtrum in condicionem humanam, quam ſolemus vocare nativitatem noſtram, id eſt, primum punctum adventûs noſtri in hunc mundum, primum punctum unionis noſtrae cum corpore, unde factum, ut poſtea iſto corpore uſi fuerimus, tum agendo in illud tum patiendo ab illo.

Proprie tamen incipit haec tertia pars cum num. 12. Hoc num. autem brevis inſtîtuitur recapitulatio duarum primarum partium inſpectionis noſtrûm, ſeu actionis in corpus et paſſionis a corpore.

32. Nimirum ſpecies illa, ut eſt in ipſis rebus corporeis, non poteſt eſſe niſi impulſus (ut in Phyſica, magisque in Metaphyſica demonſtramus). In re enim corporea nihil eſſe, cogitarive poteſt, praeter extenſionem et motum; impulſus ergo ille tantum afficit corpus; in me, qui mens ſum, ille non quadrat, nihil ſibi juris aut loci vindicat (quae latius vide in primâ parte Metaphyſicae noſtrae, ſeu Autologiâ, quae magnam cum materiâ affinitatem habet).

33. Quod praeſens eſt in hoc modo condicionis meae, hoc neſcio; multo ergo magis neſcio quod praeteritum eſt; nam in paritate rationis, praeſentia nobis clariſſima ſunt, praeterita obſcuriora (nam licet forte aliquando notiſſima fuerint, oblivioni tamen ſunt obnoxia), futura obſcuriſſima. Hi ſunt gradus, hic eſt modus humani intellectus, quos omnes in nobis, ipſa conſcientiâ teſtante, deprehendimus. Cum ergo neſciamus modum quo jam nunc condicioni humanae ſubjicimur, multo minus praeteritum illud ſcimus, quomodo ei primum ſubjecti fuerimus.

34. Dices: interpoſui fortaſſe judicium voluntatis meae, et huc veni, cum eſſe mihi lubebat; ſed oblitus ſum, non recordor amplius hoc aliquando me conſcio et volente factum; ſicut plurimarum ſimilium rerum, quas olim ſciens et volens feci, oblitus ſum. Et haec videtur eſſe imaginatio veterum, qui de flumine Lethe tam multa nobis fabulati ſunt, et imprimis, quod qui ex eo bibiſſent naſcituri, omnium retro ante nativitatem actorum ſtatim obliviſcerentur; jubebantur autem omnes ex illo bibere, quibus reditus in mundum et in noſtras haſce auras dabatur. Reſpondeo: Apage fabulas iſtas, et doctorum ſaepe hominum ſuſpiciones, nimis pueriliter, ut leviſſime dicam, ex illis enatas. Hoc imprimis certum eſt, non poſſe me exſolvere me ab humanâ condicione mere pro arbitrio voluntatis mea. *Nec enim diſcedam a corpore meo, mere ſi ab illo dicedere voluero; intime mihi conſcius ſum, me id non poſſe.* Lege haec, et quae eam in rem ſequuntur paucula §. 5. num. 2. hujus libelli. Unde ſicuti voluntate meâ exſolvere me non poſſum ab hoc corpore, ſic nec voluntate meâ implicare me potui huic condicioni. Sed forte ſcru-

pulus tibi supereſt, et replicabis: Forte voluntate meâ veni ad condicionem hanc, volens huc delatus ſum; ſed volens nolens manere debeo, et expedire merâ meâ voluntate me non poſſum; ſicut piſces in excipulum volentes quidem intrant, ubi intrarunt, redire omnino nequeunt. Reſpondeo: Non eam ſentio difficultatem, cum meâ me voluntate exſolvere ab hoc corpore non poſſum, quaſi via intercluſa ſit, aut ego vinculis aliquibus ac compedibus alligatus detinear; ſed contra ſentio quam clariſſime, omnibus apertis ac ſolutis, exitum quem affectabam non ſuppetere, et me vi aliqua ſuperiori firmiſſime in hoc corpore, velim nolim ego, detineri; eadem ergo vis, quae jam me detinet, olim etiam huc detulit.

35. Incipit quarta pars inſpectionis noſtrûm, quae verſatur circa mortem, ſeu exitum noſtrum ex humana condicione. Ita quatuor partibus abſolvitur haec noſtrûm inſpectio; duas habet ipſa noſtra condicio ſecundum ſe, ſcil. actionem et paſſionem, duas reliquas vindicant ſibi nativitas et mors, ſeu introitus in humanam condicionem et exitus.

36. Nullius rei nobis magis conſcii ſumus, quam etiamſi hinc exire pro arbitratu noſtro non poſſimus (ut paulo ante notabamus), poſſe tamen nos hinc auferri, etiam nunc et hoc ipſo înſtanti, quo haec talia dicimus vel audimus; conſcientiam tamen illam plerumque obruere conamur ſenſibilium et externarum rerum ſpectaculis. Et mirum eſt, homines ita quocunque modo non tantum mortem, ſed ejus etîam conſcientiam differre, et quaſi fugere ac evitare velle; qui inſtinctus tam importunus graphice hic depingitur: *Auferri me poſſe video jam aut alias.* Cur enim homines ita amant loqui? Cur diſjunctionem illam inutilem *jam aut alias* comminiſcuntur? Certe nihil aliud haec innuunt, quam differre eos mortem velle non ſolum in re (quod non tantopere miraremur), ſed etiam in ipſa cogitatione. Numquid enim ſatis erat hoc: *Video auferri me poſſe jam*? Cur adjicitur frivolum illud et effeminatum verbum *aut alias?* Merito igitur deletur illud verbum et exploditur hac ſubſequente emphaſi, *imo jam jam.*

37. Ignarum non rei ſed modi; non enim ſum ignarus condicionis humanae (utpote quam in me ipſo experiar quam evidentiſſime, cum homo ſum), ſed modi, quo ſum in hac condicione, profundiſſime

ignarus ſum. Sic nec mortis ignarus ſum, et multo minus ignarus ero cum moriar; ſed modi quo ſolvar a corpore meo, tam ſum ignarus, quam modi quo jungor cum corpore meo.

P. 36. 38. Sicut nimirum turpes vernae et ſervi, qui penſum ab hero demandatum magis curant quam ipſum heri mandatum; unde, ſi ab hero interpellentur, et agere aliquid aliud juſſi, obmurmurant, aegre ferunt, et vel invito hero, ſi poſſunt, pergunt in eo quod primum ipſis injunctum erat; oſtendentes hoc ipſo, ſe heri mandato non magnopere moveri. Si enim hoc moviſſet ad incipiendum et pergendum, debebat etiam movere ad deſiſtendum, cum herus interpellat, et aliud jubet. Ducuntur ergo hi ſocordiâ aliqua, pertinaciâque agendi, et inſtinctu diabolico ad perſiſtendum in eo quod ſemel coeptum eſt (hic enim eſt Diaboli inſtinctus, ut Tract. 4. §. de Diabolo ſatis clare demonſtrabimus). Sunt igitur turpes hi vernae et ſervi, heris ſuis merito deteſtabiles et exoſi, utpote a quibus ſe ſatis directe contemni vident. Sed haec ſibi quiſque applicet, dum, Deo jubente, et per morbos ac imbecillitatem corporis monente, ut a corpore diſcedatur, reluctamur, et obedire renuimus, malumuſque pertinaciter pergere in eo penſo quod ſemel nobis impoſuit, quam ei interpellanti aliudque jam jubenti auſcultare; tradentes nos tali pacto Diabolo, et a Deo, quam fieri poteſt, nos longiſſime removentes.

39. Nimirum ipſum ponere, eſt dicere (ſicut per Rationem aliter Deus dicere non poteſt): *Mane, donec quid aliud jubeam.* Ut ſi herus jubeat ſervum ad fores obſervare, ſervus non abſolvitur ab hoc officio, donec revocetur ab hero; ſic et nos hoc ipſo, quo poſiti hîc ſumus, juſſi ſumus et hîc manere, donec qui nos hic poſuerat, revocet, et ab officio illo abſolvat.

40. Cum exſecratione aliqua hoc dicitur. Et mereor, cum talem in me turpiſſimam vernilitatem deprehendam, qualem jam paulo ante annotavimus ad iſta verba: *Malo iis quae juſſit* [38]. Hîc ergo ex inſpectione noſtrum diſcimus, nos etiam eſſe ſub peccato, imo ſub Diabolo; hic enim eſt inſtigator ille, qui hoc nobis jugiter inculcat: *Perge, quia coepiſti* (hoc enim Diaboli ſymbolum eſſe videbimus Tract. 4.), cum non pergendum ſit quia inceperis, ſed quia Ratio id jubet; quae quandoque deſiſtendum eſſe, tum vel maxime inculcat, cum etiam quam optime inceperas. Sed haec et id genus alia uberius dicentur Tract. 4.

41. Vel ex eo ipſo, quod et turpem illam in me deprehendam vernilitatem, de qua jam aliquid annotavimus.

42. Hanc humani animi perverſitatem, omnia miſcentem et turbantem, et Deum ipſum etiam ſibi ſubjicientem, ſi id impetrare poſſet, vide aliquatenus deſcriptam §. 10. n. 2. hujus ſectionis.

43. Cum motus nobis ademptus eſt, omnis nobis in res externas actio adempta eſt, igitur in res extra nos poſitas nihil committere poſſumus. Quidquid ergo turbemus, turbae illae in nobis manent, nos ſolos turbant et deturpant.

44. Naturali quaſi inſtinctu, peracto toto humanae condicionis officio, antequam ad aliud aliquod officium a Deo applicandi ſumus, novimus rationem nobis eſſe reddendam eorum, quae in hoc officio geſta ſunt. Non immerito igitur timemus, dum de reditu per morbos et inſtantem mortem admonemur, ut qui videamus rationem geſtorum noſtrorum tam male conſtare; merito, inquam, timemus et percellimur; ſed turpiſſimum eſt et ſceleſtiſſimum, nos timoris noſtri majorem ducere rationem, quam Dei redire jubentis, quam mandati et legis ejus. Itaque quod obligatione primâ inſinuatur, ne quidem conſcientiâ rei hîc male geſtae a revertendo deterreri debemus, cum Deus nos reverti jubet. Potior enim debet nobis eſſe lex Dei quam ſalus noſtra; alioquin enim nos ipſos Deo praeferimus, in quo tandem conſummatur philautia, et quodcunque peccatum.

45. Ut hominis; nec enim me ipſum aliter hic inſpexi, quam ut hominem, ſeu mentem incorporatam, agentem in corpus, et viciſſim a corpore patientem. Agentem, inquam, ut explicui, ne cui hoc ſit fraudi. Inſpectio vero mei ipſius, ut mens quaedam ſum a corpore independens, non eſt hujus loci, ſed magis ad Metaphyſicam pertinet, ubi inſpectionem illam in prima ejus parte, quam Autologiam vocavimus, diſcuſſimus; hîc inſpicimus nos ipſos in ordine ad mores et praecepta humanae condicionis, quibus virtutes noſtrae abunde continentur, vitia vero abarcentur.

46. Hanc habent Mathematicorum demonſtrationes praerogativam, quod verſentur circa res imaginationi et ſenſibus ſubjectas, praeſertim circa figuras. Hinc intellectus humanus, qui ſenſibus admodum adſtrictus eſt, melius percipit, facilius adhaeret, et vacat Mathematicis demonſtrationibus. Sed poſthabitâ hac praerogativâ, quae apud in-

tellectum rite difpofitum nullius equidem debet effe momenti, certiffimum evadit, hafce, quas inter infpiciendum nos ipfos invenimus, demonftrationes Mathematicis longe potiores effe. Verfantur enim hae circa res ex naturâ fuâ notiffimas nobis, id eft, circa nos ipfos, noftrafque cogitationes, quae per fe neceffario clariffimae funt nobis, et tantum per accidens praejudiciis quibufdam noftris obfcurantur; quae caligo facile depellitur feriâ, acri, et frequenti fui ipfius infpectione, et foliloquio.

47. Diffufio enim illa actionis meae in res corporeas, quoad initium, medium, atque terminum, penitus eft res naturaliter indeterminata, vaga, et contingens, quae in utramque partem accidere poteft (nam et poteft extra me diffundi actio, et poteft non diffundi, ut praecedentibus numeris fatis demonftratum eft, et poteft huc ufque diffundi, et poteft ultra, et poteft citra); tales autem res antequam expediantur, et in rerum naturâ collocentur, requirunt arbitrum, quo determinentur, quoque potius fint quam non fint, potiufve citra quam ultra, etc. Igitur omnes tales res neceffario dependent ab arbitrio Dei.

48. Nimirum terra ipfa ejufque motus non habent minorem connexionem aut dependentiam ab imperio voluntatis meae, quam lingua corporis mei, ejufque motus; quod ergo lingua mea me volente moveatur, terra non item, ad me non pertinet, fed alio referendum eft; ad eum nempe, qui utrumque illud horologium, et voluntatis meae et mundi confecit, qui proinde voluit, atque fic ordinavit et conftituit, ut horologio voluntatis meae fonante, fonaret etiam horologium linguae meae, non vero etiam horologium terrae. Vide quae fupra in hanc horologii fimilitudinem plenius annotavimus.

49. Hactenus tantum prima pars infpectionis recapitulata fuit, quae fcil. continet Actionem, qua ago in corpus. Et haec quidem pars, dum rite philofophamur, tota nobis detracta eft, et Deo reddita, cui debetur; tantum quoad hanc partem nobis refervatum eft *velle*, *velle* vero noftrum non pertingit ad corpus. Sequitur jam altera pars, quae Paffionem continet.

50. Mundus ipfe de fe eft invifibilis; nihil enim praeter motum appellit at corpus meum; motus vero corporum inter fe (efto inter ea et meum fit) nullam de fe et ex propriâ fuâ vi proportionem æabet, ut in me, qui mens fum, cogitationem aut aliquem modum

cogitandi ſuſcitet. Plura hujus argumenti vide in Autologia noſtra Metaphyſica.

51. Turpes ſunt Ethnici illi Philoſophi, et Scholae iis paſſim obſecutae, qui hominem in cenſum rerum naturalium ubique redigunt, et ſocium eum ovium et bovum faciunt; cum clariſſimum jam nobis factum ſit ex praecedenti inſpectione, hominem minime pertinere ad ordinem naturalem, ad mundum hunc, parteſque hujus mundi, ſed condicionem ejus prorſus ad ordinem miraculi referendam eſſe.

52. Adde, vel praemitte potius: *veniſſe me ad illud ſpectaculum* P. 37.
*inſcium, ignarum, involuntarium*, ne ſcil. tertia pars inſpectionis (quae nativitatem meam complectitur) omiſſa videatur. Incipit autem in hoc decimo articulo quarta pars condicionis humanae, nempe mors, ſive exitus ex iſtâ condicione.

53. Condicio humana, ut ſaepe diximus, duas habet partes, actionem et paſſionem. Actio incipit a nobis, eſtque originaliter in nobis, imo et noſtra; ſed deſinit in corpore, et finaliter eſt extra nos, et minime noſtra, ſed Dei. Paſſio vero noſtra (utpote actio aliarum rerum in nos) incipit a rebus extra nos poſitis, et originaliter non eſt noſtra; ſed deſinit in nobis, eſtque finaliter in nobis, et noſtra.

*Argumentum hujus* §. 2.

Humana condicio quatuor habet veluti partes: primo actionem, qua movemus noſtrum corpus, et mediante noſtro, quaedam alia corpora; ſecundo paſſionem, qua recipimus ſpeciem a partibus hujus mundi, dum eas viſu, auditu, aliiſque ſenſibus uſurpamus; tertia velut pars eſt nativitas noſtra, ſeu primus adventus in hunc ſtatum et hanc condicionem, quarta pars eſt mors, ſeu exitus noſter ex hac condicione.

Hoc autem inſpiciendo nos diſcemus, quoad totam condicionem humanam nihil poſſe nos, nihil valere nos, nihil nobis in illam juris eſſe; totam illam pertinere ad alterius alicujus poteſtatem.

Nam quantum ad primam partem: nec noſtrum, nec aliud quodcunque hujus mundi corpus efficere valemus: ſolâ hoc conſcientiâ notiſſimum eſt, et nemo ſanus eſt qui neget. Haec Num. 2. et 3.

Nec movemus etiam corpus noſtrum; neſcimus enim quomodo moveatur, nec, ſi ſcimus, ea ſcientia quicquam ad movendum facit. Haec Num. 4.

Multo minus movemus alia corpora. Haec Num. 5.

Ex quo fequitur, quod nihil extra nos faciamus; per motum enim fieri deberet, fi quid extra nos faceremus. Haec Num. 6.

Sequitur nihilominus fubinde motus, aut conjungitur cum imperio voluntatis noftrae; fed alio aliquo conjunctionem illam procurante, atque etiam limitante. Haec Num. 7.

Quantum ad fecundam partem: res extra me pofitae non poffunt fpeciem fuam mihi imprimere; ego etiam per me ipfe non poffum fpeciem illam arripere; nam res illae ad fummum pulfant vel afficiunt corpus meum, hoc vero, quantum eft, de fe nihil facit ad percipiendum eas. Haec Num. 8. et 9.

Unde etiam aliquis alius debet effe, qui fpeciem mundi vi fua mihi immittat, ficut actionem meam is idem in particulas hujus mundi emittit; utramque ineffabili modo, et quem fi capere volo, fruftra fum. Haec Num. 10. et 11.

Quantum ad tertiam partem: ignarus fum, quomodo huc venerim; tantum abeft ut voluntarius, tantum abeft ut vi meâ venerim. Haec Num. 12.

Quantum ad quartam partem: fimiliter involuntarius, fed infuper invitus fum; ubi turpitudinem agnofco meam atque ftultitiam, qui quod fubire debeo invitus fubeo, et valere aliquid volo ubi valere me nihil fcio. Haec Num. 13.

Brevis horum recapitulatio in duodecim articulos digefta proponitur Num 14.

### Ad Tr. I. Cap. 2. S. 2. §. 3.

1. Vidimus praecedenti §., nos, quantum ad humanam condicionem attinet, nihil valere; nihil inquam, valere nos vidimus, quia clariffime vidimus, nos modum iftius condicionis omniumque partium ejus penitus ignorare. Hinc jam emergit primum Ethices axioma (nam quae praecedenti §. continentur, omnia fpectant ad Phyficam vel Metaphyficam, theoretica funt, et non practica; tantum accommodate ad Ethicam deducta funt): *Ubi nihil vales, ibi nihil etiam velis* [1]), feu

---

1) Nota, hoc axioma continere utramque partem humilitatis, infpectionem, inquam, et defpectionem. *Ubi nihil vales;* hîc fonat infpectio fui ipfius (hoc enim infpiciendo nos ipfos, praeclariffime difcimus, nos quoad totam humanam

quod idem in re eſt, *nihil gratis, nihil fruſtra faciendum eſt.* Quo principio nihil clarius in rebus practicis fingi poteſt; cui qui reluctari vellet, non poſſet non eſſe ſtultiſſimus; et ſolemus paſſim homines eos vocare ſtultos, quos videmus facere vel attentare aliquid, in quo nullo negotio proſpicere poterant ſe fruſtra fore. Nihil igitur velle quod ad condicionem noſtram pertinet, eam totam relinquere ei in cujus poteſtate eſt, hoc vero eſt ſe ipſum deſpicere, hoc eſt virtutem in humilitatis inconcuſſo fundamento aedificare.

### Ad Tr. I. Cap. 2. S. 2. §. 4.

1. Prima Obligatio et prima deſpectio noſtrum quadrat in ultimam inſpectionem noſtrum; ita ut ibi deſpectio incipiat, ubi inſpectio deſinit; ultima enim inſpectionis pars circa mortem noſtram verſabatur; circa eandem verſatur prima pars deſpectionis. Merito etiam hoc primum deſpiciendum proponitur, quod maxime arduum eſt; nam quoad reliquas partes humanae condicionis ignari tantum et involuntarii ſumus, quoad hanc partem inſuper etiam inviti plerumque ſumus.

2. Praetextus admodum uſitatus, quem vulgo obtendunt ſceleri et inobedientiae ſuae: *Mori quidem non recuſarem, ſi cum conſcientia mea bene ageretur;* quo praetextu videntur aliquatenus adhuc de obligationibus ſuis laborare, ſed re bene inſpectâ, merus praetextus eſt, et ſub praetextu ſcelus animi divinae legi reluctantis. Certe hoc neminem remorari debebit; ſi enim ſervus deliquerit in herum ſuum, herus autem vocet ſervum ad ſe, ſervus nullâ interpoſitâ morâ adſit promptus atque alacer, eos etiam, qui heri juſtas iras inter eundum objiciebant, repellat, regeratque illis, herum vocare, hoc eſſe ſatis, ejus imperio ſe parere velle, etiamſi, ut meretur, vapulaturus eſſet. Enimvero ſi herus ſervum ita affectum inter veniendum per feneſtram forte viderit, quidni et remittat ſervo delictum, et recipiat in gratiam? Quod ſi herus homo, dummodo generoſus et cordatus, rebus ita ſe

---

noſtram condicionem, ſingulaſque ejus partes, nihil prorſus valere, ſeu nihil quoad iſta nos poſſe, ut vel ita ſint vel aliter ſint, vel etiam non ſint). *Ibi nihil velis;* hîc ſonat altera pars humilitatis, ſcil. deſpectio ſui, ſeu derelictio ſui quod ad totam humanam condicionem, et reſignatio in ejus manum et poteſtatem, in qua equidem, velimus nolimus, ſumus.

dantibus, ita etiam affectus esse solet, quid existimabimus de hero Deo, qui solus proprie et vere herus noster est? Deliquimus in legem ejus graviter, et multis modis; vocat jam nos ad se, et jubet e corpore reverti, jubet mori; non remoretur nos conscientia scelerum nostrorum; tanto promptius veniamus, et legi ejus pareamus, quanto antehac minus paruimus; nam si minus ante hac legi ejus paruerimus, jam certe parendum est; post haec enim non dabitur ulterius parendi occasio, in simili scil. condicione, id est, humana.

P. 38. 3. Nulla mora est in vero bono, cum a Deo suo revocatur; nihil sua interesse putat, vapulaturus sit nec ne; novit id ad se non pertinere, sed ad herum suum, et in quo nihil valet, nihil etiam vult. Punire enim et praemiare Dei est, non nostrum; nostrum est, utut fecerit, aequi bonique facere; si secus fecerimus, excidimus manifeste a secunda parte Humilitatis, ad curam nostrum, ad philautiam delapsi sumus.

4. Magnum scelus est in hac tergiversatione, et haud scio an non sui ipsus interemptione majus. Uter enim servorum gravius deliquit, qui venit non vocatus, aut qui vocatus non venit? Gravius forte hunc peccasse dicas, et ut apparet non immerito. Et alterum quidem illud scelus jure exsecrantur Christiani, eorumque Magistratus publicâ infamiâ afficiunt eorum cadavera, qui seipsos interemerunt; hoc vero scelus tergiversationis in morte, et cupiditatem longioris vitae, non videntur satis ponderare. Commune quidem est, et inviti plerumque morimur; sed non ideo minus scelus est; nam multitudo peccantium non elevat peccata, sed si quid hîc valeat, potius aggravat.

5. Propositum hic intellige, non jactantiam; firmiter propono, et penitus in animum meum induco, propter vitae taedium et sortis humanae calamitates animam non abjicere, sed quid revera facturus aut non facturus sim, Deus novit.

6. Innuitur hîc, ad parendum huic Obligationi sufficere animi sententiam firmam atque tenax propositum veniendi cum Deus vocat; non requiri vero lubentiam illam et facilitatem, quam sentire solemus, dum passiones nostrae cum animi sententiâ conspirant, atque in idem propendent, ad quod animi proposita certum est ire. Reluctantur enim hîc plerumque passiones; nec illa lucta quicquam officit animi sententiae, si haec satis firmum habeat, Deo, utut difficile et calamitosum videatur, obedire.

*Argumentum hujus* §. 4.

*Ubi nihil valeo, ibi nihil volo*, axioma complectitur utramque partem Humilitatis: *nihil valeo* denotat infpectionem fui, *nihil volo* denotat defpectionem fui. Atqui nihil valeo quod ad mortem, feu quoad exitum ex hoc mundo; non poffum illum differre aut procraftinare (nihil mihi confcientiâ illâ evidentius eft, nihil aliorum quotidie morientium experientiâ certius); igitur nihil hîc volo. Non poffum mortem differre, ne quidem propter confcientiam peccatorum meorum; hoc enim non effet aliud quam peccatis iftis peccatum hoc (quod in neglectu hujus Obligationis verfatur) adjicere.

Ad Tr. I. Cap. 2. S. 2. §. 5.

1. Ita quidem, imo et clariffime fequitur. Nam et hic nihil poffum, nihil valeo; proinde, fi, ubi nihil valeo, nihil etiam (ut decet) velim, neceffum eft ut circa mortem meam nihil attentem, mihi ipfi violentas manus non adferam, adhibeam. Sed homines non perinde vident fequelam hujus Obligationis, ficut contra facile vident fequelam praecedentis Obligationis. Etiamfi enim fatis intelligant, fe non poffe mortem differre, non perinde tamen vident, fe non poffe mortem praevenire; cujus inadvertentiae caufa eft, quod perfuafum habeant, fe poffe corpora quaedam movere. Hinc enim exiftimant, poffe fe mortem manu facere, adeoque poffe fe citius mori, fi modo velint, quam alioqui morituri fuiffent. Sed clariffimum eft ex infpectione humanae condicionis, homines non movere aut fua aut alia aliqua corpora. Et per confequens, quam impoffibile nobis eft vitam prorogare, mortem differre, tam impoffibile etiam nobis eft, vitam abrumpere et mortem anticipare.

2. Ego pumilio et omni pumilione imbecillior; Deus Hercules eft; P. 39.
clavam aut potius claves vitae et necis portat. Clavem vitae ego ei de manibus extorquere conor, cum diutius vivere volo moribundus, et contra primam meam Obligationem pecco. Clavem necis ei de manibus extorquere conor, cum mortem praevenire volo defperabundus, et contra hanc meam fecundam Obligationem pecco. Utrobique ftultus ac deridiculus; utrobique aliquid volens et nihil valens; vitam prorogare non poffum, nihil hic valeo. Hoc fatis capio: Mortem

praevenire non poſſum, nihil hic valeo; hoc non ſatis capiebam, quamdiu me movere me putabam; putabam enim poſſe me pugionem arripere, poſſe me mihi pectus tranſfodere. Sed falſum eſſe tunc intellexi clariſſime, cum me inſpexi candide. Cum igitur movere me non poſſum, reſtat, ut ſolâ voluntate me interimam, ſi interimere me ullo pacto poſſum; at ſolâ voluntate non poſſe me ab hoc corpore diſcedere, tam eſt mihi conſcientiâ notum, ut clarius nihil dici mihi aut fingi poſſit.

3. Nequam perſuaſio et omnis fere nequitiae in hac vita ſeminarium; jam enim non intelligunt homines, vitam pertinere ad Obligationem noſtram, ſed putant eam velut uſuram quandam (quo ipſo nomine miſere decepti, ac alios etiam decipientes, perſaepe utuntur) in commoda et voluptates datam; itaque omnia deinceps faciunt propter dulcedinem vitae, ac mortis horrorem. Ea enim quae juſti officii erant (v. g. corpus reficere, animum recreare, artem addiſcere, victum quaerere, etc.), vertuntur hoc malo fine in peccatum. Si ſatis perciperent, non poſſe ſe hanc vitam abrumpere, non magis quam ſibi ipſis hanc vitam dare, viderent abunde, totam hanc vitam ad Obligationem eſſe referendam; in eaque quoad omnes ejus partes (quoad nativitatem, quoad mortem ſerius aut ocius ineundam aut terminandam) valere hoc Ethicum principium debere: *Nihil valeo, nihil volo;* totum Deo, cui debetur, relinquo.

4. Cum nihil poſſim agere extra me, quod ex inſpectione ſui patet, totum vero agere meum, quod intra me eſt, ſit *cognoſcere* aut *velle;* certum perinde eſt ac evidentiſſimum, neutrum horum habere vim aliquam ad ſolvendum me a corpore meo. Nec enim ſi cognoſcam mortem, ideo moriar (quod per ſe notiſſimum eſt), nec ſi velim mortem, mere ibi ſtando, ideo moriar (quod etiam notiſſimum eſt propter illam particulam adjunctam *ibi ſtando*). Sed non vident homines ſe ſemper ibi ſtare; adeo ut, etiamſi illa particula verbotenus auferatur, maneat tamen neceſſario vis ejus atque poteſtas. Poſt voluntatem enim meam neceſſario ibi ſtatur, atque in illa omnis actio mea conſummata eſt; quod aliquando poſt illam voluntatem ſequatur in corpore meo motus, non eſt a me, non id meae imputandum eſt actioni, ſed Dei, ut clariſſime patuit ex inſpectione noſtrûm.

5. Dices forte: non eſt neceſſaria illa reſtantia; poſſum enim me

ipſum interimere mere abſtinendo, nempe famem mihi et extremam inediam indicendo. Reſpondeo: Hoc etiam ſine motu non fiet; ad minimum interveniet exſtinctio flammulae ſeu foci cordis; hic vero ſine motu exſtingui non poteſt. Ordinaria itaque Dei lex eſt (quam experientia nos docet), ut tamdiu maneamus in hoc corpore, quamdiu illud certo modo confirmatum eſt in cor ſeu officinam ſpirituum, in cerebrum et nervos, quo ſpiritus illi diriguntur et per quos fluunt; haec vero conformatio ſine motu diffringi non poteſt; itaque ſine motu nunquam ſolvimur ab hoc corpore, quantum ſcil. eſt ex ordinaria iſta lege Dei. Alioqui certiſſimum eſt, aliud eum hac in re poſſe, ſi modo aliud velit; poſſe illum, his etiam integris organis, bene a ſpiritibus caeteriſque neceſſariis inſtructis ſolvere aliquem noſtrûm, et hinc eripere. Sed utcunque ſit, hoc ſemper manet inconcuſſum, nos vi noſtra ab hoc corpore non ſolvi, non magis quam vi noſtrâ colligati fuerimus cum illo.

6. Certe non poteſt id praeſtare; ſed ad hominem id locutus ſum, ſeu ex vulgi ſententiâ hoc dixi, quod et licebat in iſta ſimilitudine. Exiſtimant enim vulgus et mortalium plerique, ſe movere corpora ſua, atque matrem et nutricem cunas agitare, in quas conditus eſt puſio; ſed ſaltem ſciunt non vi puſionis eas agitari, etiamſi putent, in quo magnopere falſi ſunt, vi matris aut nutricis agitari. Interim hac ſimilitudine egregie oſtenditur, quam vili et nullius momenti fundamento nitatur vulgi illud praejudicium, quo perſuaſum habent ſe movere; nulla enim eſt ratio iſtius perſuaſionis, niſi quod conſcii ſibi ſint, motum quendam ſubinde, vel etiam ſaepe et ſaepius ad voluntatem vel ſecundum voluntatem ſuam ſequi; jam autem eodem argumento dicat puſio noſter, ſe cunas ſuas movere, qui (quia, ut fit, perdite amatur) motas illas habet, cum motas eſſe vult.

7. Non quaſi Deum ego permoveam voluntate meâ ad impartiendum motum illum quem ego deſidero (ſicut infans movet matrem ad agitandum cunas), ſed quia Deus ineffabili ſua ſapientia tales ſcivit dare leges motus, ut cum voluntate meâ liberâ quidam congrueret motus omnino a voluntate et poteſtate mea independens; vide quae ſupra annotavimus de ſimilitudine duorum horologiorum. Claudicat igitur ſimilitudo puſionis et matris ejus ab una parte, et mei ac Dei ab altera parte; et claudicat quidem non uno modo, nam alterum

modum jam paulo ante inter annotandum obſervavimus (Deus facit motum, mater non facit; puſio movet matrem ad movendum, ego Deum non moveo). Sed vis et energia ſimilitudinis in eo verſatur tota, quod, ſicut puſione volente fit motus ſeu cunarum agitatio, ſed non a puſione fit motus, ita pariter me volente ſaepe fiat motus, nunquam faciente.

P. 40. 8. In hoc conſiſtit tota ratio peccati, in hoc, inquam, modo, in hac (ut Scholae vocant) ſic-ſe-habentiâ: *quantum eſt ex parte mea, reſiſto voluntati Divinae.* Abſit enim, ut voluntati ejus abſolute reſiſtat aliquis. Sic quantum eſt ex parte noſtrâ venimus non vocati, cum nos ipſos interimimus, ſed abſolute loquendo etiam tunc venimus, quia Deus nos vult venire; ſimiliter quantum eſt ex parte noſtrâ, vocati non venimus, cum moribundi adhuc vivere volumus, etiamſi inſperata tunc nobis ſalus detur; abſolute vero non venimus, quia Deus non vult nos venire. Atque ita cujuslibet peccati ratio in eo conſummatur tota: *quantum eſt ex parte meâ, ſecus facio quam Deus vult;* nunquam tamen abſolute ſecus facio. Sicut malitia pumilionis noſtri non in eo ſita eſt, quod Herculi clavam de manu extorqueat, aut aliquid, quod eo pertinere poſſit, conferat; ſed quod, quantum eſt ex parte ſua, aut extorquere aut aliquid ad extorquendum facere velit; etiamſi igitur Hercules clavam a ſe demitteret, intelligitur tamen adhuc pumilionis illius nequitia, ſtultitia, et ineptia.

9. Hoc eſt primum punctum hujus propoſiti: mortem non praeoccupabo ob aliorum in me hominum odia. Contra quod ſentit Seneca, qui putat hominum odia et contumelias poſſe eſſe tam magnas, ut hinc liceat ſibi ipſi manus inferre. Epiſt. 70.: *Itaque*, inquit, *effeminatiſſimam vocem illius Rhodii exiſtimo, qui cum in caveam conjectus eſſet a tyranno, et tanquam ferum aliquod animal aleretur, ſuadenti cuidam, ut abſtineret cibo: Omnia, inquit, homini dum vivit ſperanda ſunt. Ut ſit hoc verum, non omni pretio vita emenda eſt, etc.* Ego cogitem, in eo qui vivit omnia poſſe fortunam, potius quam cogitem, in eo qui ſcit mori nihil poſſe fortunam.

10. Hoc eſt alterum punctum noſtri propoſiti: mortem non praeoccupabo, etiamſi immineat mors certa et ſaeva. Contra quod Seneca eâdem epiſt.: *Non poſſis itaque de re in univerſum pronunciare, cum mortem vis externa denunciat, occupanda ſit an exſpectanda. Multa*

*enim ſunt, quae in utramque partem trahere poſſunt. Si altera mors cum tormento, altera ſimplex et facilis eſt, quidni huic injicienda ſit manus?* Et infra: *Ego exſpectem vel morbi crudelitatem vel hominis, cum poſſim per media exire tormenta, et adverſa diſcutere?*

11. Hoc eſt tertium punctum noſtri propoſiti: mortem non praeoccupabo propter morbum vel dolorem corporis. Contra iterum Seneca Epiſt. 8. ſub finem: *Morbum*, inquit, *morte non fugiam, duntaxat ſanabilem, nec officientem animo; non afferam mihi manus propter dolorem; ſic mori vinci eſt. Hunc tamen ſi ſciero perpetuo mihi eſſe patiendum, exibo; non propter ipſum, ſed quia impedimento mihi futurus eſt ad omne propter quod vivitur.*

12. Quartum punctum propoſiti: etiamſi mens mea et animus male habeant, non tamen mortem praeoccupabo. Contra iterum Seneca in eadem Epistola: *Itaque de iſto feremus ſententiam, an oporteat faſtidire ſenectutis extrema; et finem non operiri, ſed manu facere. Prope eſt a timente, qui fatum ſegnis exſpectat: ſicut ille ultra modum deditus vino eſt, qui amphoram exſiccat, et faecem quoque exſorbit.* Et paulo infra: *At ſi inutile miniſteriis eſt corpus, quidni oporteat educere animum laborantem? Et fortaſſe paulo ante quam debet, faciendum eſt, ne, eum fieri debeat, facere non poſſis. Et cum majus periculum ſit male vivendi quam cito moriendi, ſtultus eſt, qui non exigui temporis mercede magnae rei aleam redimit.* Et paulo infra: *Non relinquam ſenectutem, ſi me totum mihi reſervabit; at ſi coeperit concutere mentem, ſi partes ejus convellere, ſi mihi non vitam reliquerit ſed animam; proſiliam ex aedificio putrido ac ruenti.* Hujus perniciofiſſimi erroris cauſa eſt, quod non ſatis perſpexerit, vitam ad officium et Obligationem pertinere; exiſtimavit autem (quod et vulgo omni perſuaſum eſt), vitam pertinere ad fructum et *uſuram* aliquam noſtram (quo ipſo vocabulo M. Tullius in hoc negotio ſaepius utitur) nobis commodo et bono noſtro ad tempus aliquod conceſſam. Itaque non eſt mirum ſi putaverit, poſſe ſe beneficio, quando id ei grave factum eſſet, renunciare. Aſt vero clariſſimum eſt, tum ex praecedentibus, tum etiam ex iis quae ſequentur in poſterum, vitam non ut uſuram nobis conceſſam (quod ad commodum ejus qui uſuram ſeu pecuniam mutuam accepit, pertineret), ſed ut Obligationem nobis impoſitam eſſe, quod non commodum Obligati, ſed onus et officium reſpicit.

13. Dicet forte aliquis: etiamſi vita noſtra pertineat ad Obligationem, non vero ad uſuram aut fructum aliquem noſtrum, tamen haec Obligatio non eſt tam ſtricta, ut vitam teneamur cum tantis noſtris incommodis, quanta in textu proxime commemorata ſunt, ſervare. Obligamur enim etiam vitam parentis ſervare; ſed ſi is caſus eſt, ut mea pariter atque patris vita periclitetur, et in extremum diſcrimen adducta ſit (puta ambo ſubmergendi ſumus), ſi non poſſum patris vitam ſine meo interitu ſervare (v. g. tabulam ei in naufragio offerendo), licitum erit mihi patrem deſerere, et vitae meae proſpicere, retinendo mihi tabulam quam arripui. Ceſſat itaque hîc Obligatio ſervandi vitae patris, nec ad illam ſervandam obligatus ſum cum tanto incommodo meo, et exploratâ ac certâ vitae jacturâ; poteſt ergo ſimiliter ceſſare Obligatio propriae vitae tuendae inter tot ac tanta incommoda. Reſpondeo: Haec fere mens Senecae eſſe videtur; ſed tu nota Obligationem in nobis nunquam poſſe ceſſare, niſi per aliam Obligationem majorem, ut in caſu poſito Obligatio propriae vitae conſervandae inter incommoda, quae major eſt, exſtinguit Obligationem paternae vitae conſervandae, quae minor Obligatio eſt. At qua obligatione exſtinguitur Obligatio propriae vitae conſervandae inter incommoda, quae textus perhibet? Certe nulla hîc cogitari poteſt Obligatio, quae Obligationem propriae vitae conſervandae exſtinguat, niſi Obligatio proprii commodi et immunitatis a quibusdam miſeriis, afflictionibus, et tormentis; atqui ridicula eſt Obligatio proprii commodi, et manifeſta in iſto adjecto implicantia eſt; nam Obligatio non poteſt ſpectare ad commodum ejus qui obligatus eſt, ſed (ut nomen ipſum eſt) ad Obligationem et onus. Utique ſi per impoſſibile Obligatio, qua talis, ſpectare ad commodum et favorem Obligati poſſet, poſſet Obligatus pro arbitratu ſuo Obligationi ſuae renunciare (ut juri in favorem noſtrum lato renunciamus, cum volumus); quod abſurdiſſimum plane atque ridiculum eſt. Nam Obligatarium remittere Obligationem, hoc conſentaneum ſubinde; ſed Obligatum remittere ſuam Obligationem, nihil aliud quam committere et peccare eſt. Hoc interim argumento, quod objectio perſtringit, ſeducti, putavere multi (quibus Senecam merito annumeres), utrumque licere inter haec incommoda, et vitam ſervare et abjicere. V. g. cum mors a tyranno imminet et ſaeva et multiplex, licere quidem mortem praeoccupare

(et hoc ad naturae Deique indulgentiam pertinere), et licere etiam exſpectare mortem multis a tyranno tormentis inferendam (quod ad patientiam et animi magnitudinem pertineat), perſuaſum habent. Conſiderant enim Obligationem, qua hîc manere obligati ſumus, inter triſtia et incommoda, tanquam cui poſſit is qui obligatus eſt, renunciare. Itaque recidunt ſemper in eandem Scyllam; totumque fundamentum iſtius erroris eſt, vitam datam nobis eſſe in uſuram et fructum, non in Obligationem, cui poſſet is qui Obligatus eſt, pro libitu ſuo, id eſt, nullâ majore interveniente Obligatione, renunciare.

14. Hoc eſt proprium boni viri; omnes calamitates exercitiorum loco ducit; nec hoc de Deo tantum credit, exerceri ſe nempe ab eo, cum graves ab ipſo immittuntur afflictiones et adverſitates, ſed facile etiam ſibi hoc de ſuperioribus ſuis, de magiſtratu politico cui ſubeſt, perſuaſum habet. Itaque etiamſi ſaepe indigne et invidioſe ab eo tractetur, mavult tamen ſibi perſuadere, exerceri ſe, periculum capi induſtriae et conſtantiae ſuae, quam ſerio ſe divexari; quo equidem innocuo et generoſo ſtratagemate facit eos tales, quales eos credidit; examinatores exploratoresque virtutis ſuae eos reddit, qui hoſtes erant; itaque ut nonnunquam et illi, ſemper vero populus virtutis et innocentiae teſtis fiat.

15. Incipit hic altera pars propoſiti. Prior enim pars propoſiti erat: *propter mala non exuam me vitâ hac;* ſecunda pars propoſiti: *propter bona et ſecunda omnia non manebo in hac vita;* cui infra tertia pars adjungitur: nempe *exibo, manebo mere propter legem Dei.* Hic igitur contrarium primo puncto prioris partis perhibetur; ibi contumelia et hominum odia, hic favor.

16. Contrarium ſecundo puncto prioris partis; nempe: ſecuritas hîc, ibi carcer et nex imminens.

17. Contrarium tertio puncto prioris partis; nempe: hic ſanitas, ibi morbus et dolor.

18. Contrarium quarto puncto; nempe: hic animus et mens integra, ibi fracta et convulſa.

19. Proprium hoc rationis eſt, mentem paſcere et ſatiare; unde nunquam ſatis eſt menti, quamdiu latet illi ratio; quae ſimul atque apparuit et directa eſt, hoc ipſo ſatis eſt menti, hoc ipſo expleta eſt, nec quicquam deſiderat ultra. Solet enim his fere gradibus mens

humana procedere: primum ne fenfum quidem intelligit fententiae, quam docens exhibet; v. g. in hoc Logico dogmate: *Ex contradictione confequentis fequitur contradictio antecedentis*, tiro nihil videt, nec veritatem rei fignificatae, nec fenfum aut vim fignificationis. Primum itaque docens fignificationem fententiae tironi ingerit, explicatque verborum fignificationes; atque fic factus eft *primus* gradus ex profundiffima ignorantia in fcientiam faltem fignificationis et fenfus; in quo primo gradu dubitatio confiftit. Nam cum fenfum dogmatis percepit jam tiro, aeque de hoc ac de illo: *Arenae maris funt numero pari*, dubitat et prorfus incertus haeret. Succurrit itaque ei auctoritas docentis, quem et peritum effe in re Logica et bonum videt, qui nec decipi facile poffit, nec decipere ullatenus velit; atque hic factus eft *fecundus* gradus, a dubio ad verifimile feu probabile itum eft. Succurrit jam tironi docens, et exemplis dogma propofitum illuftrat, dicitque v. g.: *Sequitur Cogito, ergo fum, et fimiliter Non fum, ergo non cogito; item fequitur Curro, ergo moveor, et fimiliter fequitur Non moveor, ergo non curro;* et quamplurima talis farinae adfert exempla; atque hic *tertius* gradus conftitutus eft; et tiro jam e verifimilitudine in certitudinem affertus eft. Sed obfcuritas adhuc in hoc gradu, nec mens tironis acquiefcit; cumque jam certo novit ita effe, quaerit cur ita fit, quaerit *rationem;* quam fimul atque docens impartivit, jam *quartus* gradus conftitutus eft; jam tiro e certitudine in evidentiam evectus eft, jam acquiefcit, jam fatis habet, nec quaerit aliquid ultra rationem illam. Vide in Logicis noftris.

20. Hic incipit tertia pars propofiti; quod totum fic perftringitur: *nec propter fecunda diutius, nec propter adverfa brevius vivere volam; fed feu inter adverfa, feu inter fecunda, vivam donec Deus me folvat.*

P. 41. 21. Quia nempe in hac fecunda Obligatione fundantur fequentes omnes, praefertim ad fextam inclufive. Victus enim quaerendus eft (tertia Obligatio) ut vivatur (fecunda Obligatio); vitae genus deligendum eft (quarta Obligatio) ut haberi victus poffit; multa facienda, multa ferenda funt (quinta Obligatio) ut generi vitae quod affumpfimus pares effe poffimus; inter caetera, ob eandem caufam, animus interdum relaxandus eft (fexta Obligatio). Vides continuâ atque perpetuâ catenâ a fecunda Obligatione fequentes trahi; ita ut, fi illa concutiatur, hae eodem motu labefactatae neceffario concidant; fi enim non fit

Obligatio vitam confervandi, non erit etiam Obligatio victam quaerendi (hic enim ad confervandam vitam quaeritur), nec erit Obligatio deligendi vitae genus aliquod (hoc enim deligitur ut victus fuppetat), nec erit Obligatio multa ferendi faciendique (haec enim ferenda faciendaque funt, ut vitae genus frugiferum nobis fit et victum proferat), neque Obligatio erit animum relaxandi (nam is relaxandus eft ut ferendo faciendoque fimus). Ecce concidit omnis Obligatio, et in locum ejus obtruditur nobis mera libido; jam enim non faciemus illa nifi quia lubet, non enim fumus Obligati; faciemus itaque fi lubet, fi fecus, omittemus.

22. Mirum eft, qua animofitate, ferociâ, atque immanitate hanc fuam fententiam multis locis Seneca inculcet; quomodo non laudet Catonem, et alios quofdam, qui neglecto Dei mandato, et privatis aliquibus affectibus ducti, fceleratas fibi manus intulerunt; tu vide librum ejus de Providentîa, Epiftolamque 58., 70., etc. Et non minus mirum eft, quam nullis rationum momentis fententiam fuam ftabiliat, ut ex fequentibus patebit.

23. Ipfis verbis teftatur, fe non velle Obligationem quaerere (ut quam etiam inter turbas illas fuorum affectuum cum fententiâ fuâ non ftare, quafi per nebulam videbat); fed totus effufus in libertatem (falfam quidem illam et inanem), tantum diffolutionem quaerit eruptionemque omnis officii et Obligationis.

24. Stoicorum hoc eft effatum, ad quod animus omnis bene inftitutus naturaliter exhorrefcit, bonum virum Deo exaequare, imo in multis anteferre. V. g. quod Deus neceffario bonus fit, ille non item; quod Deus fine malorum perpeffione bonus fit, ille mala devincat et fuperet; et in fimilibus multis.

25. Summa hujus orationis haec eft: cum Deus exitus tam multos, tam faciles, nullo non loco, nullo non tempore fuppetentes conceffferit ex hac vita demigrandi, non videtur virum bonum inter graviores aerumnas et tormenta hîc detineri voluiffe; ficut commentarienfis, compedes folvendo, carcerem recludendo, videtur hoc ipfo liberum captivo facere, ut egrediatur. Itaque fi vir bonus nimis urgeatur (v. g. hominum atrocioribus contumeliis, morte per faevum fupplicium exigendâ, morbis incurabilibus, doloribus intolerabilibus, amentiâ, et corpore minifteriis inutili), integrum erit ei exire ex hoc

corporis ergaſtulo, nullibi non patente, et ad egreſſum nos invitante. Non exiſtimabant enim Stoici, licere quavis de cauſa mortem ſibi inferre; ſed cauſas illas, quas jam ſtatim in parentheſi commemorabam, quaſque ſupra num. 3. hoc §. in annotatis ex Seneca recenſuimus, deſiderabant.

26. Animam trahis reſpirando; itaque opus tantum eſt te relinquere *τὸ* attrahere, ſeu ceſſare a reſpiratione, v. g. palmâ manûs ad os et nares arcte conſtrictâ, aut ſtrophiolo ſpongiâve in fauces illiſâ; quale exemplum etiam refert Seneca Epiſt. 70. de quodam, qui, cum ad beſtias duceretur, finxit ſe alvum ante debere ſolvere, et arreptâ ſpongiâ, quae latrinis ad obſcoenas partes mundandas appoſita erat, eam ſibi in fauces impulit, et ſpectaculi eluſit exſpectationem.

P. 42. 27. Ambiguum eſt; nam et gratiam atque favorem et officium atque Obligationem importat munus. Videtur Seneca in priorem ſenſum accipere; ut innuat, gratiam, quam nobis fecit natura cum vitam dedit, cum inutilis reddita eſt, et non jam gratia ſed onus eſt, renuntiare nos poſſe, ſicut ſummam, quam forte mutuam accepimus, refundimus uſurario, cum haec vel propter faſtum ipſius, beneficium nobis improperantis, vel quavis alia de cauſa reddita eſt gravis aut inutilis.

28. Mirum eſt quam libenter hîc debacchetur, quam libenter efferas illas voces, ubi ubi poteſt, ingeminet. Militem, aut verius latronem inter caedes et ſanguinem exſultantem audire te dicas, non Philoſophum.

29. Iterum iterumque in ſolitos ſuos furores abit, et cruentum illud ac exſecrabile claſſicum contra Dei legem clangit.

30. Ad has Senecae ſeu rationes ſeu vociferationes, reſpondemus imprimis: Non facile eſſe nobis exire ex hoc corpore, ſed quantum ad vim et efficaciam noſtram attinet, penitus impoſſibile (ut et ſupra, et jam ſatis infra num. 6. ſatis patet); ſecundo: Etiamſi facile ſit exire ex hoc corpore, et manus ſibi afferre, juxta vulgarem aliquam perſuaſionem (quia ſcil. motus ille, qui ad hominem e medio tollendum requiritur, non ſolet voluntati noſtrae denegari), tamen nullum inde argumentum duci poteſt pro nefario hoc Senecae dogmate. Quae enim hoc pacto facilia ſunt, ſaepe graviſſima ſcelera ſunt. Itaque nullatenus ſequitur: *Deus facile reliquit, ergo integrum reliquit;*

ſeu *Facile eſt, ergo faciendum eſt;* nullae, inquam, ſunt hae conſequentiae, ut per ſe nimis quam manifeſtum eſt. Imo videtur Deus, quo gravius eſt ſcelus aliquod, ea nobis majorem ejus perpetrandi reliquiſſe facilitatem. Numquid enim facilius eſt patrem occidere, quicum vivis, qui filio ſe credit, quam hoſtem, qui te cavet, qui minimos etiam tuos motus ſuſpectat, qui et arma expedit, et vim vi repellere paratus eſt? Numquid etiam facilius eſt bonum principem, qui ſine praeſidio, ſine ſatellitio inter cives ſuos tanquam fratres verſatur, quam tyrannum tot latronum agmine ſtipatum interimere? Et ita porro, quo plerumque gravius ſcelus eſt, eo item facilius, aut in alios committere, aut in ſe admittere. Quantum autem ad rationes attinet, quibus inſtructum eſſe volunt eum qui ſeipſum jure interempturus ſit, ineptae ſunt; nam quaevis cauſa ſufficiet, ſi aliqua ſufficiet; nec minus juſte amator a meretricula repulſam paſſus, vim ſibi afferet, aut fame ſe enecabit, quam Rhodius ille, de quo Seneca Epiſt. 70. Tam enim ſentiens ſaepe eſt illius ſtultae contumeliae amator ſtultus, quam Rhodius ille in caveâ ſuâ contumeliae, quam a Lyſimacho patitur. Et certe nulla debet videri exigua cauſa, quae impellit ad abjiciendam vitam, quâ nihil homini ſolet eſſe carius; ut ergo aliis ſaepe videatur parva, certe ei qui illâ adductus eo eſt, ut vitam ſibi auferret, minime parva videbatur. Quid refert ergo, qualis in ſe ſit cauſa et quanta? Semper magna, ſemper urgens apud eum eſt, quem eo inſtigare potuit, ut vitam deponeret. Et nunquam aliter erunt magnae cauſae, quam comparatione ad certas perſonas, earumque exiſtimationes ac perſuaſiones, quibus indulſere. Quid enim? Tu omnibus opibus et divitiis exutus, infamis, et contumeliis quamplurimis affectus, putes hanc eſſe gravem cauſam, et quae tibi jus faciat animam projiciendi? Invenies, qui inter haec rideat, nugetur, et

—— *Cantet vacuus coram latrone viator.*

Reſtat igitur, ut, quod res eſt, ingenue fateatur Seneca; nempe quemlibet, qui ſe ipſum interimit, jure id feciſſe quavis de cauſa id fecerit; ſe omnia ad libidinem referre, ſe cum libet exiturum, cum non libet remanſurum. Nam praetextus ille rationum, quem exituro injungit, merus praetextus eſt, et res eo ſponte delabitur, ut cum placet vivere, cum non placet mori poſſis; quae fere ipſis illis verbis Seneca Epiſt. 70.: *Placet? vive. Non placet? potes eo reverti, unde veniſti.*

31. Non compedibus corporis, quas facile (ut tibi hoc demus Seneca) expedirent; difficultas ergo tota illis eſt expediendi ſe a lege divina, a qua cum ſe expedire non poſſunt, nolunt id pariter. Atque ita corruit argumentum illud, quod a facilitate abrumpendi compedes illas ducebatur.

32. Nempe teneri, ſeu ligatum eſſe, et liberum atque ſolutum eſſe, non pugnant in viro bono; ut qui novit, non aliter ſe liberum eſſe quam eâ ſervitute, qua Deo et legi ejus ſervit. Vide quae ſupra annotata ſunt ad Fructus Obedientiae.

33. Accommodatius certe Seneca Deo dediſſet perſonam commentarienſis quam imperatoris. Ille enim meliori fronte dixiſſet: Reſeravi vobis carcerem, feneſtras omnes, et ſpiracula aperui, compedes laxavi; ſi non placet hic manere, poteſtis hinc abire; at vero cum Deum ut imperatorem loquentem facit, nugatur, et cum Deum ipſum ridiculum facere non poſſit, certe ſe ipſum fecit; ut ſatis patet ex iis quae ſtatim in textu ſequuntur. Puduit tamen ipſum Deo perſonam imponere tam abjectam; ſed niſi impoſuerit, nihil coloris habebit diſſertatio. In imperatore ſchema non valet; in commentarienſi, niſi indigna Deo imponeretur perſona, aliquam haberet ſpeciem.

34. Si Seneca ſchema illud imperatoris rite exſecutus fuiſſet, prorſus in noſtram ire ſententiam neceſſum habebat, ut ſatis patet ex proxime ſubjunctis in textu. Itaque Seneca hîc non tantum in veritatem, ſed graviter etiam in artem ſuam Rhetoricam peccat, quae praecipit aſſumpto ſchemati, quantum fieri poteſt, accommodare caetera; et cum imperator inductus eſt, pro imperatore loquatur, non pro commentarienſi.

P. 43. 35. Nempe facilitas aut difficultas non eſt regula morum ſeu Ethices, ſed praeceptum atque prohibitio; nec peccatum eſt, quod difficile, ſed quod prohibitum; nec recte factum, quod facile, ſed quod praeceptum; imo plerumque quae graviora ſunt ſcelera, faciliora ſunt perpetratu, ut ſupra annotavimus.

36. Offerimus rurſum Senecae et imprimimus ſchema, quod ipſe inceperat; Deum ut imperatorem, nos ut milites induxerat. Turpe vero eſt et imperatorem militibus integrum facere, ut fugiant, et milites, ingruente hoſte ſuo, terrore fugam capeſcere. Contraria omnia eſſe debebant in hoc ſchemate, et imperator ad perſtandum

monere, et miles intrepidus adverſus hoſtem perſtare debebat; atque adeo Deus ut nos monens ne vitam abrumperemus ob humanae ſortis calamitates, et nos ut obſtinati conſtanteſque in propoſito non cedendi, introduci debueramus.

37. Nimirum nos longe aliud ſumus quam haec corpora; nos cogitamus, haec noſtra corpora non cogitant, licet nobis occaſionem praebeant variarum cogitationum. Sed et quomodo id praeſtent, ineffabile eſt; hoc conſtat, non vi ſuâ id praeſtant, ſed alterius. Vide de Inſpectione ſui, numer. 9.

38. Apage igitur commentum illud Scholae, quod tres nobis animas indidit, vegetantem, ſentientem, et ratiocinantem. Vegetans certe ad nos non pertinet; nutrimur, creſcimus, generamus, ſine ullâ harum rerum cognitione atque conſcientiâ. Sentiens vero, et rationalis anima nos ipſi ſumus, quamdiu in corpore hoc ſumus; nec duae iſtae ſunt in nobis, ſed una ſimplexque res, cum clariſſime ſentiamus, nos unos et eoſdem ſentire ſimul atque ratiocinari; idem autem, qua idem, nullas dicit partes.

39. Certum enim eſt, qui cum averſus a Deo et lege ejus moritur, P. 44.
quantum eſt ex re ipſa, debere aeternum manere in illâ averſione; cum nihil ſit, quod eum inde naturaliter poſſit divertere. Corpus enim, et ſenſus noſtri, qui ſunt unicum noſtrum diverticulum, ibi aberunt. In iſta autem averſione juge ſupplicium et perpetua confuſio, cum mens quidem intelligat eum a quo averſa eſt, hoc vero ad quod converſa eſt, non intelligat; hoc enim tantum mediante corpore et ſenſibus ſuis attingere poterat, quibus jam deſtituta eſt.

*Argumentum hujus* §. 5.

Secunda Obligatio eſt, non exire ex hac vita, niſi Deus revocaverit. Nihil enim debeo velle, ubi nihil valeo; atqui nihil valeo quoad exitum ex hac vitâ, ergo et nihil velle debeo. Haec Num. 1.

Solebam quidem exiſtimare, me hîc aliquid valere; ſed cum ſolâ voluntate ſolvere me non poſſim ab hoc corpore, ſed motus inſuper adhibendus ſit, in quo nihil mihi juris eſt, plane intelligo falſum fuiſſe. Haec Num. 2.

Propono itaque hoc firmiter: nulla erit tanta afflictio, quae me adigat ut vitam deponere velim; nulla tanta felicitas, quae mihi

persuadeat ut vitam retinere velim; sed penes solam Dei legem arbitrium hoc stabit. Haec Num. 3.

Haec Obligatio fundat fere reliquas; qui hanc concutit, totam Ethicam evertit. Et totum officium resolvit in libidinem; vivitur enim quia lubet, editur ut vivatur, laboratur ut edatur, etc.; ergo a primo ad ultimum omnia libidine trahuntur. Haec Num. 4.

Seneca obstrepit, et, quia facile est exire ex hac vita, integrum vult esse exire, praesertim si calamitas urgeat ad exeundum. Haec Num. 5.

Sed imprimis non est facile, ast impossibile nobis. Et etiamsi vulgari quodam modo loquendi facile esse demus, non ideo faciendum esse probatum est; cum multa facilia sint, nequaquam tamen facienda. Per occasionem demonstratur simplicitas humanae mentis, et nullas in nobis reperiri partes, utpote qui clarissime nobis conscii sumus, omnia quae nobis conveniunt, ad unum aliquod idemque referri; idem autem, qua idem, simplex est. Haec Num. 6.

## Ad Tr. II. Cap. 2. S. 2. §. 6.

1. Prima enim Obligatio quodammodo sterilis est, nec alias progignit Obligationes; saltem non tales quae pertineant ad humanam condicionem: humana enim condicio, hoc ipso quo primae Obligationi satisfactum est, exspirat. Jubet enim prima Obligatio Deo vocanti parere, et, cum e vivis nos evocat, redire; hoc cum fecerimus, homines esse eo ipso desierimus; quicquid tunc nobis Obligationis imponetur (nam extra Obligationes nunquam ibimus, ut qui essentialiter servi Dei et subditi sumus, ut demonstratur hoc tractatu Sect. 2. §. 12. num. 3.), subeundum erit aequo animo. Sed id tum videbimus; jam parum, quae qualesque Obligationes illae futurae sint, per Rationem naturalem assequimur.

2. Continuo enim diffluit, et si non reficis, deficit; et hoc ipso contra secundam Obligationem peccas, quae jubet hîc manere. Et haec quidem tertia Obligatio nihil videtur habere difficultatis, cum sanis atque vegetis adhibetur; habet enim conjunctam delectationem, quae in refectione corporis (cum fames, sitis, somniculositas, et similia ejusdem generis, edendo, bibendo, dormiendo pelluntur) sentiri solet. Unde plus justo solent homines iis, quae hac Obligatione

praecipiuntur, vacare; folentque cum nomine Obligationis proponitur, in rifum effundi [1]; fentiunt nempe fatis fe, et plus quam fatis, faginae fui corporis intentos et deditos effe. Sed nempe fciant illi, cum ita vacant rei quae hac Obligatione praefcribitur, fe ipfi Obligationi non vacare, et exfequi quidem quod Deus mandat, mandatum vero ipfum negligere; non enim vi mandati trahuntur, fed cupiditate fuâ, ad faciendum id quod mandato continetur.

3. Moderationem illam praefcribunt Medici, ubi de diaeta tractant. Hippocrates cum reliquiis famis a menfâ furgendum effe praecipit; fic et cum reliquiis fitis definendum eft bibere, et cum reliquiis fomniculofitatis definendum eft dormire, feu furgendum e lecto. Facile enim poftea fentimus, opus nobis non fuiffe longiore cibatione, potatione, aut fomno; ut qui deinceps, poft parvam temporis moram interjectam, non efuriamus amplius, nec in fomnum propenfi fimus.

---

1) Putant nempe Obligationem effe propter opus in Obligatione praefcriptum; ita ut perinde fit, quoquo modo opus illud comparetur. Cum igitur, quod Obligatione edendi, bibendi, animum recreandi, etc. continetur opus, fatis praeftandum intelligant, etiamfi omnis Obligatio abeffet (naturali enim cupiditate huc fatis impelluntur), abeffe non poteft, quin videant hanc Obligationem ut fero venientem et fruftraneam. Lapfique omnes fere funt in hoc praejudicium, quod Obligationem fimilem effe putent cupiditatibus fuis, et referunt Obligationem plerumque ad cupiditatem ejus qui nobis impofuit Obligationem, id eft, Dei; cupiditatibus autem fatiffactum eft, quoquo modo comparatum fit id ad quod comparandum illae inftigabant. Ut, fi fitienti potus fuppeditatus fit, et avaro opes, etc., quomodo id factum fit, jure an injuriâ, nihil pertinet ad ipfam fitim vel avaritiam. Sunt quidem fitibundi et avari, qui non magno fcelere aut fitim aut avaritiam fuam expleri velint; fed hoc ad alias eorum cupiditates pertinet, ipfius fitis aut avaritiae non intereft, quae tantum potum aut opes fpectat. Sic ergo etiam homines de Obligatione (cum praefertim eam ad Dei cupiditatem perverfiffime referunt) cogitare coeperunt, fatis effe fi opus fiat; proinde, fi aliunde faciendum fit, fruftra effe Obligationem quae jubet facere. Peffime, Deus enim et Ratio non indigent operibus noftris; imo nec ullum opus nobis proprie injungunt; opus enim ipfum ficut extra poteftatem noftram eft, fic etiam extra Obligationem; opus fpectat ad eventum, qui nunquam fub praecepto eft. Eft igitur Deus folo animo noftro et propofito contentus. Sed et hoc etiam petit, hoc praecipit ita, ut minime fatis fit, fi opus ipfum fiat, ad quod Obligatio digitum intendere videbatur, fi non fiat propofito obediendi Divinae legi. Nihil ergo eft in opere; poteft hoc abeffe, cum tu equidem bonus es (cum fcil. propofitum tuum faciendi, quod Obligatione aliqua continebatur, fruftratur eventu), et poteft adeffe, cum tu equidem malus es (cum fcil. opus praeftas fine propofito legem Divinam exfequendi). Jubent ergo hae Obligationes non fimpliciter opus illud praeftare, fed etiam habere propofitum illud praeftandi quia Deus juffit.

Quamdiu enim non tantum ſunt reliquiae famis, ſitis, ſomniculoſitatis, ſed adhuc bona pars iſtarum rerum reſtat; tamdiu edendum, bibendum, et dormiendum eſt.

4. Multi hîc errant, qui vulgo honeſti et probi audiunt; nam ad incitas redacti mendicare tamen nolunt, dictantes, ſe nimis honeſtos eſſe, nec poſſe prae pudore et verecundiâ condicionem ſuam manifeſtare iis qui ſtipem aut opem aliquam conferre poſſent. Non eſt illa honeſtas (quicquid praetexant) ſed turpitudo, quae contra Dei mandatum nititur, et decorem aliquem civilem praefert Divînae legi; juſſit enim Deus vivere, adeoque et edere; quod ubi per labores et ſtudia non licet, oſtiatim etiam petendum eſt. Dura quidem Obligatio iis, qui ſe fronte tantum et hominum moribus metiuntur; ſubeunda tamen nonnunquam iis, qui legem Dei ſe ipſis potiorem ducunt.

5. Imo Obligatio generandi huc non ſpectat, ſed ſpectat ad Politicam. Duae enim ſunt partes Ethicae, Monarchica et Politica; in Monarchica hîc verſamur, et ea docet, quomodo homo abſtractim etiam ab aliis hominibus conſideratus gerere ſe debeat (vide Belgicam noſtram verſionem hoc eodem num. 5.). Politica vero docet, quomodo homo cum aliis ſe gerere debeat hominibus; hujus pars quaedam eſt Oeconomica, ad quam proprie pertinet Obligatio generandi. Interim quia obligatio generandi ſummam habet analogiam cum Obligatione hac tertia (utraque enim refectionem aliquam ſpectat ac alimentationem; jam vero edere, quo haec tertia Obligatio ſpectat, eſt ſe nutrire ac reficere, generare vero eſt humanum genus nutrire ac reficere; et ſicut nutritione proprie dictâ parti quae defluxit, aliam ſupponimus partem, ſic generatione homini, qui morte ſublatus eſt, alium ſupponimus hominem), hinc itaque aliquid de generatione non adeo male interpoſitum eſt.

P. 45. 6. Cohaerent haec proxime cum num. primo, ſed quia ampla parentheſis intercedit toto num. ſecundo, hinc illud *verum enim vero*, quod commode poſt excurſum, tanquam admonitio ut in viam revertamur unde digreſſi eramus, ſubjicitur.

7. Id eſt, ne ita vacem refectioni corporis, ut obliviſcar me ideo vacare refectioni corporis, ut vivam, ſed vivam quia Deus juſſit ut viverem. Breviter, Edam ut vivam, non vivam ut edam.

P. 46. 8. Virtutis aedificium innititur humilitati ſeu ſui ipſius derelictioni

inaedificatum; edens ergo non mihi edam (dereliqui enim me), edam igitur ut vivam; nec hîc tamen ſtabo, ne forte me hic iterum, quem tam feliciter perdidi, reperiam. Vivam igitur quia Deus juſſit, et ſic me ipſe ſemper praeteribo, et ad Deum toto animo ac mente contendam.

9. Hoc enim argueret, me cauſâ mei hanc Obligationem exſequi: ſi enim ſollicitus ſim, ut habeam unde veſcar, jam non Obligatio, ſeu lex Dei, quae veſci jubet, cauſa eſt veſcendi, ſed dulcedo vitae, aut tale quid aliud, quod ad me ipſe refero. Nam ſi Obligatio mea mihi cauſa veſcendi foret, angi non deberem, cum quo veſcerer non ſuppeteret; quandoquidem nemo teneatur ad impoſſibile, quod commune adagium eſt. Cogitare itaque deberem, hanc tantum intercidere Obligationem, hujuſque loco aliam ſurgere Obligationem, ſcil. moriendi; non intereſt autem ejus, qui ſolâ Obligatione ducitur (et hac ſolâ duci oportet, ſi boni erimus), huic Obligationi vacet an illi. Sicut bonus ſervus qui forte lectum ſternere juſſus eſt, nihil ſuâ referre putat, ſi interpellatus aliud quid jubeatur exſequi, v. g. nuncium alicubi deferre; movetur bonus ſervus ſolâ heri ſui voluntate et juſſis.

10. Paſſiones non ſunt in noſtra poteſtate (ut infra ſpeciali tractatu de Paſſionibus demonſtrabitur); itaque ſollicitudo, anxietas, timor, et ſimiles paſſiones quae hominem concutere ſolent, dum egeſtas aliaque propinquae mortis pericula imminent, ſpectant ad ordinem naturae, et ſunt extra genus moris, neque virtuti neque vitio vertendae; ſed facere aut omittere aliquid ob illas paſſiones (hoc eſt, eas tanquam cauſas acccrſere atque alere) omnino pertinet ad vitium. Cum igitur incidunt paſſiones, agere debemus, quod in textu dicitur, ſatagere quod noſtrarum eſt partium, exſequi quod Ratio jubet; aliorum omnium incurioſi eſſe, illas ipſas paſſiones, quantum ad animi propoſitum attinet, nullo numero ducere, ſeu cavere diligenter, ne nobis praebeant agendi vel omittendi cauſam, ſed totum id juris atque poteſtatis Rationi integrum reſervemus.

11. Multi praepoſtere pii hunc praetextum capiunt ſuae inobedientiae. Ego quidem, inquiunt, libenter morerer, ego Deo vocanti libenter parerem, de me ipſo non laboro; ſed quid de uxore meâ, quae vidua erit? quid de filiis, qui orphani? Sed hi ſplendide

mentiuntur, cum dicunt ſe non laborare de ſe; laborant enim de ſuis, et *ſuus* ſupponit *ſe;* itaque de ſe maxime laborant illi, et, ut dixi, praetextus tantum hic quaeritur. Cur enim non laborant de vidua et pupillis alterius moribundi? Niſi quod hic *ſe* non inveniant, quem alibi invenerant et amabant.

12. Hic taxatur ſecundus praetextus illorum praepoſtere piorum, ſeu ſollicitorum, nempe: ego libenter venirem ad Deum e vita me vocantem; ſed obſtant peccata mea, et magnopere vellem jam ante per poenitentiam iſta diluere. Ubi manifeſta philautia iterum ſonat et tergiverſatio contra legem divinam; ſi enim dereliquiſti te (ut debebas), quid ſollicitus es quomodo accipiaris?

13. Pythagorae opinio inter Philoſophicas longe veriſimillima, nos ſcil. cum morimur, in aliud corpus tranſfundi; ſed opinio tantum atque ſuſpicio; nulla ſcientia, cum altum hic ſit Rationis ſilentium: et ſola Dei revelatio in Verbo ſcripto eſt, quae nobis hic aliquid dicat. Quia vero opinio eſt, hinc etiam Philoſopho indigna; nam *putare* (ſeu opinari, opiniones concipere et fovere) *non eſt Sapientis* (non eſt ſophi, ſeu Philoſophi), ut habet tritum ſermone proverbium. Opiniones ergo tales, ſuſpiciones, ſomnia etiamſi forte vera eſſent, quia tamen nos de veritate illâ certi eſſe non poſſumus, abjicienda ſunt Philoſopho, et vulgo, quod his maxime delectatur et prurit, relinquenda.

14. Ut Chriſtiani fere; nam ſaltem ad tempus aliquid exuti corpore remanebimus apud Deum, donec illud reſurgendo rurſum aſſumamus; ſic habent ſacra noſtra.

15. Abjectorum et miſellorum iſtorum homuncionum inſania taxatur, qui ſua tantum ſcelera intuentes, et nullam Divinae miſerationis ducentes rationem, deſperabundi nonnunquam ſe ipſos perimunt, ad ſcelera ultimum graviſſimumque ſcelus addentes.

16. Stolidorum iſtorum, qui omnia ad Dei Bonitatem et miſericordiam referentes, Dei Juſtitiam ejurant, notatur temeritas.

17. Chriſtianorum ſententia; nam in Chriſto accipiet nos, ut mali ſumus, dum ipſi peccata noſtra imponit (hic enim agnus eſt, qui tollit peccata mundi) et ignoſcit nobis, ut ipſe bonus eſt, dum lytrum jam perſolutum non repoſcit a nobis amplius.

18. Inſpiciendo me didici totam meam humanam condicionem,

quoad nativitatem, vitam, et mortem, ineffabilis ſapientiae Dei monumentum eſſe. Scimus *eſſe;* neſcimus, imo ſcimus nos neſcire debere, *quomodo ſit.* Hoc proprie *ineffabile* dicimus (ut infra Tract. 2., ubi de Pietate dicetur, manifeſtum evadet), *quod eſſe ſcimus, quomodo ſit, neſcimus, ſcimuſque hoc tantum, ſcire nos non poſſe.* Ducitur ergo inde bonum dubitandi argumentum: Deus ineffabilis eſt in me corpore jungendo; quid ſcio, an non aeque ineffabiliter juſtitiam atque miſericordiam ſuam in me puniendo mihique condonando conjunget? Et certe Chriſtiani e ſacris ſuis teſtantur ipſum ita conjungere, et punire me quidem in Chriſto, condonare autem mihi propter Chriſtum; imo forte aliquid ſcire poſſum, ſi ſtudio ſe quaeram.

19. Nam quoquo me vertam, extra meas Obligationes non eo; P. 47.
quamdiu autem in Obligationibus verſor, nullus ſollicitudini relictus eſt locus. Nihil enim aliud obvenire mihi poteſt intra Obligationes meas ſtanti, quam quod loco unius Obligationis, quae intercidit, naſcatur mihi alia; hîc vero quid mali eſt? Una Obligatio non eſt melior pejorve alterâ, ei qui tantum Obligationem quaerit; tales autem omnes eſſe debemus, ſi boni eſſe volumus.

20. Objectio quae hîc movetur, in eo ſita eſt, quod fundamentum Ethices hoc poſuerimus: *Ubi nihil vales, nihil velis;* in quo duas praecedentes Obligationes ſatis valide firmavimus. Sed haec tertia Obligatio non videtur ſatis tuto in illo fundamento recumbete; fundamentum enim illud tantum facit ad negative ſe habendum (quod ad duas praecedentes Obligationes ſatis eſſe videbatur; illae enim praeceptis negativis continentur, ſcil. *veni cum Deus vocat*, id eſt, diſſolutionem naturae non aegre feras, non reluctare; ratio bona, quia hîc nihil vales; item ſecunda Obligatio: *mane donec evoceris*, id eſt, noli aliquid attentare circa diſſolutionem naturae, ſeu condicionis tuae humanae; ratio bona quia nihil hic vales); jam vero haec tertia Obligatio penitus poſitiva eſt, ſcil. *ede, bibe, etc.*, cui ſatiſfacere mere negative nos habendo non poſſumus; non enim ſi ſinas omnia ut ſunt, edes atque bibes, ſicut tamen omnia ſinendo abibis hinc aut manebis. Niſi enim velimus edere atque bibere, non ſuccedit corporis noſtri refectio; hic igitur injungitur nobis aliquid plus, quod merâ noſtrâ permiſſione expediri non poteſt. Reſpondeo: Verum eſt; requiritur hîc a nobis ſervitus Dei, aſſenſus, approbatio, imo cooperatio. Cum enim Ratione

duce pervenerimus ad ſecundam Obligationem, videamuſque ei parere nos non poſſe, niſi aliquid contribuamus de noſtro (non enim hic manebimus niſi edamus, et non edemus niſi velimus edere), intelligimus illud contribuendum a nobis eſſe; quod quidem de ſe nullam vim proportionemque habet ad nos hic detinendum, ſed tantum ex inſtituto arbitratuque ejus qui ſerviri hoc pacto ſibi a nobis vult. Nec enim ſi voluerimus edere, ex naturâ rei ſequetur ipſe ille motus, in quo edendi conſiſtit actio; nec ſi is etiam ſecutus fuerit, neceſſum eſt ut ex natura rei ſequatur corporis noſtri refectio; nec ſi haec etiam ſecuta fuerit, neceſſe eſt ut ſequatur noſtra hic permanſio. Vult igitur Deus nos hoc velle (edere et bibere), vultque, cum hoc voluerimus, motum illum ſuppeditare, qui manducatio vocatur, et ex hac refectionem, et denique etiam ex hac permanſionem hic noſtram deducit atque procurat. Hic igitur ſummum eſt Ethices fundamentum: *Deum ſequere, Deo ſervi;* eo enim tandem veniendum eſt, ut vidimus; nec mere negative nos habendo expediri morale illud negotium totum poteſt. Dei autem ſervos eſſentialiter nos eſſe, demonſtrabimus infra ubi de Adminiculo humilitatis.

21. Videtur enim hîc militare axioma noſtrum: [*ubi*] *nihil vales, ibi nihil velis.* Sed reſpondemus, Deum aliquando velle, ut ibi voluntas noſtra aliquid valeat, ubi de ſe nihil valere poterat; tunc vero etiam velle debemus. V. g. in hoc caſu voluntas noſtra de ſe nihil valet ad edendum, ex inſtituto Divîno valet (non conſtituit enim paſcere nos Deus, niſi edere voluerimus; ita igitur volendum eſt). Sicut aurum de ſe nihil valet ad emendum neceſſaria, igitur quantum eſt de ſe, abjiciendum eſt, velut res inutilis et moleſta; acceſſit hominum auctoritas et inſtitutum, quo pretium auro datum eſt, jam itaque non eſt abjiciendum, et jam valet ad emendum panem; idem habet locum in voluntate noſtra: quantum de ſe, abjicienda eſt, nihil valet ad edendum; quantum eſt ex auctoritate Dei, pondus ei et valorem dantis, valet, et ad edendum adhibenda eſt.

P. 48. 22. Populariter hoc dicitur, ſunt enim ad ſenſum, ad captum populi hi homines admodum ſtolidi; populus enim cenſet comedendum eſſe quomodocunque, acti tantum dulcedine vitae, famis atque ſitis moleſtiâ, et ſimilibus ſuis paſſionibus, et admodum ridiculum exiſtimant hiſce ſuis cogitationibus velle contravenire. Idem vero, qui hîc

ſtolidi dicuntur, paulo poſt ſubtiles occulte dicuntur; ſequitur enim mox, *ſubtiliter* ejiciendum eſſe ſcrupulum. Sunt igitur hi populariter ſtupidi; Philoſophice vero, errant hi quidem, ſed acute errant; eſtque error non ad defectum pertinens (ut populus aeſtimabat), ſed ad exceſſum, proveniens nempe ex nimis acri adhaeſione ad illud Ethicum: *Ubi nihil vales, ibi nibil velis.*

23. Hic aliquid importatur plus, quam ex Ethico illo *ubi nihil vales etc.* deduci poſſit; non enim mere negative in omnibus nos habere debemus, ſed poſitive aſſentiri, ut ante annotavimus; nobis incumbit, et ex parte noſtrâ cooperari eo modo quo ibi dictum eſt.

24. Imo et conſcientiâ; conſcii enim nobis ſumus, non ſuppetituros motus ad edendum neceſſarios, niſi eos efficaciter voluerimus; iis vero non ſuppetentibus etc. ut in Textu.

### *Argumentum hujus §. 6.*

Tertia Obligatio de reficiendo corpore eſt. Oritur ex ſecunda; nam ſi non reficis, deficit; vetat autem hoc ſecunda. Haec Num. 1.

Excurſus ad Obligationem generandi inſtitutus propter analogiam cum tertia Obligatione. Haec Num. 2.

Sollicitudo proſcripta ab exſecutione hujus Obligationis; ſollicitudo enim nullum habet locum in eo qui tantum officium et Obligationes ſuas quaerit. Si enim vacari Obligationi non poteſt, intercedit hoc ipſo illa Obligatio, et eâ intercedente exſurgit alia; una autem atque alia Obligatio perinde gratae ſunt ei, qui tantum Obligationem ut Obligationem quaerit. Haec Num. 3.

Difficultas mota contra tertiam Obligationem ex illo Ethico, *ubi nihil vales etc.* Videmur enim etiam in corporis refectione nihil valere. Reſponſum, non ſatis eſſe in iſto Ethico, *ubi nihil vales etc.* Deo inſuper aſſentiendum, et cooperandum ubi id ipſe juſſit. Haec Num. 4.

### Ad Tr. I. Cap. 2. S. 2. §. 7.

1. Duo haec contraria maxime cavenda ſunt, ſcil. ut nec abjiciamus temere inſtitutum vitae ſemel ſuſceptum, nec etiam nimis pertinaciter ei adhaereamus. Solent enim eſſe inopes et omnium rerum

egeni, qui regulam hanc non bene fervant, praefertim illi qui contra fuperiorem ejus partem peccant, feu qui inftitutum vitae facile mutant, quos triftitia ingens, quae ex infolentia rerum nafci folet, confequitur. Hinc faepe fit, ut homines multis doctrinis exculti et ingeniofi, inopes fint et miferi, triftes, afflicti. Cum enim habeant intelligentiam agilem et verfatilem, qua multis, variifque rebus fufficere poffunt, facile eos taedium capit praefentis condicionis, et fpes futurae. Sed obfirmandus contra animus eft, et in certâ condicione, quam Deus dedit, acquiefcendum, ponendumque ob oculos illud Belgicum noftrum adagium: *Duodecim artes*, *tredecim damna* (*twaelf ambachten*, *dertien ongelucken*). Expedit enim fere pertinacem hîc effe, et mordicus tenere fuam condicionem, quam de una in aliam nimis leviter errare.

P. 49. 2. In his omnibus Obligationibus juftitia aliqua perfpicitur, quae et ab eo quod nimis, et ab eo quod minus eft, fummopere fibi cavet. Quia igitur vivendum eft propter legem Dei, hinc debemus velle vivere, quantum Deus juffit; non plus (ut illi qui peccant contra primam Obligationem, et Deo vocante nolunt redire), non minus, (ut illi qui peccant contra fecundam Obligationem, et fe ipfos interimendo, quantum eft ex parte fuâ, ante veniunt quam vocentur). Sic etiam quia edendum eft ut vivatur, Juftitia iterum occurrit, et jubet non plus, non minus edere, quam ad vivendum fufficiat; item quia condicio quaerenda eft ut edatur, Juftitia jubet nec majorem nec minorem condicionem, quam ad id requiratur, affectare. Qui plus hîc minufve facit, pro libidine fuâ facit; nam *plus* illud atque *minus* extra Obligationem recidit, adeoque fpectat ad libidinem agentis feu Obligati, qui plus minufve facit quia placet, non vero quia lex jubet.

3. Altera pars juftitiae in his Obligationibus fervandae hîc aperitur: nam num. 2. ne quid nimis; hoc num. 3. ne quid minus.

4. In feligenda vitae condicione obfervanda funt potiffimum robur corporis, ingenium, et animus; ex his enim judicandum eft, cui condicioni maxime conveniamus, ut patet exemplis quae hîc fubjiciuntur.

5. Sollicitudo maxime folet intervenire in hanc Obligationem; maxime enim folliciti funt homines in comparandis illis mediis, quae

victum ſuppeditant (quae media huic Obligationi omnia ſubjiciuntur, quae et vitae genus deligendum, et in eo laborandum diligenter, praecipit). Alioqui etiam ſollicitudo circa alias Obligationes verſatur, ſed per accidens fere; veluti dum ſolliciti ſunt migraturi hinc, tum pro ſuis, quos hîc relinquunt, tum pro ſe, quos exuto corpore ſuperfuturos ſciunt, et, quantum eſt ex rei naturâ, meritas poenas daturos re hîc non bene geſtâ intelligunt. Sollicitudo autem circa ſecundam Obligationem proprie nulla eſt; nam illa finis eſt, quem ſibi homines praeſtituere ſolent; jam autem circa finem proprie nulla eſt ſollicitudo, ſed circa media duntaxat, quae ad finem adhibentur. Circa tertiam Obligationem item non ſolet eſſe ſollicitudo; non enim ſolliciti eſſe ſolemus ut edamus (quod ad tertiam Obligationem pertinet), ſed ut habeamus, et ſuppetat unde edamus (quod proprie ad hanc quartam Obligationem ſpectat). Nota etiam, duplicem eſſe ſollicitudinem, nempe ſollicitudinem-ut, et ſollicitudinem-ne. Sollicitudo-ut ea eſt, quâ ſolliciti ſumus ut aliquid per media conſequamur (talis eſt ſollicitudo quae verſatur circa hanc Obligationem, ut nempe ſuppetat unde vivamus); ſollicitudo-ne ea eſt, quae verſatur circa primam Obligationem, dum ſolliciti ſumus ne et noſtri, nobis hinc diſcedentibus, male habeant, et nos ipſi alio appellentes vapulemus, ut meriti ſumus.

6. Hoc elidit omnem ſollicitudinem; impoſſibile enim eſt, ut et Deo parere velim, et tamen ſollicitus ſim (intellige hoc, quantum ad animi ſententiam attinet, nam quantum ad Paſſiones, ſolliciti etiam tum eſſe poſſumus), quia, cum Obligationi alicui Divinae vacare non poſſum, nihil mali eſt, non nocet, non refert hoc quicquam; tantum inde ſequitur, quod, illâ Obligatione exſpirante, vacandum ſit alii Obligationi, cui aeque honeſte et probe vacatur, quam praecedenti vacatum fuerat.

*Argumentum hujus* §. 7.

Haec Obligatio haec quatuor complectitur: 1. Electionem condicionis vitae; 2. Vacationem in iſta condicione; 3. Conſtantiam in iſtâ condicione; 4. Mutationem iſtius condicionis. Quantum ad Electionem, Juſtitia ſervanda eſt, ut non major minorve condicio captetur quam ad victum ſatis eſt (tota enim ratio hujus Obligationis pendet

ab Obligatione tertiâ); atque haec eſt prior pars juſtitiae, quae conſiſtit in quadratione condicionis cum tertiâ Oqligatione; altera pars conſiſtit in quadratione condicionis cum perſonâ condicionem captante, ut et ingenio, et animo, et corpori conveniens condicio eligatur.

Quantum ad Vacationem, qua vacare vocationi noſtra debemus, ea fere rejecta eſt in Obligationem quintam.

Quantum ad Conſtantiam, et Mutationem, breve monitum, ut mutetur, quantum fieri poteſt, minime.

Appendix de vitanda Sollicitudine, quae praeſertim in eligenda condicione intervenit; lex enim propoſito contenta eſt; qui legem ſolam quaerit, non eſt cur anxius ſit, cum propoſitum ſemper ſit ad manum, nunquam longe quaerendum.

### Ad Tr. I. Cap. 2. S. 2. §. 8.

p. 50. 1. Quinta Obligatio nihil habet obſcuri.

*Argumentum hujus* §. 8.

Multa ferre, multa facere; alioqui enim non poſſum vacare condicioni vitae, ita ut frugifera ſit, et victum mihi proferat.

Quatuor puncta expenduntur, in quibus difficultates ſubeundae ſunt. Primo in condicione viri docti (ubi ſtudendum, ubi mille taedia devoranda, invidia, et cenſurae ſubeundae); ſecundo in condicione magiſtratus (ubi vigiliae, curae, et pro omnibus his ingratia populi et ſaevitia); tertio in condicione humili et abjectâ (ubi contemptus, paupertas, et rigidum atque quotidianum penſum); quarto in mutatione condicionis (ubi inſolentia et inaſſuetudo turbant et terrent, et mentem mille anxietatibus affligunt). In haec igitur omnia obfirmandus animus.

### Ad Tr. I. Cap. 2. S. 2. §. 9.

p. 51. 1. Quod ante circa Obligationem tertiam diximus, nempe illam ridiculam videri iis qui verae Ethicae naturam ignorant, id multo magis obtinet in hac Obligatione ſexta; vix enim riſui temperant, cum hanc a nobis Obligationem caeteris Obligationîbus annumerari vident; ſciunt nempe ſe ſuapte ſponte vacare huic Obligationi, vel potius iis quae hac Obligatione continentur, non tantum ſatis, ſed

longe etiam plus quam ſatis. Sed homines hi penitus ignorant Ethicae naturam; neſciunt enim ad id nos obligari ſaepe, ad quod etiam inſtinctu et coeco ductu paſſionum noſtrarum abripimur, aliudque longe eſſe Obligationi operam dare, ac rebus qnae Obligatione continentur. Sic aliud longe eſt, animum recreare luſu, jocis, etc. quia Deus juſſit, et non plus minuſve quam juſſit, aliud vero ludere et jocari, quia hoc gratum, quia hoc collibitum eſt; alterum probi viri, alterum puerilis et inſani hominis eſt.

2. Niſi enim hoc ſuo loco et tempore fecerimus, eveniet facile, ut, quantum nos oblectando impedimenti, quod officium noſtrum remorari poterat, excutimus, tantum, aut etiam plus infamiae nobis injiciatur, quae nos impediat in officio noſtro rite exſequendo (utpote ad quod ſaepe exiſtimatio aliqua, et vulgi favor requiritur), victuque nobis comparando. Certe tam multum ex illâ infamiâ moeroris accedere ad nos poteſt, quantum ex animi remiſſione delectationis et vigoris.

3. Ad Senecam haec verba diriguntur.

4. Iſthaec verba ponuntur in perſona boni viri, et noſtram ſententiam ſequentis.

5. Juſtitia hîc iterum inculcatur, ut ſcil. non plus, non minus faciamus, quam finis ille requirat, in quem haec Obligatio tendit. Animus ergo recreandus eſt, ut officio noſtro pares eſſe poſſimus, proinde nec plus nec minus recreandus eſt, quam ad officii convenientem exſecutionem neceſſe ſit; ſi plus minuſve a nobis fiat, non officii ac Obligationis ratio illa fuerit, quam habebimus, ſed libidinis noſtrae. P. 52.

6. Haec Obligatio recte coronidi aſſimilatur in aedificio, cum praecedentes Obligationes velut contignationes quaedam fuerint in hoc virtutis domicilio. Eſt enim haec ſexta Obligatio ultima earum, quae in ſecunda Obligatione fundantur. Adhaec valde accidentaria eſt haec Obligatio, nec per ſe, aut nomine ſuo a praecedentibus Obligationibus trahitur (ſicut coronis in domo magis eſt ad ornatum quam pro neceſſitate); tantum enim locum habet, quando alias expediri negotium non poteſt. Si quis enim in officio ſuo exſequendo remoram non patitur a moeſtitia, torpore, et ſimilibus animi affectibus, aut patiatur quidem, ſed per ſe ipſe facile perrumpat, negligat,

et quasi sub pedibus conculcet; si quis, inquam, tanto animo est, nil opus est ei hac sexta Obligatione, non incumbit ei animum recreare, ut qui per se satis firmus sit et constans. Priores autem Obligationes magis necessario et veluti suo nomine a se invicem trahuntur, velut edendum esse si vivendum sit, et condicionem quaerendam si edendum sit, et ferenda multa si condicio tenenda sit, prorsus necessarium est; sed si ferenda sint multa, recreandum subinde esse animum, non ita necessarium, cum fieri possit ut is aliunde satis firmus et robustus sit ad ferendum, nec indigens refocillationis, quae debilibus tantum et infirmis debetur. Et quod hîc ita tangimus, rationem praebet subinde bonis hominibus, cur hanc Obligationem primâ fronte, et antequam rite examinarint, minus probandam esse censeant.

7. Alluditur iterum ad institutam jam saepius comparationem; nempe haec sexta Oligatio coronis est in virtutis domicilio; oportet enim alte ascendisse, et longe in virtute profecisse, qui ad hanc Obligationem pertingit; tantum enim haec occurrit Obligatio, cum caeteras jam absolvimus, et quasi praetervecti sumus. Si ergo in hac sexta Obligatione lapsus sit, periculosus ille sane, nam ex alto lapsus ille est.

8. Objectio est ex eo, quod haec sexta Obligatio tollere videatur discrimen inter bonos et malos, sic scil. ut illos internoscere non possimus.

9. Responsio facilis est ad objectionem illam nimis quam levem et popularem, quae tamen quamplurimis in ore est. Respondetur itaque, bonos differre ab improbis intentione, non vero tantopere actionibus externis, ut inficetus quidem ille versiculus, sed verus:

*Quicquid agunt homines, intentio judicat omnes.*

10. In actionibus attendendum esse ad finem ultimum admonetur; is enim speciem dat actioni seu effectui in genere moris, et recte Aristoteles: *qui furatur ut habeat copiam uxoris alienae, non fur, sed adulter est.* Sic etiam qui animum recreat ut Deo pareat (quomodo autem hoc agendo Deo parere possimus, satis patet ex continuâ harum Obligationum catenâ), non recreationis suae, sed Divinae legis amator dicendus est; uno verbo, non recreare se, sed Deo parere dicendus est, cum proprie loquimur; ut, cum merces projicit in mare mercator, non tam hoc agere, quam se salvare dicendus est.

11. Cum objectio prima in eo potiſſimum verſaretur, quod, poſitâ ſextâ Obligatione, boni et mali inter ſe non differrent (cui objectioni reſponſum eſt, eos formaliter differre, ſeu quoad intentionem, quae eſt velut forma actus moralis, etiamſi materialiter ſaepe non multum differant; materialiter quoad actiones et operationes praeſertim externas, quae ſunt veluti materia ipſius actus moralis), haec vero altera objectio in eo potiſſimum verſatur, ut oſtendatur, ſextâ hac Obligatîone poſitâ, diſcrimen eſſe ſublatum, penes quod nos ipſi inter bonos et malos diſtinguere poſſimus. Et huic ſecundae objectioni reſpondetur tripliciter. Primo, non multum id referre, ſi nos bonos ac malos internoſcere non poſſimus; ſecundo, quod, etiam hac ſextâ Obligatione ſublatâ, aeque difficilis futura nobis ſit inter bonos et malos diſcretio; tertio denique, quod etiam poſitâ hac ſexta Obligatione, aliquatenus tamen adhuc poſſimus inter bonos et malos internoſcere, quia licet idem agant ſaepe, aliter tamen hi quam illi agunt. P. 53.

12. Ecce prima pars reſponſionis hîc incipit; nempe non referre, ſi internoſcere non poſſimus bonos et malos; hoc ſatagendum eſſe, nos ipſi ut boni ſimus. Unde qui tantopere ſolliciti ſunt, bonine ſint an mali, quibuſcum iis agendum eſt, ipſi plerumque non admodum boni ſunt; officium tuum facile exſequi poteris ſine tali notitia.

13. Ecce ſecunda pars reſponſionis; nempe ſublatâ ſextâ Obligatione non minus difficilem fore inter bonos et malos delectum; eo quod auſteritatem et odium recreationis ſoleant quam ſcientiſſime fingere.

14. Ecce tertia pars reſponſionis; nempe internoſcere poſſe nos inter bonos et malos; etiamſi enim idem agant, aliter tamen agunt.

### *Argumentum hujus* §. *9.*

Sextae Obligationis Argumentum eſt in Textu Numerus quintus.

### Ad Tr. I. Cap. 2. S. 2. §. 10.

1. Tum hîc, tum in quinta, praecedenti §., inſinuatur diviſio Obligationum, ut quaedam circa mortem (quales ſunt duae primae Obligationes), quaedam circa vitam (quales ſunt tertia, quarta, quinta, P. 54.

et sexta), quaedam circa nativitatem (qualis est haec septima) versentur; omnis enim Obligatio hominis versatur circa huc venire, hîc esse, hinc abire; breviter, circa *huc*, *hîc*, *hinc*.

2. Ne forte putes embryonem, ut vocant, dum jam formatus est in utero matris, et partes principes, veluti cerebrum et cor, sortitus est (quod fit circiter die quarto decimo a conceptione, seu carnali conjunctione parentum), esse automa [*sic*] quoddam, quod instar bruti, vel plantae, tantum vivat, sine conscientiâ et cognitione moveatur. Ostendunt quamplurima nostra praejudicia, quae ex eo hausimus, quam primum matris utero inclusi fuimus, embryonem et tunc praeditum esse cognitione, esseqne verum hominem, animâ rationali et corpore constantem. Praejudicia nostra, ex utero matris hausta, longum esset hîc recensere; et ad Metaphysicam, vel etiam inspectionem sui, referri potest ista doctrina: itaque haec aliquando dicemus suo loco [1]).

3. Lex quae circa nativitatem versatur, nativitate posterior est; nam quae ante nativitatem fuit (si quae fuit, nam hoc jam in medio relinquendum est), ea non pertinet ad humanam condicionem; atque de iis etiam, quae ante nativitatem seu incorporationem nostram ad nos pertinuerunt, parum, aut potius omnino nihil per Rationem liquet. In quo haec Obligatio distinguitur ab Obligatione versante circa mortem, nam haec omnis Obligatio morte prior est, quandoquidem cum morte exspiret humana nostra condicio.

4. Haec lex, seu septima Obligatio, clare fundatur in fundamento Ethices: *ubi nihil vales, nihil velis;* cum ergo circa nativitatem, seu conjunctionem nostram cum corpore, nihil omnino possimus, ut ex Inspectione nostrum patebat num. 22., stultum et ineptum est, aliquid aliud circa illam velle vel optare, quam factum sit.

P. 55. 5. Objectio contra hanc Obligationem; nempe videmur merito conqueri de nativitate nostra, seu adventu in hunc mundum, cum inde factum sit, ut infinitis calamitatibus obnoxii simus.

6. Calamitates illae vel sunt corporis vel animi; corporis calamitates in eo versantur, quod corpus nostrum tam facile laedi possit.

---

1) Jam diximus illa in nostris de Peripateticorum Metaphysica sub initium, uti etiam in notis ad Principia Nobiliss. Cartesii.

Mundus enim hic non eſt aliud quam corpus in motu, ut in Phyſica demonſtravimus; corpus autem noſtrum pars quaedam hujus mundi eſt, et a motu iſto nunquam non concutitur; ex concuſſione illâ laeſiones; ex laeſionibus dolor, et ſaepe inſtrumenti alicujus, oculi puta, auris, etc. defectus; item ex colliſione illâ corporum facile fit, ut pabulum aut ſpiraculum deſit foco cordis, quo defectu poſito, neceſſum eſt focum illum exſtingui; exſtincto foco illo, ſolvimur a corpore, ſeu morimur (vide Phyſicam noſtram de Microcoſmo part. ult.). Mors vero cum imminet, atque id ſentimus, tum vero ineffabiles paene nos premunt anguſtiae, ut moribundi omnes (id eſt, morbo laborantes) ſciunt.

7. Sequuntur jam calamitates animi, quae duûm generum ſunt; conſiſtunt enim in inſcitia intellectus, et malitiâ voluntatis. Inſcitia intellectus inde provenit, quod non incipiamus philoſophari a cognitione noſtrum; inde enim omnis veri cognitio tanquam a capite ducenda erat. Malitia autem voluntatis, quae menti etiam nonnihil ſanae obedire renuit, habet cauſam nonnihil obſcuriorem; ſed maxime videtur ex eo provenire, quod ſenſibus noſtris ita diſtrahamur in varia; hinc enim fit ut dictamen mentis quaſi obliteretur et inducatur, animuſque non ſatis ad illud attendat. Sed de his clarius aliquid, ubi de Paſſionibus dicemus. Vide de his Annotata ad Carteſium, praeſertim ad part. 1. §. 71.

8. Nihil vulgo uſitatius, quam Deum propter ſua commoda precari; hoc vero quid eſt aliud, quam velle ut Deus ſerviat? Sane rogandus eſt Deus, quod Tract. 4. ubi de Pietate agetur videbimus, ut facultates nobis ſuppetant, quibus veſci aut vivere poſſimus; ſed non ibi ſiſtendum eſt; non ut veſcamur et vivamus, proprie rogandus eſt, ſed ut veſcendo et vivendo faciamus quod ille juſſit, qui juſſit ut viveremus, ut hîc maneremus, donec nos ſolveret. Atque ita nunquam licet Deum rogare, niſi ut Obligationibus noſtris, quas ille nobis impoſuit, ſatiſfaciamus. Haec clarius Tract. 2.

9. Nempe conſcientiâ conſtat mihi, animum meum non ſtare propoſito ſuo, quo tam ſaepe proponit Deo ſervire, et Obligationibus ſuis ſatiſfacere. Omnia enim quae conſcientiâ nota ſunt, aeque nota ſunt, nam omnia illa in ſummo gradu nota ſunt, id eſt notiſſima. Ordo quidem aliquis eſt in iis quae conſcientiâ manifeſta ſunt; ſed P. 56.

nulla claritas major in uno eorum quam in alio. Vide Metaphyficam noftram prima parte.

10. Dictum eft de calamitatibus noftris; jam inquiritur in caufas earum. Proponuntur autem tres: quarum prima Platonis, fecunda Chriftianorum, et tertia Anonymi alicujus, quae adfcribatur licet ipfi auctori hujus libelli. Proponuntur autem dubitanter hae caufae, eo quod ad Ethicam non pertineat caufas iftas inquirere, cujus officium eft, ubi nihil valet, nihil velle, et quod evitare non poteft, aequi bonique confulere.

11. Ecce caufa quam adfert Plato: alibi peccavimus, inquit, hîc poenas luimus, et maxime eam, quod nefciamus peccatum quod luimus.

12. Ecce Chriftianorum fententia, de qua quidem nihil ambigimus an vera fit, fed tamen hîc in Ethica dubitanter proponenda eft, cum nullâ ratione naturali efficaciter probetur.

13. Haec praerogativa fententiae Chriftianorum; nempe experientia Chriftianis fuffragatur, experimur enim vitia parentum in filios etiam derivari; ut, fi pater temulentus fit, filium ei nafci, qui fimiliter ebrietati addictus fit:

*Si damnofa fenem juvat alea, ludit et heres*
*Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo:*
*Sic natura jubet.*

Nihil fimile Platoni favet, qui quemque pro fe peccaffe dicit, antequam in corporum ergaftula, poenas daturi, conjiceremur.

14. Ecce tertium refponfum, caufam quidem non adferens, quam quaeftio expofcit, fed quaeftionem ipfam evertens. Quaefitum enim fuerat: Unde calamitates illae? Refpondeo, non effe calamitates, adeoque evertitur et deletur quaeftio. Ratio hujus refponfionis eft, quod calamitas non fit aliud quam quod contra animi fententiam accidit; jam vero fi quis fe ipfum deferuerit (ut Humilitas jubet), nihil in his omnibus, quae fupra commemorata funt, inveniet, quod contra animi fui fententiam accidere videbitur. Cum dico *contra fententiam*, non nego quin fieri poffit contra fenfus et paffiones; ne vero cogites effe calamitatem, quod contra fenfus et paffiones fit; certum eft, nihil calamitatis loco a nobis haberi, nifi quod contra animi fententiam effe coeperit; unde et laffitudine et doloribus qui-

bufdam corporis faepe delectamur potius quam offendimur, quamdiu contra animi fententiam non funt, utut contra fenfus et paffiones.

15. Non ita mirum videtur, fi caeteras calamitates expungamus, dicamufque eas in bonum feu humilem virum non cadere. Sed vero hîc, quantum apparet, magna difficultas eft, fi nec malitiam quidem voluntatis, quam inter calamitates recenfuimus, ad miferiam aliquam ejus pertinere dicamus. Re tamen bene examinatâ non videtur ea pravitas calamitati vertenda viro bono: nunquam enim illam malam animi fui propenfionem approbat; femper illam reprobat, et fi quando ex illâ in peccatum prolapfus fit, retractat ftatim, et a fe repellit, quantum poteft, animi poenitentiâ et feriâ deteftatione. Sicuti ergo cum baculum fractum videmus, qui partim fub aqua conditur, partim exftat in aëre, is error quidem pueris imputatur, qui illi errori mente fuâ acquiefcunt, non vero viris, qui illum Ratione retractant; fic etiam animi pravitas acquiefcenti approbantique, non vero retractanti ejurantique imputanda eft.

16. Sequitur vera refponfio ad quaeftionem primo propofitam, quae conftanter et affirmanter ponitur, cum tres priores refponfiones tantum dubitanter ponerentur. Interim haec refponfio etiam quaeftinem ipfam expungit, ficut tertia praecedentium; fed tertia evertebat quaeftionem, oftendendo falfum effe, quod fupponere videbatur quaeftio (quaeftio enim fupponebat effe calamitates aliquas viri boni, petebat enim, undenam effent calamitates? refponfio autem tertia negabat effe calamitates ullas in viro bono); haec vero refponfio evertit quaeftionem, tanquam in Ethica peccantem. Nihil enim nobis quaerendum eft, nifi quod ex principiis humilitatis, praefertim ex fui defpectione, deducitur; atqui ex defpectione illa non fequitur, inquirendum effe, unde fint calamitates quaedam in nobis? Qui enim hoc quaerit, videtur eas velle amoliri; hoc vero eft fe ipfum quaerere, quem defpectio amiferat et perdiderat.

17. Scil. tres priores refponfiones dubitanter propofitae.

18. Uber Humilitatis potiffimum eft fui defpectus, fui neglectus et derelictio, qua nos totos Deo relinquimus, nullam noftrum agentes curam. Ex hoc ubere hactenus non fequitur, inquirendum effe in caufam calamitatum noftrarum; fint igitur calamitates (ut vulgo videntur) aut non fint (ut fapientioribus, et Philofophis quibufdam

visum est), et si sint calamitates, ab hac causa vel ab illa sint, parum refert; nihil sua interesse putat vir humilis. Quoniam novit eas pertinere ad condicionem suam, perfert et concoquit quicquid populo duriusculum videtur, aequi bonique consulit quicquid inciderit.

P. 57. 19. Id est, an non est inquirendum aliquando, undenam illae calamitates in nos decumbant?

20. Nempe in Ethica, ubi tantum illa deducimus, quae lumen Rationis naturalis suppeditat.

21. Id est, nonne inquirendum alibi (puta in Theologiâ et religione Christianâ), undenam illae calamitates?

22. Recapitulatio brevis omnium Obligationum et propositorum, quae inter Obligationes illas recognoscenda fecimus.

23. Digitus intenditur ad septimam Obligationem. Do itaque me nascentem Deo, hoc ipso quo probo et acquiesco nativitate meâ, neque aliquid aliud circa illam volo.

24. Digitus intenditur ad primam Obligationem; nempe do me morientem Deo, hoc ipso quo acquiesco, non recuso muri.

25. Secunda Obligatio tangitur; nempe do me viventem Deo, quia acquiesco, et manere non recuso donec me solvat.

26. Tanguntur tertia, quarta, quinta, et sexta Obligatio. Illae enim omnes pertinent ad laborem, qui ad victum acquirendum et hic manendum necessarius est.

27. Adfertur hîc ratio secundae Appendicis. Nempe si Obligationem aliquam mihi assumpsero, quam Ratio evidentem non facit, ergo non Obligationi alicui parebo, sed credulitati ac levitati meae; quod enim Ratione non tenemur, absolute non tenemur. Vide Saturnalia nostra [vol. I. p. 48.] et alibi. Si ergo Obligatio quidem vera sit, quam mihi assumo, sed ego hanc per Rationem non videam, eam esse veram Obligationem, eamque mihi incumbere, — hoc ipso non erit illa mea Obligatio. Proinde illi obediens non obedio proprie, sed levitati meae et opinioni, qua assumpsi illam. Sicut somnians, qui forte captat malum aureum sibi somno oblatum, non vere ipsum illud captat, sed inanem suam speciem et somnium; sic quamdiu Obligationem aliquam arripimus non Ratione ducti, sed opinione nostrâ, credulitate, et fide quam aliis hominibus adhibemus, non ipsi Obligationi vacamus, sed opinionibus et credulitati nostrae.

28. Ecce alteram rationem ſecundae Appendicis. Nam prima ratio erat: ſi Obligatiomem aliquam aſſumam, quam Ratio non imponit, non Rationi, non Deo, non Obligationi vaco, ſed meae ſtultitiae et opinioni. Secunda ratio erat (quod hîc perhibetur), non eſſe opus per opiniones, ſuſpiciones, credulitatem, et fidem quam aliis hominibus adhibemus, venari et expiſcari Obligationes noſtras, quandoquidem omnes eae Obligationes ſatis clare et manifeſte nobis a Deo per Rationem naturalem exhibeantur.

29. Ne quis hinc et ex praedictis ſequi exiſtimet, Deum nos per alios homines officii noſtri non admonere, merito ſubjungitur hîc, eum ſane per alios nos admonere quam ſaepiſſime; id tamen quotieſcunque facit, monitoribus illis atque doctoribus rationem in ora dat, qua intelligamus, legem, ad quam illi nos exſequendam adhortantur, a ſe profectam eſſe.

### Ad Tr. I. P. 2. S. 2. §. 11.

1. In omni hominum ſermone, ſententiis, proverbiis, circumferunt P. 58.
ubique cupiditatem illam Beatitudinis et felicitatis ſuae propriae; ſemper in auſpiciis rerum magni momenti haec audias: *Quod felix fauſtumque ſit*, item *Quod bene vertat.* Iſtuc etiam faciunt ſalutationes quibus invicem ſalvere jubent, ut hodie *Bona dies*, *Fauſta nox*, etc., quibus optant iis quos amant, quod noverunt ſe ipſos maxime appetere, nempe felicitatem. Potius autem dicendum erat: *Noſce te ipſum, et conſequenter relinque te ipſum, et quae inde ſequuntur, Obligationes amplectere.* Quam ſalutationem quaſi per nebulam olim agnovit Plato ſolam eſſe bonam et rectam. Vide hoc §. de Inſpectione ſui.

2. Nimirum ſolida voluptas ſeu Beatitudo haberi non poteſt, niſi Obligationibus noſtris ſatis faciamus, id eſt, cum nihil valemus, nihil velimus; nam ſtultitia, et per conſequens ſumma miſeria eſt contra haec incurrere (ut per ſe notum eſt). Si ergo aliquis ſe ipſum curet, id eſt, ad ſuam felicitatem aliquid referat, neceſſum eſt ut ab Obligationibus ſuis excidat, utpote quae omnes derivantur ex derelictione et incuria ſui. Quod fundamentum plane evertit, qui felicitatem ſuam curat, nam is maxime ſe curat.

3. Mirum eſt, quam multi hîc erraverint nimio quodam zelo ab- P. 59.
repti. Cum enim perſpicerent (quod Ratio facile demonſtrat nonnihil

attento), propter commoda et voluptates noſtras nihil agendum nobis eſſe, hoc in eum ſenſum accepere, quaſi voluptates et commoda noſtra fugere ac poſitive abarcere deberemus. Itaque ſine cauſâ et jejunia ſibi indixere, et flagra, et quae ſimilia praepoſtera pietas et ſuperſtitio excogitavit. Sed hoc minime recta et ſana Ratio ſuadet, quae contemptu negativo noſtro contenta eſt; confer quae diximus Sect. 2. §. 1., 2., 3. de Humilitate. Itaque, quod poſtea concludetur, non eſt accerſenda felicitas, ſed nec arcenda; negative nos hîc habere debemus, et tantum vacare Obligationibus noſtris; commoda, voluptates, ſolatia noſtra in medio relinquere; cum adſint, Deo gratias agere (ut Tract. ſecundo videbimus); cum abſint, non requirere.

4. Taxantur iterum callidi illi voluptatum venatores, de quibus de Inſp. ſui §. 2. n. 12., qui ideo fugiunt voluptatem, ut tanto majorem conſequantur voluptatem. Dilata enim voluptas, et ex improviſo occupans, major eſſe ſolet; imo qui hic palato admodum valent, nullam probant, niſi ſtudio vel arte parata ſit, voluptatem;

—— *Nocet empta dolore voluptas.*

P. 60. 5. Ex quo patet, quam impoſſibile ſit ſuppoſitum, quo ſupponitur mandaſſe Deum, ut propter aeternam Beatitudinem operemur, utpote quod evertat ſe ipſum. Nam ſi Deus hoc impoſſibile mandaſſet, non mandaſſet; hoc ipſo enim actio a nobis inſtituta ex mandato Dei ad Beatitudinem conſequendam, non eſſet proprie ad beatitudinem conſequendam, ſed ad Dei mandatum exſequendum; finis enim ultimus dat ſpeciem moralem actioni, non autem intermedius; unde praedicta actio non eſt felicitatis ſtudioſa, ſed legis Divinae. Accedit, renunciare nos poſſe juri in favorem noſtrum introducto (quod et leges omnes ſupponunt, et ipſâ Ratione cuique homini manifeſtiſſimum eſt); ſi ergo lex de felicitate noſtra nobis lata eſſet, renunciando illi legi non peccaremus; portentum autem legis eſt, quod ſine peccato violatur, non lex.

6. Demonſtratur ex eſſentia Dei, non licere nobis ob felicitatem noſtram aliquid agere; nam felicitatem ſuam ſpectare et intendere ei tantum licet, qui naturâ Summus eſt; ille enim non habet quo ulterius tendat, ſed neceſſario in ſe ipſum recumbit, et ad ſe refert omnia; caeteri vero, qui, ſicut ipſe eſſentialiter ſummus, ita ipſi minores ſunt eſſentialiter et ſubditi, habent quo ulterius extra ſe tendant,

nempe ad fupremum illum, ad quem obedientiae paffibus contenditur. Certum enim eft, eum qui fervus eft, quatenus fervus eft, non poffe fibi vacare; nobis igitur, qui effentialiter Dei fervi fumus, femper incumbit officium ferviendi; fervire autem penitus excludit omnem refpectum et contemplationem commodorum ejus qui fervit, inducitque refpectum et contemplationem folius ejus cui fervitur. Quae enim eft ifta fervitus, fua curare, fuum negotium agere, fibi bene confulere? Vide quae ad marginem hîc notata funt in verfione Belgica, ubi indicavi, tres modos effe quibus demonftremus, non licere nobis de felicitate noftra confulere: primo ex definitione virtutis, fecundo ex definitione et effentia noftrum, tertio ex definitione et effentia Dei.

7. Nimirum felicitas non eft Finis Operantis apud virum bonum, P. 61. fed Finis Operis, quod facit ex naturâ fuâ et tendit ad maximam ejus felicitatem; ipfe tamen non ideo facit, ut felix fit, fed ut Deo (cujus effentialis fervus eft) ferviat. Magnopere autem eos fines inter fe diftingui, patebit Tract. 3. Praeclarum eft illud Senecae libro de Vita Beata cap. 7.: *Sicut in arvo, quod fegeti profciffum eft, aliqui flores internafcuntur, non tamen huic herbulae, quamvis delectet oculos, tantum operis infumptum eft; aliud fuit ferenti propofitum, hoc fupervénit; fic voluptas non eft merces, nec caufa virtutis, fed acceffio; nec quia delectat, placet, fed quia placet, delectat.*

8. Meretur confiderationem haec quaeftio. Cum enim evidentiffimum fit, facillimeque ab omnibus nonnihil attendentibus intelligatur, non licere nobis de felicitate noftrâ laborare, unde ergo fit, ut omnes paffim de felicitate fuâ laborent, neque id obfcure ferant aut diffimulent, fed et fateantur fe ita agere, et aliis ita femper agendum effe praefcribant? Refponfio ad propofitam quaeftionem haec eft, quod homines putent, occultâ et fubdolâ perfuafione adducti, genus humanum effe Deum fuum; quod etfi verbis diferte negent, intus tamen et in mente penitus fic affecti funt, nihil aliud ut fibi perfuadere videantur.

9. Ratio eft, quia genus humanum fummum eft fenfui, homines autem dediti funt fenfibus fuis, et alia praetereunt; tum pofitâ illâ perfuafione, quod genus humanum fit fummum (id eft, Deus), facile perfuadent fibi, fe fummos effe poffe; facile enim fieri poffe putant,

ut reliquos homines ſuperent, praeſertim imperio et poteſtate. Poſitâ jam hac ſecundâ perſuaſione, qua perſuaſum habent ſe ſummos eſſe poſſe, facile hic error conſequitur, ut putent, ſibi de felicitate ſua primum et ante omnia deſpiciendum eſſe: nam hoc revera Summi eſt, et illius ſolius, de felicitate ſua deſpicere, cum reliquis de Obligationibus ſollicitos eſſe incumbat.

10. Poculum amatorium ſunt rectae illae et abſtruſae perſuaſiones, quibus et genus ſuum homo ſummum eſſe putat, et ſe in illo genere principatum tenere poſſe; ex quo poculo amatorio ſic hauſto, multae deinceps naſcuntur intemperiae, quae in textu ſequuntur.

P. 62. 11. Cum inſpectione noſtrum diſcimus, quae noſtra ſunt, quae Dei; atque inter caetera nos motum membrorum noſtrorum non facere, oculum de ſe ad videndum nihil conferre, mundum ſe ſpectandum nobis exhibere non poſſe, omnia haec fieri ineffabili vi alterius alicujus; cum, inquam, haec et ſimilia inſpiciendo nos ipſos clariſſime videmus, populus inſaniam vocat, putatque hoc negotium inſpiciendi ſe non ad ſapientiam, ſed ad furorem et manifeſtam inſaniam collineare.

12. In atra bile inſaniam repoſuerunt olim et hodie fere medici omnes. Hinc atra bilis ſaepe pro inſania ſumitur.

13. Sane ſic eſt; et qui ſaepius ſeipſum inſpicere conſuevit, juxta formulam in hoc libello praeſcriptam, exſatiari non poteſt, quin repetat, iterum iterumque ſe inſpiciat ſummo cum gaudio, proveniente ex fructu certiſſimo ſapientiae et roboris animi, quod fructum continuo ampliorem ampl ioremque percipere ſe animadvertat.

14. Philaretus hîc conſideratur tanquam ſocius et diſcipulus auctoris, qui per libellum hunc, tanquam per exteram aliquam regionem, peregrinatur; in qua regione dioeceſis una aliqua ſit praecipua, quae continetur §. de ſeipſo inſpiciendo. Suadet autem auctor Philareto, ut agrum illum, quem jam ſemel peragravit, denuo repetat, id eſt, ſaepe et ſaepius ſe ipſum inſpiciat.

15. Declinavit enim nonnihil a propoſito ſuo auctor, et quaedam huc congeſſit, quae ad inſpectionem ſui pertinebant; ideoque fingit congeriem illam eſſe collem aliquem, in quem aſcendens agrum illum, id eſt, inſpectionem ſui ipſius, quaſi de longo videat.

16. Hic iterum ad propoſitum venitur. Propoſitum enim erat Ad-

miniculum aliquod humilitatis ſuppeditare, id autem erat, *non agendum eſſe aliquid ob felicitatem;* cui cautio bene adhibita fuerat, ne quid etiam ad declinandam felicitatem noſtram ageremus. Haec duo puncta breviter in initio num. 4. repetuntur, dein ad alia pergitur.

17. Unicam ob rem Deus eſt rogandus, nempe ut Obligationibus noſtris ſatiſfaciamus; duas ob res gratiae ſunt agendae, nempe quia et Obligationibus ex parte ſatiſfecerimus, et quia felicitatem aliquam nobis impertiat. Propter hanc ultimam cauſam non licet Deum rogare, ſed tantum cum impertiit, gratias agere. Quae omnia patebunt Tract. proxime ſequenti, ubi de Pietate in Deum agetur. Inſinuatur itaque hic Obligatio aliqua (nempe gratias agendi Deo), cujus ante adhuc nulla mentio incidit, tumque ratio iſtius Obligationis patebit, cum de Pietate dicemus.

18. Definitio quaedam Felicitatis hîc recte ſubjicitur. Cum enim enim multa ante dicta ſint de felicitate, operae pretium eſt ſcire, in quo illa fundamentaliter conſiſtat. Conſiſtit autem illa in caſtis deliciis, provenientibus ex conſcientiâ, qua conſcii nobis ſumus Obligationibus noſtris ſatiſfeciſſe nos, et praeſertim nos deſeruiſſe nos, nos Deo totos nos tranſſcripſiſſe. Aliae deliciae, veluti venereae, quaeque ex cibo potioneque capiuntur, ſemper in ſe habent aliquid triſte, imo plus hujus habent quam dulcedinis, relinquuntque poſt ſe intolerabilem poenitentiam, ſimilem malae ſcabiei, quam ſi ſcabas, delectationis aliquid atque pruritionis, ſed certe longe plus miſeriae ac doloris habes. Quis autem velit ſibi malam ſcabiem, quia ſcalpendi ſit aliqua voluptas? Et recte ille: *Ego tanti poenitere non emo.*

19. Innuitur diverſitas inter haec vera gaudia, quae ſolent eſſe cum altiſſimo ſilentio, et inter falſa, ſeu gaudia carnalia, quae debacchantur, vociferantur, graſſantur, plena ſunt turbis et tumultu.

20. Opportuna cautio; cum enim delicias illas ſic extollimus, videndum eſt etiam atque etiam, ne ad illas obtinendas incîpiamus actiones noſtras dirigere. Quod quibuſdam incautis offendiculum fuit non leve, qui perpenſâ magnitudine praemiorum quae virtutem manent, magis his adhaerent quam virtuti ipſi et Legi Divinae; unde factum, ut ſimul praemiis illis exciderint.

21. Nempe finis ultimus dat ſpeciem moralem actioni; qui igitur Divinae Legi ſervit ut ſibi bene ſit, is non Divinae Legis, ſed ſui

ſtudioſus eſt; ſicut qui furatur ut habeat copiam uxoris alienae, non fur ſed adulter eſt, ut ante ex Ariſtotele citatum eſt.

P. 63. 22. Dicuntur haec in perſona fere omnium hominum; virtutem enim ſectantur omnes fere propter voluptatem et commoda, id Epicurus olim bene notat; ſed quia promiſcue ſic agunt homines ideo ſic agendum eſſe cum dicit, vehementer errat.

23. Dilemma: Vel feci propter legem Dei, vel propter mea gaudia; ſi propter legem Dei, nulla querela, ſi non habeo gaudia quae habere nunquam volui; ſi propter ipſa gaudia, nulla etiam querela, quia nihil feci quod ad illa gaudia impetranda valeret. Sunt enim propria virtuti iſta gaudia; ego virtutem non exercui, cum propter gaudia illa feci. Eſt igitur haec objurgatio plane efficax, et plena maſculae cujuſdam conſolationis: Quereris te delectatione ſpirituali deſtitutum? nulla cauſa querelae; aut enim bene feciſti ut legem Dei impleres, aut ut tibi delectationem conſequereris; ſi hoc, non es meritus delectationem; ſi illud, cur quereris te non habere id, et carere eo, quod non quaerebas? Conſolationes multae aliae periculoſae ſaepius ſunt et effeminatae; periculum enim eſt, ne lapſantem jam, et ad ſuas delectationes et facilitatem propenſum (talis enim certe is eſt, qui delectationibus ſpiritualibus deſtitutum ſe queritur), impellamus conſolatione noſtrâ, et ad caſum pertrahamus.

24. Nam virtus eo fine culta non eſt virtus, ſed philautia; non eſt mirum ergo ſi non conferat delectationes illas quae virtuti propriae ſunt.

25. Ratio redditur etiam ex natura voluptatis. Optimum enim ſuccum voluptati abſtulit, qui ad eam conſequendam aliquid fecit; cum optima gratia voluptatis ſit, ſi in ignarum et aliud agentem inciderit. Nil igitur mirum, ſi, qui virtutem ob voluptatem et ſpiritualia gaudia colunt, nunquam illa gaudia tam ſincera et tam ſuccida conſequantur, quam illi qui, poſthabitis illis gaudiis, nullaque ad ea mentis reflectione adhibitâ, faciunt mere quod faciendum eſt, et legi Divinae propter ſe ipſam vacant; his enim velut incautis et alio ſpectantibus ac occupatis injiciuntur voluptates illae ſpirituales, tanto amoeniores, quanto magis improviſae fuerant et minus affectatae. Sunt ergo duae jam rationes, ob quas qui virtutem colunt ob ſuam felicitatem, felicitatem ſuam non conſequantur. Ratio prima deducitur

ex naturâ Virtutis; nam virtus culta ob felicitatem non eſt virtus, ideoque praemiis illis, que virtuti eſſentialia ſunt, non ſtipatur. Altera ratio petitur ex natura Felicitatis; nam optimus ſuccus deeſt felicitati, cui deeſt illud improviſum, illud inaffectatum, adeoque non eſt vera felicitas.

26. De his venatoribus voluptatum, qui eas fugiendo aſtutiſſime venantur, diximus adhuc hoc §. num 2. Quo autem aſtutius aliquid proſequimur, tanto et apud nos triſtius atque acerbius, et apud alios magis ridicule fruſtramur. Qui igitur rectâ proſequuntur felicitatem ſuam, fruſtrantur illâ quidem; ſed qui per ambages illam proſequuntur, eâdem ſunt in navi, et fruſtrantur ſuâ felicitate, ſed inſuper ex fruſtratione iſta et in acerbitatem apud ſe majorem, et in riſum apud alios incurrent.

## Ad Tr. I. Cap. 2. S. 2. §. 12.

1. Fructus humilitatis eſt ſublimitas; amictus contemptus ſui eſt P. 64. maximus honos, dignitas, et exiſtimatio; fructus incuriae felicitatis ſuae eſt maxima cura maximumque ſtudium ipſius Dei erga felicitatem iſtam, ſeu ut felicitatem iſtam largiatur.

2. Alluſio eſt ad pyxidem Pandorae, nam Pandorae hic humilitas aſſimulatur.

3. Nempe dum curioſi nimis praemia virtutis, et praeſertim Humilitatis ſcrutantur, incidunt in deſideria et affectiones iſtorum praemiorum, incipiuntque virtutem jam non propter eam ipſam ſectari, ſed propter ſe; hoc vero eſt a tota virtute excidere, et ad pernicioſiſſimam philautiam deficere, uno verbo, in ipſum peccatum incurrere, adeoque in calamitates omnes et miſerias, quas peccatum ſecum neceſſario trahit, irruere.

4. Reſpondetur hic ad quaeſtionem praecedentem; nempe fructum Humilitatis eſſe praeſentiſſimum venenum hominibus, quando illum intuendo eo adducuntur, ut illum cupiant affectare, et virtutem colere ut illum adipiſcantur.

5. Fructus humilitatis per ſe non eſt venenum, ſed per accidens tantum; nam ſecundum ſe ille fructus eſt una et tota noſtra felicitas, ſed per accidens ille fructus in venenum nobis vertitur, dum illum

affectamus et nobis concupiscimus, ut saepissime jam ante in hoc libello demonstratum est.

6. Diximus quis sit fructus Humilitatis; hic paucis versiculis admodum energice et admodum efficaciter demonstratur, hunc vere esse fructum humilitatis.

7. Qui enim se deseruit, et a se non habetur, amplius haberi jam a nullo potest, nisi a Deo. Non est enim quo abeat, qui a se abiit, nisi ad Rationem seu legem Dei; quamdiu enim ad illam nondum pervenit, adhuc in se ipso haeret, adhuc sua curat, adhuc de se laborat. Qui enim non facit quia jubet Ratio, non est aliud cur ille faciat, quam quia lubet ei; inter haec duo enim nullum est medium, et quotiescunque aliquid ex proposito facimus (quod solum ad mores pertinet), vel quia jubet Ratio, vel quia lubet nobis, id facimus. Saepe quidem et jubet Ratio, et lubet nobis; sed non *quid fiat*, ast *cur facias*, ad virtutem vel vitium pertinet. Si ergo, cum et lubet tibi et jubet Ratio, facias quidem, sed non mere ideo quia jubet Ratio, peccas hoc ipso; imo si lubet obedire Rationi, ideoque obedias quia hoc lubet, rursum peccas, et actio tua non virtutis sed libidinis actio est. Minimum ergo quod abitur a se, est ad Deum ire, et in Deo esse; necessum ergo est ut humilis qui est, id est, qui seipsum deseruit, seu a seipso abiit, jam nunc ad Deum iverit, adeoque cum altissimo ipse pariter quasi altissimus sit.

8. Non est enim nisi abjectissimi turpissimique hominis, non redamare illum a quo videat se serio amari; quae proinde nota non est inurenda Divinitati, ut quae rerum omnium longe generosissima sit. Ex quo necessarium deducitur argumentum, si Deum ames, te etiam ab illo redamari.

9. Nempe alii amores in Deo et lege ejus locum non habent, ut vides §. 1. hujus libelli, num. 6. et 7.; et adhuc aliqua dicentur in posterum, ubi de Fine et mediis dicemus.

10. Nempe Amor Passio in ipsum non cadit, sicut nec sensus, cum sit incorporeus; Amor vero Obedientiae in illo erga me multo minus esse potest, cum ille mihi obedire nunquam possit, ut qui essentialiter Dominus meus est.

11. Demonstratum ergo est virum bonum, id est, humilem, amari a Deo Amore Benevolentiae tanto, ut majorem erga eum ne Deus

quidem ipſe concipere poſſit. Ex quo evidentiſſime ſequitur, nihil eo viro ſecundum Deum beatius cogitari poſſe.

12. Laus humilitatis poëtice ſeu fabuloſe propoſita; cujus quidem fabulae mythologiam et explicationem facillimum eſt intelligere ei, qui tractatulum hunc aliquando pervolvit.

13. Cum enim humilitas (id eſt, incuria ſui ipſius) acceſſerit ad diligentiam, id eſt, ad auſcultationem Rationis, ſtatim obmuteſcit quodammodo diligentia, et tota eſt in auſcultando. Qui enim ſe non curat, hic nullam rebus legem dicit, ſed illam modo legem audit auſcultatque, quam Deus rebus inſcripſit. In hoc enim occulta quaedam et abſtruſa nequitia eſt, quod homines ita proni ſint ad dicendum quid de rebus, quod a rebus ipſis non accepere; in eo enim Dei thronum quodammodo affectant, et quod Deo proprium eſt, ſibi uſurpare tectâ quadam, et quam ipſi non ſatis intelligunt, nequitiâ conantur. Dei enim ſolius eſt dicere rebus leges, quas ipſe a rebus non accipit; noſtrum non eſt leges dicere rebus, ſed leges tantum eis inſcriptas legere. V. g. corpus, ſeu id quod extenſum eſt, diviſibile etiam ſit, ſeu penetrationem aut replicationem non admittat, multaſque ſimiles leges, quas Phyſici et Metaphyſici demonſtrant, ſequatur neceſſe eſt; has ei leges Dei dixit, quas quodammodo digito ſuo inſcripſit ei; proinde noſtrum eſt, eas quidem exquirere, legere, auſcultare. Sed aliquam corpori legem dicere (v. g. ut finem habeat, et extenſio ejus alicubi terminetur), quam in eo ſcriptam non invenimus, quam corpus ipſum nobis non innuit, hoc noſtrum non eſt, et quotieſcunque ſimile quid affectamus, Divinitatem quaſi aliquam affectamus. Idem habet locum in Ethicis; cum nempe Obligationem aliquam nobis conſciſcimus, quam Ratio non tulit. Vide pag. 57. Hoc ergo praeſtat Humilitas, ut Diligentia nunquam loquatur, obmuteſcat tota, et velut elinguis fiat, nec unquam dicat quae ſua ſunt, auſcultet vero, et attendat acerrime ad ea quae Deus dixit, legeſque illas annotet quam ſtudioſiſſime, quas rebus a Deo inſculptas videt, ſua vero nunquam interponat.

14. Cum enim Humilitas, ſeu incuria ſui, acceſſerit ad Obedientiam, ſeu exſecutionem Rationis, nihil jam amplius videt Obedientia, ſed ſinit mere duci ſe tanquam coecam a Ratîone; nullâ ſui contemplatione ducitur, nec commoda reſpicit, ſed mere exſequitur quod

Ratio praeceperat, omni alia confideratione valere juffâ. Maxime autem apparet coecitas Obedientiae circa Praemia Virtutis, quae ipfa non fequitur, non fpectat, et circa Poenas peccati, quas ipfa non fugit, non refpicit, fed mere virtutem ipfam, legem Dei feu Rationem fequitur. Merito igitur coeca dicitur, quae ibi nihil videt, ubi homines omnes putant fe effe debere tam oculatos. Vir bonus feu obediens novit quidem praemia, quae fe manent agentem bene, et poenas quae manerent fi ageret fecus; fed hic profpectus obedientiam ejus non ingreditur; quoad haec, habet fe mere fpeculative et non practice; non ducit haec in intentionem fuam, fed foris confiftere jubet in contemplatione fuâ. Vide §. 12. n. 2. coecam obedientiam quam plurimi homines veluti inftinctu naturali agnoverunt, fed eorum quidam valde perverfe applicaverunt, dum eam hominibus quibufdam fervire voluerunt, et eorum ductui coeco modo obfequi; in quos veriffimum eft hoc: *coecus dum coecum duxerit, uterque in foveam cadet.* Vera autem obedientia, licet ipfa quidem in fe coeca fit, oculatiffimam tamen fequitur (imo non oculatam tantum, fed ipfum oculum) Sapientiam atque Prudentiam, quae ex Diligentia nafcuntur; unde nullum ei periculum lapfionis.

15. Cum Humilitas, feu incuria fui, accedit ad Juftitiam, hoc efficit, ut tota haec rigefcat, et nec in plus, nec in minus declinet unquam. Qui enim nullâ fui curâ ducitur, non plus, non minus faciet, quam Ratio dicit: *plus* enim illud atque *minus* femper eft a Philautiâ; cum enim Ratio hoc jubeat, *non plus*, *non minus*, fi tu plus minufve feceris, neceffe eft ut id pro libidine tuâ feceris. Ecce manifeftam philautiam, curam fui, inimicam Humilitatis.

P. 65. 16. Id eft, etiamnum in infpectione fui verfetur, et occupatus fit. Haec enim infpectio per Agrum illum intelligitur, et ad agrum illum Philaretus jam abierat §. 12. num. 3., fingiturque nondum inde rediiffe.

17. Philaretus enim nofter zelofus eft virtutis amator, fed zelo faepe non fatis prudenti (quod in zelofis illis faepe admodum obtinet); patet hoc ex iis quae objicit contra Obligationem fextam, num. 3. et 4. §. 9., ubi nimis acriter et parum prudenter Virtutis negotium agit.

18. Nempe Diligentia, Obedientia, et Juftitia (quae hîc Divarum

nomine veniunt) non habent completam ſuam eſſentiam, nec hoc ſunt quod eſſe dicuntur, niſi Humilitas acceſſerit. Diligentia enim ſine Humilitate ſua dicet; hoc vero non eſt diligentiae, ſed vanitatis. Obedientia ſine Humilitate ſe ſuaque reſpiciet; hoc vero non eſt obedientiae, ſed ſervitutis ſui. Juſtitia ſine Humilitate modo in *plus*, modo in *minus* inclinabit, prout libido vel propriorum commodorum ratio poſtulabit; hoc vero non eſt Juſtitiae, ſed mutationis et incertiſſimae vacillationis.

19. Nempe Obedientia ducitur a Ratione, ſeu λόγῳ; hic vero pater obedientiae, Virtus ejus mater. Virtus enim eſt amor Rationis; hic amor complectendo Rationem impraegnatur, procreatque virtutes Cardinales. Itaque hîc Ratio habet analogiam Patris comparatione factâ ad virtutes Cardinales.

20. Aberat Philaretus ipſe, ſed inter ſpectatores hic eſt ſimilis aliquis ipſi, qui proinde frater ejus vocatur. Hic ſimilîter zeloſus, ſed parum prudens virtutis amator, exiſtimat eſſe praeter decorem, fabulam, qualis hîc exhibetur, de virtutibus componere.

21. Spectabat enim olim Aediles ludos dare, et ſpectacula populo exhibere.

22. Hîc reſpondet auctor ad objectionem, quam frater Philareti fecerat; nempe, non tam attendendum eſſe ad fabulam quae hîc proponitur, quam quidem ad mythologiam et explicationem iſtius fabulae. Quam tamen mythologiam non ſubdit auctor, utpote quam novit ſatis in promptu eſſe iis, qui in libello hoc vel mediocriter verſati fuerint.

*Argumentum hujus* §. 12.
*una cum compendio totius Libelli* [*i. e. Tract. I*].

Libellus hic conſcriptus eſt de Humilitate, non tamen ita inſcriptus eſt, idque ob rationes bonas. Et eſt neceſſum, ut qui de Virtutibus Cardinalibus dicturus ſit, reipſa de Humilitate praecipue dicat. Probatur autem quatuor modis (nec plures videntur eſſe), nos humiles eſſe debere, ſeu ſine cura et contemplatione noſtrum noſtraeve felicitatis. Primum ex definitione Virtutis duae probationes ſumuntur. Cum enim Virtus ſit Amor Rationis, demonſtratum eſt Amorem non poſſe eſſe in duos, et per conſequens amorem Rationis non admittere amorem noſtrum. Secunda, Rationem, ut quae lex ſit, non poſſe

amari, ſi nos ipſos amemus; lex enim, qua lex, non reſpicit bonum ejus cui lata eſt, ſed Obligationem. Hae ergo ſunt duae probationes. Tertia deſumitur ex definitione et eſſentiâ noſtrum; quae definitio in inſpectione noſtrum continetur, ex qua concluſum eſt, nos nihil valere, ergo et nihil debere velle, hoc eſt, omnem ſui curam abjicere. Quarta probatio eſt ex eſſentiâ Dei; hic enim eſſentialiter Dominus eſt, hic ſolus poteſt de felicitate ſuâ deſpicere; nobis ſerviendum eſt; vide ann. ad §. 12. n. 2.

*Alterum Libelli Compendium.*

Volo facere quod jubet Ratio (probus ſum); ideo auſculto quid dicat Ratio (*diligens* ſum); ideo facio etiam quod dicit Ratio (*obediens* ſum); ideo etiam id unum facio (*juſtus* ſum); ideo denique nullâ mei curâ ducor (*humilis* ſum). Cum auſculto Rationem, averto me a rebus externis, converto me intra me (partes Diligentiae notantur). Cum facio quod dicit Ratio, et ago quod jubet, et omitto quod vetat (partes Obedientiae notantur). Cum id unum ago, non plus, non minus ago (partes Juſtitiae denotantur, quarum altera *puritas*, altera *perfectio* vocatur.). Ut mei incurioſus ſim, me ipſum inſpicio, et quia hoc agens video me nihil poſſe, nihil etiam volo (partes Humilitatis deſignantur, quarum altera *inſpectio ſui*, altera *deſpectio* vocatur). Ut Rationem recte percipiam, familiaritatem cum eâ ineo; vaco ei, ubi facilis eſt, repeto quae bene ſcio (hoc mihi *adminiculum diligentiae* meae eſt). Ut faciam quia jubet Ratio, deſueſco facere quia jubent homines (hoc mihi *adminiculum obedientiae* meae eſt). Ut id unum agam, naturam rerum conſidero, et non eſſe quid, quod eſſe dicitur, cui vel tantillum deſit, aut ſuperet, firmiſſime mihi imprimo (et nactus ſum *adminiculum* aliquod *juſtitiae*). Ut mei incurioſus ſim, conſtituo de praemio virtutis et poenâ peccati non laborare, totam actionem omiſſionemque meam ex lege Dei ſuſpendere (et nactus ſum *adminiculum* aliquod *humilitatis*). Cum auſculto Rationem, tandem etiam percipio, quid dicat, et *ſapio* (hoc *diligentiae* meae *praemium eſt*). Cum id ago quod jubet Ratio, *liberor*, et nemini jam amplius ſervio (hoc *praemium obedientiae* meae eſt). Cum id unum ago quod jubet Ratio, ſatis ago, et *ſatior* (hoc *praemium juſtitiae* meae eſt.). Cum me ipſe incurioſus deſero, *Deus* ipſe *me recipit* (hoc *praemium humilitatis* meae eſt).

## Ad Tractatum II.

P. *76*. Hac Intemperantiâ divites, et qui vulgo felices videntur (id eſt, rebus ſecundis affluunt), plerumque laborant; illâ Intemperantiâ pauperes, et qui cum rebus adverſis conflictantur, plerumque laborant. Unde apparet, etiam inter res adverſas Intemperantiam eſſe poſſe, et quidem maximam tum eſſe ſolere, nempe immenſum deſiderium et cupiditatem rerum ſecundarum; adeoque et Temperantiam quodammodo tunc vigere poſſe. Boni enim inter res adverſas hoc ipſo vel maxime temperantes ſunt, quod res ſecundas non deſiderent (non etiam fugiant; apage perverſiſſimam illam aliquorum Temperantiam), ſed tantum Obligationem ſuam amplectantur, eaque contenti ſint. Sed jam difficultas tibi ſuboritur: quomodo ergo Temperantia definita ſit *virtus inter ſecunda;* cum jam concedamus, Temperantiam etiam inter adverſa eſſe poſſe, itemque quod modo in Prooemio Tract. I. expreſſe dicebamus: *nam inter adverſa nullus eſt locus Temperantiae, inter ſecunda Fortitudini nullus.* Non eſt tam difficilis reſponſio, quam prima fronte alicui videretur; nam Virtus etiam tunc inter ſecunda verſatur, cum mente cogitationeque circa illa forte verſatur (etiamſi forte res ſecundae illam de facto non deliniant, ſeu eas ipſa non poſſideat); tunc vero Virtus induit rationem Temperantiae, nihil rerum ſecundarum, quae forte animo accurrunt, cupiendo. Ad haec magis etiam Intemperantiae nomine venit ea quae inter res ſecundas fruendo verſatur turpitudo, quam quae inter adverſa ſecunda deſiderat et affectat; atque adeo etiam Temperantia magis ſonat Virtutem inter ſecunda verſantem et his minime fruentem, quam Virtutem inter adverſa conſtitutam et ſecundas res contemnentem.

P. 77. Peripatetici igitur manci et defectivi Stoici. Stoici voluptatem et generatim Paſſiones omnes eliminandas eſſe contendebant, ſeu mactandas; Peripp. cum illam tum has circumcidendas et mutilandas eſſe volebant, quod vocabant moderari Paſſiones, id eſt, partem aliquam illis detrahere.

## Ad Tractatum III.

P. *96*. Unde nec ſervi heris ſuis inter homines, nec cives magiſtratibus ſuis ſervire ſolent (quantum ad intentionem, quae hîc utramque paginam facit, attinet); ſed homines tali exteriori ſervitute

contenti esse possunt, utpote qui magis actum quaerunt quam animum, magisque cupiunt quam Obligationem. Sed dum simile quid ad Deum et ejus legem refertur, non nisi ineptissimum hoc esse intelligi potest. Velle itaque Deo parere ut tibi bene sit, non est Deo servire sed tibi. Externa autem ista servitute, qua homines contenti esse poterant, Deus contentus esse non potest, sed requirit, ut verus Dominus, ita etiam veram in nobis servitutem.

P. 98. Hinc veteres bene dixerunt, Deum esse amorem naturae, id est, Deum esse id quod omnes res naturali et fatali necessitate amant (sive interim etiam quaedam res hoc velint, sive nolint). Nam omnis actio talis est naturae, ut de se tendat invicto impetu in ejus satisfactionem.

## Ad Tractatum IV.

P. 107. V. g. cum obscure cognoscant, et quasi per nebulam videant, hominem debere seipsum deserere, hinc connectunt cum hoc obscuro dictamine persuasionem aliquam obscuram, sed insuper perversissimam (nam prius illud dictamen etiamsi obscurum esset, verum tamen erat), qua persuasum habent, debere hominem seipsum excruciare, austere habere; atque hinc error communis in omnibus fere religionibus hominum in seipsos et sua corpora saevientium, quem advertit etiam Charronius in sua *Sapientia.* Lege de Turcis apud sepulcrum Mahumetis, oculos sibi eruentibus quibusdam, aliter et misere se mutilantibus vulnerantibusque; lege infinita apud alios talia, quae a Ratione non dictantur.

P. 109. Nota, Peripateticos in hunc censum non venire; vix enim illi in Ethicis nomen Philosophorum merentur, sed sunt tantum sapientior populus; itaque posuimus illos in quarto et supremo gradu praecedenti §., ubi de vita vulgi agebatur. Hi enim proprie sunt, qui passionem passione temperant et moderantur, adeoque quaedam Virtutis Officia obire videntur; sed Officia informia, utpote quae non ex Rationis instinctu, sed impulsu Passionum atque libidinis obeunt.

P. 111. Et cum probi non attendunt ad dictamen, et ea quae suggerunt Passiones, tandem silent et evanescunt; pari modo ac cum quis aliquem alloquitur, alter tamen non respondet neque respondere vult, etiamsi alter interrogare pergat; tum tandem desinit siletque,

laſſus ſurdo narrare fabulam. Sic ſimiliter Paſſiones, cum a cauſa aliqua, non vero ab animo proborum excitantur, tandem deſinunt defectu alimenti ſi aut cauſa (quod fere ſemper) deficiat, nec a mente, quae non niſi Rationi auſcultat, vel ullum accipiunt pabulum. Deinde mens humana, cum incidit in volubilitatem illam cogitationum, quae ad ſenſus et paſſiones referuntur, et ea ineffabili Dei conſilio data ſit, aequo animo hanc ferre ſuam condicionem debet, et longanimitate quadam uti ac patientia, ſaepiuſque et repetitis vicibus Rationem auſcultare, cum ſtudio et labore, et (ut Sacra loquuntur) *in ſudore vultus ſui*, ut ita multis attentionibus id aſſequatur, cui percipiendo unicâ attentione par eſſe non poteſt. Et meminiſſe debet, attentionem ſuam non re et ſucceſſu metiendam eſſe, ſed animi ſui propoſito et intentione, ut, ſi quid in objecto latet malitiae, quod eam poſt adhibitum diligens examen, et quale humana condicio ac volubilitas cogitationum patitur, latuerit, id ei imputari non poſſe. Vide plura hanc in rem in Annotatis ad Carteſium, §. 73. part. 1.

P. 112. Nempe id cujus ſolus Deus O. M. auctor eſt (nempe ipſarum Paſſionum et ſpecierum noſtrarum, confundunt cum eo (pravis ſc. noſtris inclinationibus, quas paſſionibus et ſpeciebus illis adjungimus), cujus nos turpes et ſceleſti auctores ſumus; atque adeo Deus implicite ſemper auctor peccati agnoſcitur. Cujus nequiſſimae perſuaſionis quamdiu vel minimum ſemen humanis animis inſidet, fieri nequit ut veram unquam Pietatem concipiant; ſed Deum tantum horreant neceſſe eſt et deteſtentur, quem ut auctorem peccati, et vindicem acerbum ejus quod impegerat, tantum conſiderare poſſunt.

# DISPUTATIONES ETHICAE

LUGDUNI BATAVORUM HABITAE

ANNIS 1664 ET 1668.

EX EDITIONE DORDRACENA ANNI 1691.

# DISPUTATIO ETHICA
## DE VIRTUTE ET PRIMIS EJUS PROPRIETATIBUS.

(D. 26. m. Apr. a. 1664.)

Thesis I. Ethica verſatur circa Virtutem. Virtus eſt rectae Rationis Amor unicus. Ubi per *Amorem* non intelligo *Paſſionem* aliquam, ſeu Affectum illum tenerum et blandum, qui delinit animum et demulcet (quem *Amoris* nomine vulgus intelligere ſolet, qui et ſaepe Virtutem comitatur, et ſubinde tamen etiam deſtituit), ſed *firmum propoſitum, efficacem voluntatem.* Adeo ut huc tota recidat Virtutis definitio: *Virtus eſt propoſitum id omne faciendi ac omittendi, quod recta Ratio faciendum ac omittendum eſſe decreverit.*

II. Vulgus, et praeſertim qui inter eos ſcrupuloſi ſunt, quando nomine Amoris certam Paſſionem intelligunt, totam etiam rationem Virtutis iſti Paſſioni aſſignant; putantque ſe ac alios tum demum probos eſſe, cum tenero quodam affectu in Rationem et Deum feruntur; ſed cum his forte blanditiis exui ſe ſubito vident, inquieti ſunt et anguntur, ac ſi hoc ipſo certam et exploratam Virtutis jacturam feciſſent. A quibus anxietatibus non aliter liberari poſſunt, quam ſi humiles eſſe diſcant, et non ſui oblectamenti, aut *conſolationis* (ut loqui ſolent) gratiâ facere quidquam vel omittere conſtituant, ſed ſolum ex contemplatione Rationis, hac ſolâ ſtare et cadere certum habeant. Perverſiſſima vero ſcrupulos illos et anxietates depellendi ratio eſt, eas depellere directe velle.

III. A vulgo diſſentiunt hîc vulgares Philoſophi, qui *Virtutem, bene agendi habilitatem* eſſe volunt, *frequenti bonarum actionum exercitio comparatam.* Sed ſero veniunt; nam ante hanc eorum virtutem, Virtus eſt. Probae enim actiones unde? Non aliunde certe quam a Virtute. Igitur Virtus eſt ante probas actiones. Igitur multo

magis erit ante illam a frequentia bonorum actionum emanantem habilitatem. Adde quod haec bene agendi, per multas actiones bonas acquiſita facilitas potius et magis praemium Virtutis, quam Virtus eſt. Adde quod eſt res mere naturalis, quae ex ſemine ſuo neceſſario pullulans, nullum habet cum rebus moralibus commercium. Unde omnes omnium Chriſti eccleſiarum oratores id ſaepius pro concione inculcant, bona opera non eſſe facienda ex habilitate vel conſuetudine, ſed ex Amore in Deum ſeu caritate. Quibus quomodo conſonet illud vulgus, illi viderint, quos negotium hoc propius tangît.

IV. Poteſt etiam repente bonus eſſe, qui hactenus nequam fuit; ſi nempe mentem averſam a Ratione convertat ad Rationem, et non jam Paſſionibus ſuis indulgere, ſed ſoli Rationi morem gerere, animum ſuum inducat. Cum vero nemo ſit bonus niſi per Virtutem, efficitur etiam hinc, illam bene agendi habilitatem non eſſe Virtutem; utpote quam nemo, quando ea tantum uſu et exercitio paratur, habeat repente.

V. Eſt interim in illo, qui Virtutem ſubito conſecutus eſt, aliquid uſui, conſuetudini, et facilitati ſimile. Cum enim amet (nam Virtus amor quidam eſt, Th. I), eas quae adverſus Rationem inſurgunt difficultates contemnit et vincit. Neglectus autem difficultatum, facilitati ſimilis, et populo videtur is facile ſuperare difficilia, qui difficilia magno animo ſuperat. Sapienti vero etiam hîc, Conſuetudinem inter et Amorem, latum diſcrimen eſt; callum habet Conſuetudo, non ſentit incommoda, Amor tener eſt, et incommoda ſentit ad vivum, ſed obterit ea, perrumpit, et vincit. Itaque forte felicior Habilitas, ſed Amor longe generoſior eſt.

VI. Porro Virtus eſt Amor *rectae Rationis;* et per *rectam Rationem* non aliud intelligo quam Rationem, ſiquidem *depravata Ratio* non eſt Ratio, ſed Ratio cum praejudiciis et captionibus (cum in rebus Phyſicis verſamur), aut Ratio cum cupidinibus et paſſionibus (cum in Ethicis). Sicut igitur impurum aurum non eſt aurum, ſed aurum et ſcoria, ſic *depravata Ratio* non eſt Ratio. Recta Ratio eſt vera Dei imago (ut et Chriſtianorum ſacra teſtantur, et ſatis per ſe notum eſt). Hanc proinde familiari obtutu conſpicientes, potius Deum intuemur quam Rationem; ſicut familiari oculo picturam aſpicientes, magis quod pictum eſt quam picturam ipſam aſpicimus. Igitur ut

recta Ratio nos decipiat tam fieri nequit, quam fieri nequit ut Deus ipſe nos decipiat.

VII. Virtutem etiam Rationis Amorem *Unicum* dixi. Nam Virtus ſolam Rationem admittit, omnem aliam contemplationem excludit. Unde qui partim Rationis, partim ſui commodi, voluptatis, aut honoris ergo negotium gerit, male gerit, et, quidquid ſimulet, non ex Ratione gerit. Quia *bonum ex integra cauſa* (ut Scholae loquuntur), et nihil eſt ex Ratione, niſi quod totum, quantum quantum eſt, ex Ratione eſt. Oportet igitur eum qui oculum adjecit Rationi, a ratione ſui recedere quam longiſſime. In ſemita Virtutis opponuntur iſtae rationes; huic tergum obvertit, in illam obviis ulnis fertur, quiſquis laudatam illam ſemitam inſiſtit. Neque ullum certius criterium, penes quod ſpecioſos illos Improbos, Virtutis ſpeciem tam callide prae ſe ferentes, internoſcamus, quam frivolum illud verbum, quod illis in ore frequenter, in mente ſemper, *Meum*. Qui enim ſe curat, et ubique rem ſuam agit, ſceleſtiſſimus eſt hoc ipſo, utut caeterum magnifice de Virtute crepet, aut etiam ſubtiliter de illa diſputet.

VIII. Ex dictis facile liquet, unam tantum eſſe Virtutem (ſicut unus tantum Deus, una tantum Ratio), Virtutis autem proprietates variae; et in diverſis circumſtantiis diverſa munia, diverſa nomina, vulgo multas Virtutes fecerunt. Nihil equidem tam Vulgum ſapit, quam res ex nominibus aeſtimare; multas res eſſe putare, quotieſcunque ſonant multa nomina; multa dici putare, cum multis dicitur. Proprietates autem, quae primum ex Virtute naſcuntur, ſunt hae quatuor: Diligentia, Juſtitia, Humilitas, et Obedientia. His titulus *Virtutum Cardinalium* meliori jure dabitur, quam quatuor illis, Prudentiae, Juſtitiae, Fortitudini, Temperantiae, quae vulgo *Virtutes Cardinales* inſcribuntur.

IX. Et Diligentia quidem primo naſcitur ex Virtute ſeu Amore Rationis; quia cum natura Rationis in eo tota ſit, ut dictet, ut praeſcribat, ut ſuggerat, liquet eam a nemine adamari rite poſſe, qui non mentis aurem arrigat, et totum animum attendat ad hoc dictamen. Et in iſta mentis ad Rationem auſcultatione defixâ et altâ, Diligentiam repono. Quae proinde eſt mentis a rebus extra ſe poſitis, in ſe, in adyta ſua, jugis quaedam et profunda receſſio, ad conſulendum, quolibet occurrente negotio, ſacrum hoc Rationis

Oraculum. Quae in ipfo probi hominis vultu ac fronte, mirum vifu et jucundum, quam placide plerumque fe prodat. Pulcherrimam hanc et pene divinam frontem fimulant deformes quaedam fímiae. Nequidquam; nam fimia manet fimia, licet aurea geftet infignia. Porro Diligentiae fructus eft Prudentia; quae inter Virtutes Cardinales paffim recenfetur, nullo jure, quia ne quidem virtus eft. De illa nos dicemus, cum de praemio Virtutis agemus; eo enim referri poteft ifta tractatio.

X. Altera filia Virtutis Obedientia. Cum enim Amor Rationis ad Diligentiam te adduxerit, Diligentia Rationis auditorem te fecerit, eamque audiendo didiceris quid ipfa praecipiat (quod Prudentiae), reliquum eft, ut eodem Amore Ratîonis inftigante, quidquid Ratio praeceperit exfequare (quod Obedientiae munus eft). Siquidem repugnat amare te Rationem, intelligere etiam quid ipfa velit, id tamen, cum res poftulat, effectum non dare. Fructus Obedientiae Libertas eft. Nam qui Rationi fervit, nemini fervit, fed plane liber eft; quae enim interdum etiam infimae fervitutis obfequia praeftare cogitur, non ea praeftat hominibus, fed Deo fuo. Homines, inquam, non cogunt eum, fed fua Ratio, fuus Amor, fuum Propofitum; quidquid extra Propofitum hoc fuerit, vim ei adhibeant homines quantamcunque, non extorquebunt. Itaque liberrimus eft, ut qui nihil faciat praeter propofitum fuum; itaque

*Vir bonus et fapiens audebit dicere: Pentheu*
*Rector Thebarum, quid me perferre patique*
*Indignum coges? Adimam bona (Nempe pecus, rem,*
*Lectos, argentum). Capias licet. In manicis et*
*Compedibus, faevo te fub cuftode tenebo.*
*Ipfe Deus, fimul atque volam, me folvet, opinor.*

Sed de his alias latius, cum nempe de Praemio Virtutis agemus.

XI. Tertia filia Virtutis, Obedientiae foror et miniftra, Juftitia. Hujus officium eft, ab actionibus quas Obedientia praeftat, tum id quod minus, tum id quod nimis eft refecare; in hac praecifione confiftit Juftitia, hoc agit ejus gladius. Hinc etiam Juftitia fatiffacit; ponendo enim Virtutis actionem inter Minus et Nimis, eo illam redegit, ubi praecife fatis eft. Id quod nimis eft, vocatur *Vitium*

*per excessum;* id quod minus est, vocatur *Vitium per defectum.* Unde libido non opponitur castimoniae per excessum (ut male censet vulgus Ethicorum), sed per defectum: qui enim libidini deditus est, is non nimis sed minus castus est; contra vero stupor ille, quem castimoniae per defectum opponi putant, is ei excessu opponitur: qui enim generationi non vacat, cum Ratio id jusserit, is non minus sed nimis castus est. Sed bene notandum, particulas illas, *Minus, Nimis*, alienantes esse (ut Logici loquuntur); nam et qui minus, et qui nimis quam par est castus est, nequaquam castus est. Potest autem idem vitium, in diversis circumstantiis, et per defectum et per excessum esse. Sic ubi dandum est, et Liberalitas exercenda, Prodigalitas in excessu est (nam Prodigus nimis Liberalis est); ubi vero parcendum est sumptui, et Frugalitas exercenda, Prodigalitas in defectu est (nam Prodigus minus Parcus, minus Frugalis est). Contra vero Avaritia, quae Liberalitatis defectus est, Frugalitatis excessus est. Sic etiam Superbia, quae Generositatis excessus est, Modestiae defectus, et Ignavia, quae hujus excessus, illius defectus est; et id obtinet in aliis quamplurimis, si non in omnibus. Et quamvis haec fere ad Logicam aliquam considerationem pertinere videantur, est tamen ipsi Prudentiae insignis quidam eorum usus, ut suo loco videbimus. Porro fructus Justitiae, Nitor est; Nitidum enim dicimus, quod habet omnia necessaria nihilque superflui; quod manifeste a Justitia est, defectum pariter ac excessum resecante. Itaque Vir bonus juste, praecise, et nitide agit.

XII. Tandem Humilitas, natu minima, sed matris suae (Virtutis) unicae deliciae, non est aliud quam Contemptus sui. Si enim Rationem et Deum ames (quod Virtutis est), necessum est, prae illo reliqua contemnas, et primum quidem te ipse. *Humilitas* etiam *Magnanimitas;* sicut in rebus Physicis Altum et Profundum re ipsâ idem sunt, et consideratione tantum differunt; sed nempe Christiani suspectis *Magnanimitatis* et *Celsitudinis* nominibus, quae meminerunt majoribus suis (quos Gentiles bene et Latine vocant) tantum imposuisse vanitatis et pompae, prudenter abstinent. Humilitas autem non est contemptus positivus sui, quo quis se ipsum positive contemnat, exsecretur, infamet, aut aliter male accipiat; sed negativus, cum nempe prae Ratione nullam sui rationem ducit: omnibus id agens, ut a

Ratione totus pendeat, nihil commodi fui, voluptatis, aut honoris causâ faciens vel omittens, fed omnia ex contemplatione Rationis. Enimvero Vir bonus non repudiat, non repellit divitias, commoda, voluptates, honores; imo exfpectat illa, fed fine cura; imo acceptat illa, cum offeruntur, tanquam praemia virtutis fuae. Sed nunquam affectat illa, et cum id agere videtur, ut dives fit, ut honoretur, ut animum recreet, ut corpus reficiat, aliud longe agit, nempe in omnibus id unum, ut pareat Rationi; ficuti qui Medicum adit pharmaci bibendi caufa, non id agit, quo pharmacum bibat, fed quo fanus fit.

XIII. Pro quo nota, Deum nos hîc in corpore, et per confequens in hoc Mundo pofuiffe, independenter ab omni voluntate, arbitratu, et beneplacito noftro. Non enim interrogavit nos aliquando, num hîc nobis effe luberet; non confcii huc appulimus, nedum volentes; pofuit autem nos hîc (quod in Difput. Phyficis demonftrabo) modo tam arcano, et humanae menti tam ineffabili, ut poft diutinas eam in rem acerrimafque meditationes, non nifi admirationem et ftuporem reportemus a tanto miraculo. Inde oritur in nobis obligatio hîc manendi, donec evocet nos hinc, qui nos hîc tam mirabiliter pofuit; et, ut ait ille, *injuffu fummi Imperatoris* (Dei) *non eft nobis de praefidio et ftatione vitae difcedendum.* Hoc Ethicae fundamentum eft; quod qui convellit (ut quidam Stoici, et nominatim Seneca), hoc ipfo totam Ethicam evertit, et loco Virtutis meram Philautiam, ipfiffimum Peccatum nobis inducit. Qui enim putat integrum fibi effe, hinc exire cum lubet, cur ille vefcitur? cur artem aliquam addifcit et exercet, quo habeat unde vefcatur? cur alia vitae munia diligenter obit, nifi quia lubet? Lubet enim ei jam manere in vivis, ideoque corpus fuum pafcit, et ea parat quae paftui neceffaria funt; cum id non amplius ei libuerit, excedet e vivis. Igitur omnia faciet, omnia mittet, quia libet; quid hoc aliud quam effraenata libido, coecus amor fui, fumma Rationis defpectio?

XIV. Contra vero Vir bonus nunquam quia lubet, femper quia decet operatur. *Decet* autem (nam hoc ipfum verbum apud plerofque homines non exigua vanitate laborat), îd eft, *Ratio poftulat, Deus iubet.* Itaque fi aegrotat, Medicum accerfit, non quia lubet adhuc vivere, fed quia nefcit an jam fit moriendum. Novit nempe, ma-

nendum donec Deus evocet; atqui non percipit ſatis clare, num jam evocet, ideoque legitimâ praeſumptione ſubnixus, ſupponit eum non evocare, et media illa adhiberi velle, quae rectâ Ratione ductus, convenientia judicaverit ad manendum. Eâdem de cauſâ, ſi diris cruciatibus inſtant tyranni, et mille mortes minantur, manu tamen mortem non facit, ſed placidus operitur. Multo minus, ſi res adverſae, ſi anguſtia rei familiaris, ſi contemptus, infamia, calumniae premunt (quod non niſi molliſſimorum abjectiſſimorumque hominum ſcelus eſt), animam projiciet:

*Rebus in adverſis facile eſt contemnere mortem;*
*Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.*

Ad ſummam, Vir bonus undecunque divellatur, quocunque propellatur, quidquid agat, curet, vacet, nunquam ſe intuetur, ſed mentis oculum defixum habet in Deo et Ratione. In quo ſolo et profundiſſima ejus Humilitas, et celſiſſima ſublimitas, et immanis ab omnibus improbis diverſitas elucet.

XV. Fructus Humilitatis nullus ipſâ pulchrior. Illa ipſa inter res ſecundas Temperantia, inter adverſas Fortitudo eſt. Ita ut Temperantia aliter definiri nec debeat nec poſſit, quam *Humilitas inter ſecunda.* Res ſecundas voco, quae delectationem conferunt: ut Sanitas, Robur, et Forma corporis, Paſtus, Venus, Muſica, Spectacula, Suffitus, Luſus, Divitiae, Honores, Scientiae, ipſa etiam Probitas et Virtutis excercitium. His aut horum aliquibus affluentibus, ſi Humilis es, hoc ipſo Temperans eris; nullam enim tui rationem duces, omnia ex Ratione facies ac omittes; atque rebus ita ſe dantibus, ita ſe habere, id eſt demum Temperantem eſſe. Sed mirari ſubit, Scholae Temperantiam totam occupari in coërcendis craſſis illis et brutis Paſtus ac Veneris voluptatibus; quaſi nulla ſit aliarum rerum Intemperantia. Eſt vero rerum a nobis poſt Paſtum ac Venerum mox enumeratarum, ut ſubtilior gradatim, et veluti ſpiritualior, ita ſubinde longe pejor et periculoſior Intemperantia. In Scientiis et Liberalibus Diſciplinis, quanta plurimorum hominum Intemperantia! Imo in ipſo Dei cultu, in ipſis Virtutum exercitiis, magnam et, ut ſibi videtur, ſanctiorem Populi Chriſtiani partem, admodum Intemperantem eſſe, tam eſt clarum, ut nullâ tergiverſatione poſſit occultari. Omnes nempe

illi funt Intemperantes, qui delectabilibus non utuntur fed fruuntur, id eft, delectari directe volunt, adeoque fuum bonum et fe quaerunt. At fe quaerendo, fe perdunt, ut Veritas ait; id eft, omni verâ et folidâ delectatione excidunt. Confer quae dixi Th. II.

XVI. Fortitudo eft *Humilitas inter adverfa.* Adverfa funt quae moleftiam adferunt: ut Morbus, Infirmitas, et Deformitas corporis, Fames, Egeftas, Carcer, Supplicium, etc. Haec cum imminent, Timorem incutiunt; cum incumbunt, Triftitiam. Et Humilitas inter imminentes calamitates deprehenfa, fimpliciter *Fortitudo* vocatur. Qui enim imminente Pefte, Clade, Naufragio, Infamiâ, nullam fui contemplationem habet, fed omnia moderatur ex praefcripto Rationis (quod Humilitatis proprium officium eft), is profecto Vir fortis eft; etiam cum forte metuit, et ex periculi confideratione, totus expallefcit et tremit. Ignorat id, qui Virtutis ingenium ignorat, ideoque fortem effe, illi non eft aliud quam, inter pericula non timere; quod et malis faepe accidit, et bonis faepe non accidit. Itaque qui inter pericula non timet, fubinde quidem felicior (cruciatum enim habet omnis timor et anxietas), nunquam ideo melior aut fortior eft; fed qui ex timore fuo agit, aut omittit agere, is imbellis, qui vero ex timore nihil, ex Ratione cuncta facit, is fortis eft, five interim timeat five non timeat. Tandem Humilitas inter praefentes miferias deprehenfa, *Patientia* vocatur, Qui enim in egeftate, in carcere, in fupplicio, prae Ratione nullam fui rationem ducit, is Fortis-Patiens eft; etfi forte lacrimae ei ex oculis et gemitus erumpant ex pectore.

---

# DISPUTATIONES

## DE FINIBUS BONORUM ET MALORUM SEU DE SUMMO BONO.

### I.

(D. 14. m. Jan. a. 1668.)

Thesis I. Conſtitui, in hiſce de Summo Bono Diſputationibus, a veterum Philoſophorum ſententiis exordium capere; tum, quae in his conſentanea vel diſſentanea fuerint, indicare; ad extremum rationes etiam, quibus nituntur, ut meritae fuerint, refellere vel ſtabilire. Atque id quidem praeter morem meum; ut qui ad hunc diem intra limites arctae rigidaeque Scientiae uſque me continui, ſatis eſſe ratus, ſi quid de re propoſita cenſendum eſſet demonſtraſſem; hoc et adverſariorum fundamenta concuti et corruere ſententias. Sed quid de Summo Bono juxta Scientiae rigorem ſtatui debeat, et intelligi non parum poteſt ex Tractatu Ethico, quem nuper edidi, Latino primum idiomate, deinde etiam Belgico; et luculentius adhuc dicam, cum ordo rerum tractandarum atque ſeries eo nos deducet, ut noſtra poſt aliorum confutatas opiniones expromenda ſit ſententia; et denique inter commemorandum de Summo Bono veterum judicia, erumpet aliquando quaſi premi nolens, et per tranſennam ſe prodet Veritas.

II. Fateor autem ingenue, quod alias perſaepe confirmavi, tales, quid hic aut ille ſenſerit Philoſophorum, enarrationes, tum (quae ſolent his adjici) qui mores, quod ingenium cujuſque fuerit, qui ſectatores, qua diſcipulorum frequentiâ culti auditique, ad Philoſophiam nihil, ad Hiſtoriam cuncta pertinere. Philoſophia enim ſolum aeternas neceſſariaſque veritates attingit; contingentes autem, tem-

porarias, et ab arbitrio cujufcunque tandem dependentes non curat, fed hafce fenfibus, memoriae, imaginationi, confcientiae, ad extremum etiam hiftoriae, et fidei quam aliorum dictis adhibemus, tranfcribit. Veluti videre te hanc chartam, legere impreffos ei a librario characteres, Epicurum olim fummum hominis bonum in voluptate conftituiffe, et fexcenta, imo potius innumera talia, neque Communes Notiones funt, quae inchoare Demonftrationes, neque Conclufiones, quae eas terminare poffint; verbo, non funt veritates aeternae, adeoque defcifcunt a Philofophia, id eft, a tenore verae rigidaéque fcientiae deflectunt. Vera enim fcientia non eft aliud quam affenfus, quem praeftamus conclufioni demonftrationis, innixi praemiffis ac confequentiae illius demonftrationis; ad quam nihil nifi aeternum pertinet, nihil nifi quod demonftrationem ingredi poffit. *Demonftratio vero eft fyllogifmus ex primis et veris*, *aut ex talibus*, *quae per aliqua prima et vera cognitionis fuae initium fumpferunt*, ut Ariftoteles in Topicis definivit; jam autem et Prima Vera, feu Principia, feu Communes Notiones (his enim omnibus res eadem fubjicitur) et ipfae neceffariae funt, et ex illis nullum contingens deduci poteft; quia ex neceffario nil nifi neceffarium fequitur, ut in Logica mea demonftravi pag. 279. n. 5. Quid multa? *Contingentium non effe fcientiam*, Scholis jam pridem omnibus decantatum acroama eft; et in Logica fuccinimus pag. 394. n. 5.

III. Quamvis igitur veriffima haec fint, nullaeque prorfus hiftoriae, nullae contingentes, temporariae, aut arbitrariae veritates ad Philofophiam pertineant; tamen dandum eft aliquid confuetudini moribufque jam ab omni memoria receptis, et illae quidem in tractatus Philofophicos adfcifcendae nonnunquam (qui tamen ea parte Philofophici non erunt fed hiftorici). *Quantam vero vim confuetudo habeat*, *declarant leges*, fuperftitiones et caerimoniae, *in quibus fabulofa ac puerilia plus poffunt propter confuetudinem*, quam fi cognofceremus ea et per Mathematicam apodixim demonftrata teneremus; fic loquitur Ariftot. lib. 2. Metaph. cap. 3. Ad haec *quofdam etiam taedet certitudinis* feu demonftrationis, *aut propterea quod non poffunt eam affequi* (defigendus enim eft animus et quafi intendendus, cum demonftrationem aliquam, puta Mathematicam, penetrare conftituit; hic vero de fe lubricus, et perpetuo de una cogitatione in aliam errabundus, tum

etiam remiſſione gaudens, attentionem omnem, ac ſi eâ diffringendus ſit, exhorret), *aut propter curioſitatem.* Nimiam diligentiam et anxia momentorum omnium examina, *Miſeriam* eo ipſo pene nomine vocant Belgae, *habet enim certitudo* ſeu demonſtratio *tale aliquid;* habet in ſe *miſeriam*, ut jam vocavimus, habet in ſe quaſi ſuperſtitioſam diligentiam, et anxiam eorum omnium quae comprehendit ad minutiſſimas uſque minutias diſcuſſionem. *Quare, ut in contractibus, ita etiam in orationibus*, in ſcriptis ac diſſertationibus, *illiberale quiddam eſſe quibuſdam apparet.* Ariſtot. ibid. Nimirum ſicut in litibus *ſummum jus ſumma injuria* eſt, ut habet tritum ſermone proverbium, potiuſque agendum eſt ex bono et aequo, quam premendum jugiter inſtandumque, et ad verba legis omnia tanquam ad libellam exigenda; — ſic etiam qui in ſcientiis tantum Definitiones, Communes Notiones, Demonſtrationeſque, quae ſolae earum dignum tomentum ſunt, inculcaverit, neſcio quo modo tetricus, auſterus, moroſus, praeter debitam lenitatem, aequitatem, humanitatemque, tractatus ſuos inſtruere videbitur.

IV. Atque hinc etiam factum eſt (quod in Solertia noſtra ſeu Methodo inveniendi argumenta p. 15. notavimus) ut in Mathematicis aliiſque puris ac intaminatis diſciplinis, ultra Principiorum ſeu Communium Notionum formas, Poſtulata quoque ſint invecta, cum haec nihil aliud reapſe ſint quam Communes Notiones, nec aliâ quam leniendi rigoris *diſciplinoſi* (hoc nobis vocabulum Cato dedit) cauſâ introducta ſint. Non pigebit ex praedicto libello locum illum mutuari: *Poſtulata in ſcientiis ſtricte dictis, qualis eſt Logica, non differunt ab ipſis Principiis, niſi fronte et exteriori apparatu. Principia ſimpliciter ponuntur, Poſtulata petuntur; ambo tamen paris debent eſſe certitudinis et claritatis. Nam iniquum foret, ſi demonſtraturus incerta quaedam vel obſcura poſtularet; hoc ipſo corrueret quod parat, hoc ipſo vis demonſtrationis elideretur. Cur ergo Poſtulata a Principiis ſejunguntur? Reſpondeo: quia humanitatis eſt, cum jure tuo principia poſueris et velut dictaturam exercueris, aliquid remittere de formâ rigoris, non omnia extorquere, aliquid legenti arbitrandum relinquere, aliquid petere quod impetrabis.* Alia praeterea multa ad levandam iſtam velut invidiam et conciliandam diſciplinis noſtris popularitatem adinventa ſunt. Unde *quidam dignum ducunt, ut teſtis producatur aliquis poëta,*

proverbium interponatur vel adagium, fabula vel hiftoria narretur, *et quidam caetera omnia volunt.* Ariftot. ibid. Ifta vero cum adhibueris, inftar ftulti in contraria perfaepe curres; nam *Male parta male dilabuntur* et ex adverfo *Dives injuftus aut injufti heres* contraria funt, ut vides, fed ambo ex tripode; item *Fortes creantur fortibus*; at contra *Heroum filii labes*, etc. Ita cum a rigore fcientiarum difceditur, et aequitas quaedam, ut nobis apparet, lenitafque captatur, quo, nifi ad meras nugas itur?

V. Inter omnes tamen Philofophicas rhapfodias nulla tolerabilior, quam quae hiftorias vel fabellas comminifcitur, quibus aliorum fententiae placitaque continentur, ut ea vel probemus cum ab iis rationes ftant probae, vel cum a rationibus non fatis firmae funt, afpernemur. Suppeditant fegetem de variis varie philofophandi varieque differendi difcurrendique; cum alioqui in uno aliquo quafi in rupe adhaerere videare. Doctrinae multijugis velut illices funt, foras eam evocant magnopere; unde et illi qui ad rigidam illam difciplinae normam perpetuo tractatus fuos exigunt, cum leguntur, nihil fcire videntur praeter ea quae tractant, ac fi aliorum omnium ignari fint. Ut Euclidis elementa cum legis, quid divinum virum fcire dicas, praeter eos in quibus totus eft, triangulos, circulos, rhombos, numeros? nam parerga omnia ad unum refecat; fua probat invictiffime, de caeteris altum filet. Et ita profecto (difficile eft enim non favere puritati) faciendum eft; atque nifi ordinem, qui pene maximi eft ad philofophandum momenti, negligere, nifi turbare et mifcere, nifi Rhapfodiae notam incurrere manifefte velis, cum aliam tractas, de alia tacendum eft fcientiâ; multo magis filentio premenda funt, quae ad fcientias ne pertinent quidem. Sed, ut dixi, populo ftrigofum atque jejunum videtur ita fibi temperare, cui concedendum eft aliquando; quidquid fit, culpâ cares, cum de induftria facis. Et quod Cicero de obfcura oratione dixit, *duobus modus eam effe fine reprehenfione, fi aut de induftria facias (ut Heraclitus, cognomento qui σκοτεινός perhibetur quia de natura nimis obfcure memoravit), aut cum rerum obfcuritas, non verborum facit ut non intelligatur oratio (qualis eft in Timaeo Platonis)*; de Fin. lib. 2. cap. 5.; — id quodammodo ufu venit hîc. Nam cum deditâ operâ conftituifti, aliorum examinare, tuam probare fententiam, excurfus a Philofophia,

qui inftituto ifto neceffario continetur, vitio dari non poteft; non magis fane, quam vitio poëtis commentorum fabularumque fuarum vertenda fit falfitas.

VI. Nobis igitur inftitutum illud infiftentibus, et ad iter jam accinctis, commodum occurrit Cicero, qui viam nobis praeeat libelli fui, quem *de Finibus bonorum ac malorum* infcripfit, luculentâ face. Libellus fupra quam credi poteft venuftus et elegans; quid miri? talia funt quae pofteris confignavit omnia *difertiffimus* ille *Romuli nepotum.* Sed ipfe nominatim hanc fuam commentationem approbat, et in praefatione ad M. Brutum, *res bonas effe* dicit, *verbis electis graviter ornateque dictatas.* Libellus elaboratus; *ego*, inquit ibidem, *cum forenfibus periculis non deferuiffe mihi videor praefidium, in quo a populo R. collocatus fum, debeo profecto quantumcunque poffum in eo quoque laborare, ut fint operâ, ftudio, labore meo doctiores cives mei.* O virum! Et paulo infra: *Nos autem hanc omnem quaeftionem de finibus bonorum et malorum fere a nobis explicatam effe iis literis arbitramur, in quibus quantum potuimus non modo quid nobis probaretur, fed etiam quid a fingulis Philofophiae difciplinis diceretur, profecuti fumus* (hoc vero propofito noftro peropportunum accidit). Lîbellus folidiffime de rebus maximi momenti confcriptus; cujus etiam diligentem lectionem ipfe nobis tantus Auctor commendat. *Qui*, inquit, *diligenter haec, quae de Philofophia literis mandavimus, legere affueverit, judicabit nulla ad legendum his effe potiora. Quid eft enim in vita tantopere quaerendum, quam cum omnia in Philofophia, tum id quod iis libris quaeritur: qui fit finis, quod extremum, quod ultimum, quo fint omnia bene vivendi rectaque faciendi confilia referenda; quid fequatur natura ut fummum ex rebus expetendis; quid fugiat ut extremum malorum.* Et ecce expoftulatio in eos qui his neglectis, plus jufto vacant aliis: *An, partus ancillae fitne in fructu habendus, inter principes civitatis, etc., haec, quae vitam continent omnem, negligentur? Nam, ut fint illa vendibiliora, haec uberiora certe funt; quanquam id quidem licebit iis exiftimare, qui legerint.*

VII. Ad ufum autem hoc erit optimum, quod multa veterum monumenta, quae injuriâ temporum interciderunt, id temporis adhuc, quo Cicero libellum hunc compofuit, fuppeterent, quorum potiffimas aliquot illuftriffimafque fententias ipforummet, qui eas condidere,

verbis expreffas amplexus eft et ab interitu vindicavit. Imprimis Epicuri, quicum nobis velis equifque (quod ajunt) decertandum erit, quod is aliorum fere Philofophorum fententias concoxerit et in fuam verterit, hodieque adhuc folus in animis mortalium pene omnium (ut in fequentibus patebit) tacite dominetur. Hujus viri fcripta, quae jam diu perierunt omnia, Cicero diligentiffime pervolvit et examinavit; infuper ipfemet Epicureorum cum Attico fuo frequens auditor. Sed quid opus eft me loqui, pro fe loquator ipfe. *Omnes mihi Epicuri fententiae fatis notae funt, atque eos quos nominavi* (Phaedrum et Zenonem in Epicurea fchola Profeffores) *cum Attico noftro frequenter audivi; cum miraretur ille quidem utrumque, Phaedrum autem etiam amaret; quotidieque inter nos ea quae audiebamus, conferebamus; neque erat unquam controverfia, quid ego intelligerem, fed quid illi probarent ac demonftrarent.* Cic. lib. I. de Fin. cap. 5. Ita viri principes Tullius et Pomponius in fchola et domi inter fe perpendunt quae audivere. Confer ifta cum noftris, et exclama hoc Tullii: *o tempora! o mores!* Haec omnia Epicuri dogmata cum curiofe fcrutatus fit Tullius, merito et ingenue hoc de fe: *Epicuri rationem a nobis hic intelliges expofitam; ut ab ipfis qui eam difciplinam probant* (Cicero enim improbabat) *non foleat accuratius explicari; verum enim invenire volumus, non tanquam adverfarium aliquem convincere.* Quae plufcula, aliaque, quae quod brevis effe vellem praeterivi, quamvis Cicero in fuam fcriptorumque fuorum commendationem protulerit, tamen aliena funt a jactantiâ, et ita vera, ut qui fcripta ejus faepe, quod ipfe magnopere vult, pervolvit, aliud exiftimare non poffit, quam ad laudem fuam dixiffe parum. Verbo dicam, Romanum eft; Livius de Romulo lib. I. cap. *Ipfe cum factis vir magnificus, tum factorum oftentator non minor.* Reliqui patriffant, et nofter hic non mediocriter.

VIII. Ciceronis tempore tres potiffimum vigebant de Summo Bono fententiae, quas ipfe Tractatu ifto, quem de Finibus bonorum ac malorum infcripfit, et in quinque libros diftribuit, complexus eft. Prima eft Epicuri fententia, cujus perfonam lib. I. impofuit L. Torquato. *Accurate quondam*, inquit, *a L. Torquato, homine omni doctrinâ erudito, defenfa eft Epicuri fententia de voluptate, a meque ei refponfum, cum C. Triarius imprimis gravis et doctus adolefcens*

*ei disputationi interesset.* Atque ita porro disputationem illam, quam inter se quondam habuerant, enarrare ingressus, hoc ipso tandem disputat; primum (ut dixi) pro Epicuro sub persona Torquati lib. 1., deinde sub propria persona contra Epicurum lib. 2. Secunda est Zenonis et Stoicorum sententia, cujus patrocinium M. Catoni demandavit lib. 3.; ipse adversarium agit lib. 4. Tertia est Peripateticorum sententia, quam M. Piso defendit lib. 5. non confutante Cicerone. Quam proinde ut verisimilem amplexus videtur, cum eas quae ante recensitae sunt, improbaret; quod Academicis, quorum Cicero sectator, satis erat: ut *cum quibus incerta luctatio esset, quia nihil affirmabant, et quasi desperata cognitione certi, id sequi volebant, quodcunque verisimile videretur.* 2. de Fin. 14. Quia vero harum sectarum de Summo Bono fere compositae sunt sententiae, operae pretium facturi videmur, si primum simplices, ex quibus hae coaluerunt, enarremus. Carneadi summum bonum est, frui *Principiis naturalibus*, seu *Primis a natura datis*, qualia sunt ipsum corpus nostrum ejusque membra, tum animus, sensus, ingenii motus, valetudo, etc. Aristippus et Cyrenaici summum bonum constituunt in voluptate; Hieronymus Rhodius in doloris vacuitate; Zeno in honestate seu virtute. Atque hae sunt simplices sententiae, et singulae singulos tantum fines perhibent; sequuntur compositae. Polemon finem bonorum dixit esse, adhibitâ virtute frui Primis a natura datis (eos ergo fines copulavit, quorum alter Carneadi, alter Zenoni satis erat). Callipho ad honestatem adjunxit voluptatem (is igitur ex Aristippo et Zenone conflatus est). Diodorus honestati connexuit vacuitatem doloris (Hieronymum et Zenonem conjunctos vides). Epicurus indolentiam seu vacuitatem doloris cum voluptate copulavit (proinde ex Aristippo et Hieronymo constat). Ipse quidem inficias iret, ut qui idem esse censeat gaudere et non dolere, et ex his tam dissimilibus rebus non modo nomen unum (quod ferri forte posset), sed etiam rem unam facere conatur. Adeoque unum tantum simplicemque finem astruere vult videri, nempe voluptatem; sed nequidquam, cum efficere non possit ut cuiquam, qui ipse notus sibi sit, hoc est qui suam naturam sensumque perspexerit, vacuitas doloris et voluptas idem esse videatur. Nos de his infra latius. Itaque tres sunt fines expertes honestatis: unus Aristippi vel Epicuri, alter Hieronymi,

Carneadis tertius; tres in quibus honeftas cum aliqua acceffione, Polemonis, Calliphonis, Diodori; unus fimplex, cujus Zeno auctor eft, pofitus in decore totus, id eft in honeftate. Haec fere Cicero lib. 2. de Finib. cap. 11. et 12. ac alibi.

IX. Duae fupererant adhuc fententiae, quarum alteram Arifto et Pyrrho, alteram Herillus tenuit; quos fuo tempore *diu abjectos, reliquos autem fibi conftitiffe*, Cicero fcribit lib. 2. de Fin. c. 11. Herillus in fcientia fummi boni rationem collocavit: *Herillus ad fcientiam omnia revocans, unum quoddam bonum vidit, fed nec optimum, nec quo vita gubernari poffit; itaque jam pridem eft rejectus.* 2. 13. Et recte, atque ego etiam rejicio; nam Sapientia, quae una, vera, ac perfectiffima Scientia eft, non fummum bonum (non virtus), nec tale aliquid ad quod omnia referenda fint, fed fructus quidam virtutis, qui et ipfe ad fummum bonum referri debeat: vide Tract. noftr. Eth. de Virt. Card. pag. 19. *Arifloni vero ac Pyrrhoni, Principia naturalia, feu ea quae prima natura approbaviffet, omnia vifa funt pro nihilo; ut inter optime valere et graviffime aegrotare nihil prorfus dicerent intereffe. Igitur recte jam pridem contra eos defitum eft difputari; dum enim in una virtute fic omnia effe voluerunt, ut eam rerum felectione exfpoliarent, nec ei quidquam aut unde oriretur darent, aut ubi niteretur, virtutem quam amplexabantur fuftulerunt;* ita Cicero lib. 2. de Fin. cap. 13. Sed hi, o Cicero, ut abjecti tuo etiam calculo atque rejiculi, foli funt qui rem acu tetigerunt, foli, te juxta ac reliquis aberrantibus. Extremum illud ac ultimum bonorum, et quod folum bonum effe poffit, invenerunt, quo omnia referri debent, ipfum autem nufquam. Sed haec in loco videbimus; modo id tantum agimus, ut ipfas fententias in medium conferamus, inter fe comparemus, et vel committamus, fi idem diverfo verborum ambitu complecti, aut difjungamus, fi iifdem verbis diverfa fignificare videantur. Quantum igitur ad praefens negotium attinet, ex his quae jam diximus fatis conftat, Ariftonem et Pyrrhonem idem de fummo bono fentire, quod Zeno ac Stoici; nam hi perinde atque illi fummum bonum, exclufis omnibus aliis, in nuda Virtute conftituunt. Hactenus conveniunt; fed eo magnopere differentiunt inter fe, quod illis quidem Virtus non modo fummum, fed unicum etiam atque folum bonum fit (vide Cic. lib. 3. de Finib.

cap. 4.), his non item. Nam alia praeterea quaedam bona eſſe volunt, non verbo (nihil minus; uſque enim ad faſtidium inclamant Stoici, ſolum bonum quod honeſtum, ſolum malum quod turpe), ſed re ipſa. Nam quod Tullius de Epicuro ſaepe, id ego de Zenone ſemel: *Non id ſpectandum eſt, quid dicat, ſed quid conſentaneum ſit ei dicere.* Zeno enim *bonam valetudinem, dolorum omnium vacuitatem, integritatem oculorum reliquorumque ſenſuum,* etc. *in bonis ſe non ponere, nihil omnino inter eas res iiſque contrarias intereſſe dicit* (atque adeo verbis ſuis Ariſtonis ac Pyrrhonis ſententiam obſignat). *Haec enim omnia, quae alii bona dicerent, Praepoſita eſſe, non bona; itemque illa quae in corpore excellerent* (robur, pulchritudinem, venuſtatem, etc.) *non eſſe per ſe expetenda, ſed Sumenda; nec vitam rebus iis, quae ſecundum naturam ſunt, abundantem magis expetendam, ſed magis Sumendam* (hîc jam verba, quae paulo ante ſcripſerat, re ipſâ inducit ac delet, et alia quamplurima bona praeter virtutem obtrudit). *Quid enim intereſt, divitias, opes, valetudinem, bona dicas anne Praepoſita? cum ille, qui iſta bona dicit, nihilo plus his tribuat quam tu, qui illa Praepoſita nominas;* ita Zenonem merito perſtringit Cicero lib. 4. de Fin. cap. 9. Sed in medio nunc relinquamus illa; alias locus dabitur latius iſta diſcutiendi. Ariſto ſaltem et Pyrrho praeter honeſtum et turpe, praeter virtutem et peccatum, nec appetendum quidquam aut fugiendum, nec praeponendum aut poſtponendum, nec ſumendum aut rejiciendum exiſtimaverunt. Maſcula ſententia! et reliquae cum illa compoſitae neſcio quo modo deficiunt, et pueriles mihi aut effeminatae videri ſolent. Hi igitur quamvis habiti contemptui, quamvis habiti indigni contra quos diſputaretur, duo viri, viri Philoſophi ſunt. Audio tamen Piſonem apud Tullium lib. 5. de Fin. *Concinnus,* inquit, *et elegans Ariſto; ſed ea quae deſideratur a magno Philoſopho gravitas, in eo non fuit; ſcripta ſane et multa et polita, ſed neſcio quo pacto auctoritatem oratio non habet.* Graves ſententiae, eleganter expreſſae; ſed auctor levis, et oratio ſine pondere; quid dicam? Non omnis fert omnia tellus. Sed aliud ex alio frontem ferit: *Occurrentia neſcio quae comminiſcitur; et cum Pyrrho quidem, virtute conſtitutâ, nihil omnino quod appetendum ſit relinquat, Ariſto, qui nihil relinquere non eſt auſus, introduxit quibus commotus ſapiens appeteret aliquid, quod cuique in mentem incideret et quomodocunque*

*tanquam occurreret.* 4. 16. Futilis ergo, et defecit; ac Pyrrho jam in graviffima fententia folus nobifcum facit.

X. Argumentum quod in eos ftringitur, brutum eft. Nempe *exfpoliant virtutem rerum felectione;* ergo nihil reliquum ei faciunt, *ubi nitatur aut unde oriatur;* inanem eam et nullius ufus reddunt. Ita fere Cic. 2. 13. Et clarius adhuc Cato apud Cicer. pro Stoa fua dimicans 3. 4.: *Cum virtutis hoc proprium fit officium, earum rerum quae fecundum naturam funt habere delectum; qui omnia fic exaequaverunt, ut in utramque partem ita paria redderent, uti nullâ felectione uterentur ejus, virtutem ipfam fuftulerunt.* Et applaudens Cicero: *Illud quidem,* inquit, *optime dicis.* Imo, inquam, peffime, et ex illâ quam ibi movetis fentinâ omnis exhalat in Ethicam vitiorum mephitis. Nego itaque et pernego virtutis hoc effe munus, ut earum rerum, quae fecundum naturam funt, habeat delectum; ut feligat nobis valetudinem, morbum repellat, divitias conquirat, arceat paupertatem. Hoc eft, cum Epicuro, in fervitio virtutem habere. Ille virtutem afcivit ut voluptatem fubminiftraret fibi; vos (Academici, Peripatetici, Stoici) ut *Prima naturae,* ut *Praepofita,* ut *Sumenda,* ut *Quae fecundum naturam funt,* ut quae delectant, quae juvant, tandem (quo enim alio tendent, aut ubi finem invenîent verborum ambages iftae) ut voluptatem vobis paret et confervet. Sic nominibus tantum et vocabulis ab Epicuro difceditis; fenfu et reipfa convenitis. Virtus non ut ipfa nobis ferviat, fed ut nos Deo ferviamus datur. Optio nobis nulla permittitur, nulla felectio; totum nobis penfum ufque ad minima momenta praefcriptum eft. Lex eft, Onus eft, et incumbit atque injunctum eft; Officium eft, et officit atque impedit aliud facere quodcunque. Quamobrem viri boni nihil intereft, divefne fit an pauper, valeat an aegrotet, animam ducat an agat, denique mortuus fit an vivus. Saepe tamen vitae confulit et mortem cavet, faepe valetudinem curat et morbum medicamentis oppugnat, faepe etiam rei familiari augendae incumbit et paupertatem fugit. Non quia *omne animal fimul atque natum eft, voluptatem appetat eaque gaudeat ut fummo bono; dolorem afpernetur ut fummum malum, et quantum poteft a fe repellat,* 1. 9., huc vero omnia referat vir bonus, ideo vivere velit, ideo valere, ideo divitiis affluere (ut Epicurus cum affeclis fuis ftatuit). Non etiam quia *fimul atque natum eft animal, ipfum fibi*

*concilietur et commendetur ad ſe conſervandum et ſuum ſtatum, et ad ea quae conſervantia ſunt iſtius ſtatus; alienetur autem ab interitu iiſque rebus quae interitum videantur afferre; ex quo intelligi debeat, principium ductum eſſe a ſe diligendo* 3. 5. et ſimilia vide 5. 9. (ut caeteri fere Philoſophorum; et ab Epicuro parum abludit). Sed quia nos homines et viri (apage enim ſtolidos illos morum magiſtros, quibus veteres tantopere delectati, animalia, infantes, et bruta) ſimul atque animum ſerio ad Ratienem appellimus, clariſſime percipiamus, nos huc vi et arbitratu noſtro non veniſſe; Deum eſſe qui nos cum hiſce corporibus copulaverit, et hoc ipſo etiam manere juſſerit, donec nos ſolveret (ſicuti ſervo januam obſervare juſſo, manendum intelligimus hoc ipſo, quoad herus aliud praeceperit). Ex quo deinceps efficiatur, ſanitatem conſervandam, morbis curationem adhibendam, paſcendum corpus, animum ſubinde recreandum, tum modicas opes in hunc uſum comparandas eſſe. In quo ordine rerum agendarum cum nulla noſtrûm cura, nullum ſtudium deprehendi poſſit; eluceat tantum inſignis in Deum et legem ejus obſervantia; intelligi profecto debet, initium honeſtarum actionum non a ſe diligendo, ſed a ſe negligendo ductum eſſe (confer huc quae in noſtro Tract. Eth. de Virt. Card., praeſertim cap. 2. ſect. 2. dicuntur). Sicut enim fidelis hero ſuo ſervus nihil ſua referre putat, anteambulo ſit an pediſſequus, an etiam (ut Comicus loquitur) ſalutigerulus, item an domi conclave verrat, lectum ſternat, aliaque id genus obeat officia, ſed promiſcua habet et exaequat haec omnia; ſola vero heri voluntas in cauſa eſt, cur horum aliud exſequatur, aliud praetermittat; ideoque nec aegre deſiſtit ab incepto, et aliud agere juſſus, eo protinus ſe vertit, quo heri vocat imperium; — ſic etiam ſervus Dei probus ac frugi (qui ſolus et vir bonus et ſapiens eſt) non divitiis agitur, non paupertate, non vitâ, non morte; ſed ſolâ Dei lege, circa haec jubendo vel prohibendo verſante. Ideoque vivit, quia vivere jubetur; cum aliud juſſus fuerit, deſiſtet non invitus, aequo animo morietur; nam ipſam vitam ipſamque mortem in adiaphoris habet, quantum ſcilîcet ad animi ſententiam attinet. Non enim id ago jam, uti etiam quoad ſenſus et motus animi ſeu *paſſiones* virum bonum ita affectum eſſe debere contendam.

II.

(D. 28. m. Jan. a. 1668.)

Thesis I. Atque ita fere perſtrinximus veterum de ſummo Bono ſententias. Carneades autem, ſi M. Piſoni apud Tullium lib. 5. de Fin. cap. 6. 7. et 8. credimus, *vidit non modo quot fuiſſent adhuc philoſophorum de ſummo bono, ſed quot omnino eſſe poſſent ſententiae.* Sed ratio ejus multis modis non conſtat, atque *Nil dignum tanto fert hic promiſſor hiatu.* Id interim inſtituit docere ſic. Primo ſtatuit, Scientiam de Fin. bon. ac mal. tractantem, ſeu Artem adipiſcendi ſummum bonum, quam etiam Artem vitae et Prudentiam vocat, principaliter verſari circa *Prima invitamenta naturae;* ſic enim ait: *Conſtitit ſere inter omnes, id in quo Prudentia verſaretur et quod aſſequi vellet, aptum et accommodatum naturae eſſe oportere, et tale ut ipſum per ſe invitaret et alliceret appetitum animi, quem ὁρμὴν Graeci vocant. Quid autem ſit quod ita moveat, itaque a natura in primo ortu appetatur, non conſtat, deque eo inter philoſophos, cum ſummum bonum exquiritur, omnis diſſenſio eſt. Totius enim quaeſtionis, quae habetur de finibus bonorum et malorum, cum quaeritur in his quid ſit extremum et ultimum, fons reperiendus eſt, in quo ſint Prima invitamenta naturae. Quo invento, omnis ab eo quaſi a capite de ſummo bono et malo diſputatio ducitur.* Fundamentum quod hic jacit, nullum eſt; falſum enim eſt, *Prima invitamenta naturae, quae apta nobis ſunt et accommodata, quae invitant et alliciunt appetitum ſeu ὁρμὴν*, conſideranda eſſe tanquam capita hujus ſcientiae, unde omnis poſtea diſſertatio ducenda ſit. Nec alio ſpectat haec doctrina niſi ut manibus pedibuſque in Epicuri ſententiam ac ſcholam (haram fere dixeram) eamus; in qua equidem veterum plerique ſtabulantur nolentes, et vel maxime tetrici illi ac torvi, Epicuri flagra, Stoici. Quae enim commemorare jam ingreſſus eram, ſunt his cum veteribus Academicis Peripateticiſque communia Principia, nec alio nos quam ad Epicurum agunt.

II. Ut igitur (quod ante diſp. I. th. 1. promiſimus; et fidem jam nunc pro parte liberavimus diſp. I. th. 9. et 10.) veram inter haec ſententiam, ſummo quaſi digito per intervalla deguſtandam praebeamus: Caput et fons iſtius, quae de ſummo bono tractat,

Difciplinae, e quo omnis in eam fcaturire debet differtatio, hic eft, quod ex diligenti et matura noftrûm ipforum infpectione clariffime videamus, et confcii nobis intime fimus, nos noftri juris non effe, totos nos in alterius effe poteftate. Neque id politice, civiliter, vel defpotice, quemadmodum inter nos et cives magiftratui, et fervi heris fuis obnoxii funt (forte jugum illud excutere, forte nos in libertatem vindicare quandoque poffemus), fed naturaliter, effentialiter, immutabili fato, et fummâ neceffitate. (Qui pro more aevi noftri, quo nemini pietas in ore non calet, dici haec a nobis autumat, apodixim infra ac evidentem hujufce rei demonftrationem exfpectet; interea libellum meum adeat de Virt. Card., praefertim ubi tractat illud coelo delapfum γνῶθι σεαυτόν, et in fe ipfo cognofcendo verfatur, atque inveniet forte quod faciat fatis.) Adeo ut aequalis vis ac par fit neceffitas, et quae partem toto, et quae nos Deo minores, fubditos et fervos effe cogat. Ex quo manifefte fequitur, primum et ante omnia difpiciendum nobis effe de obligatione, lege, ac jure, quo Deo, cujus in imperio ac poteftate tam neceffario fumus, obftricti tenemur; non vero de falute aut incolumitate noftra, non de commodo, voluptate, folatio, aliove omnino quoquam, quod ad nos referre folemus, et partem aliquam felicitatis ac beatitudinis noftrae conftituere videtur. Quemadmodum enim Conful qui eft, confulere civibus fuis debet, fic fervus, quamdiu fervus eft, inquirere primum atque attendere quid herus mandet, tum id ipfum exfequi et perficere gnaviter. Verum et hic liberare fe poteft, et ille maftratu abire, adeoque lege illâ feu confulendi feu ferviendi non amplius teneri; nos autem homines univerfi et finguli, in Dei fervitio cum fimus, manumitti nunquam poffumus. Nemo eft qui nos hinc folvat aut liberet; nullum nobis, quo aliquando redimamur, peculium eft. Perpetuum igitur officium, et femper nobis incumbet; femper ergo ei vacandum erit, femper inquirendum quid Deus mandet, et femper hoc faciendum quod mandat; alio nufquam intendendus unquam animus, hoc enim effet officium manifefte deferere. Quanta vero fit in ea fervitute, quam Deo fervimus, libertas, imo regnum atque dominatio, et contra in libertatis affectatione quanta fit fervitus, quanta calamitas, nos alias. Tu interea fi placet adi Tract. de Virt. Card. pag. 23. n. 4. etc.

III. Secundo ftatuit Carneades, tria effe poffe, quae in confiderationem venire mereantur, cum de Primis iftis naturae invitamentis agitur; fcilicet voluptatem, indolentiam, et prima fecundum naturam; *in quibus*, inquit, *primis fecundum naturam numerant incolumitatem, confervationemque omnium partium, valetudinem, fenfus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, caeteraque generis ejufdem; quorum fimilia funt prima in animis, fcilicet quafi virtutum igniculi et femina.* Quae multis iterum modis vitiofa funt. Imprimis enim tria capita numerantur, voluptas, indolentia, et prima fecundam naturam; quid ergo caufae eft, fecundum repetere in tertio? nam *vacuitas doloris*, quae numeratur inter *prima fecundum naturam*, idem eft quod *indolentia*, quae in *capitibus* recenfetur. Reftant igitur duo tantum capita, fcilicet *voluptas* et *prima fecundum naturam.* Sed cur *voluptas* etiam non conjicitur aut refunditur in *prima fecundum naturam?* Certe Epicurus id fecit; cum enim prima fecundum naturam, feu principia naturalia (video enim haec pro iifdem haberi a veteribus), non aliud fint quam quae prima natura approbavit (2. 13.), Epicurus diferte dicit, *omne animal fimul atque natum fit, voluptatem appetere, eaque gaudere ut fummo bono; dolorem afpernari ut fummum malum, et quantum poffit a fe repellere; idque facere nondum depravatum, ipfâ naturâ incorrupte atque integre judicante* (1. 9.). Hujus itaque calculo voluptas etiam in principiis naturalibus ponitur. Sed Cato non probat. *In principiis naturalibus*, inquit, *plerique Stoici non putant voluptatem effe ponendam; quibus ergo vehementer affentior, ne fi voluptatem natura pofuiffe in iis rebus videatur, quae primae appetuntur, multa turpia fequantur* (3. 5.). Ridet Epicurus, et *turpe* cum dicunt, ait eos inani voce fonare; ficut enim *honeftum quid fit, fi non eft in voluptate, negat fe intelligere, nifi forte illud quod multitudinis rumore laudatur* (3. 15.), fic nec *turpe* quid fit, intelliget (oppofitorum enim eadem eft fcientia, ut Scholae loquuntur), nifi quod infame eft, et multitudinis vituperatione laborat. Et tandem fi cum Summo Bono (quod Epicurus voluptatem effe voluit) turpitudo confiftat, negabit hanc in malis effe; fin minus, referatur fane in numerum Principiorum naturalium voluptas, negabit inde turpitudinem aliquam confequi. Iraque Cato, Epicurum cum occulte fupplantas, hîc tibi haeret aqua. Equidem cum illic de fontibus et Principiis

naturalibus adhuc ageres, ex quibus Summum Bonum fummumque Malum derivare inftitueras, quid negotii erat, turpitudinem (quam in malis effe reponendam, demonftrare tibi incumbebat) necdum natam, et demum conftitutis fontibus ac Principiis naturalibus oriundam comminifci, eâque quafi jam tum fubfifteret, ad redarguendum uti? Modeftius Cicero; hic enim primo quidem verbo negans voluptatem effe inter Prima invitamenta naturae, tandem tamen difficilem quaeftionem effe dictitans, rem in medio relinquit. *Nec vero*, inquit, *ut voluptatem expetat, natura movet infantem, fed tantum ut fe ipfe diligat, ut integrum fe falvumque velit; omne enim animal fimul ut ortum eft, et fe ipfum et omnes partes fuas diligit, duafque res quae maximae funt, imprimis amplectitur, animum et corpus, deinde utriufque partes. Nam funt et in anima praecipua quaedam et in corpore, quae cum leviter agnovit, tum difcernere incipit, ut ea quae prima data funt naturâ, appetat, afperneturque contraria. In his primis naturalibus, voluptas infit nec ne, magna quaeftio eft* (2. 11.). Et adhuc fignificantius 5. 16.: *In enumerandis autem corporis commodis, fi quis praetermiffam a nobis voluptatem putabit, in aliud tempus quaeftio differatur; utrum enim fit voluptas in iis rebus, quas primas fecundum naturam effe diximus, nec ne fit, ad id quod agimus nihil intereft. Si enim (ut mihi quidem videtur) non explet bona naturae voluptas, jure praemiffa eft; fin eft in ea (quod quidam volunt), nihil impedit noftram hanc comprehenfionem fummi Boni.* Ubi quidem vehementer errat, cum nihil intereffe dicit, utrum voluptas fit in iis rebus quae fecundum naturam dicuntur, nec ne. Pendet enim inde profecto, utrum ipfe cum Ariftippo vel Epicuro vel Calliphone Dinomachoque, an vero cum Academicis, Peripateticis, aut Stoicis faciat. Sed de his infra latius. Nam defectiva illa Primorum naturae et anceps enumeratio, qua nec plene numerantur unquam, et de quibufdam, an eo numero effe debeant, femper ambigitur, hanc omnem apud veteres de fummo bono quaeftionem dubiam perplexamque reddidit.

IV. Tertio ftatuit Carneades, tantum illa tria, *voluptatem, indolentiam*, et *prima fecundum naturam*, poffe venire in confiderationem, cum de Primis naturae invitamentis quaeritur. *Ex his tribus*, inquit, *cum unum aliquod fit, quo primum natura moveatur vel ad appetendum vel ad repellendum, nec quidquam omnino praeter haec tria effe poffit,*

*etc.* Sed ifta cum non probet, quae gratis aftruit, cur nobis concedenda fint non video. Nam quare non poteft quidquam praeter haec tria effe, quo primum natura moveatur? Quare non Scientia, quam Herillus fummum, imo fortaffis unicum bonum effe voluit (5. 8.)? Forte ne illa etiam eft inter *prima fecundum naturam?* Videtur id Cato affirmare: *Cognitiones*, inquit, (*vel fi hic verba minus placent, καταλήψεις appellemus licet*) *eas igitur ipfas propter fe afcifcendas arbitramur, quod habeant quiddam in fe quafi complexum et continens veritatem; id autem in parvis intelligi poteft, quos delectari videamus, etiamfi eorum nihil interfit, fi quid ratione per fe ipfi invenerunt. Artes autem ipfas propter fe affumendas putamus, tum quia fit in his aliquid dignum affumptione, tum quod conftent ex cognitionibus, et contineant quiddam in fe ratione conftitutum et viâ. A falfa autem affenfione magis nos alienatos effe, quam a caeteris rebus quae funt contra naturam, arbitramur.* 3. 5. Similia non Stoici tantum, fed etiam Peripatetici dicunt; ut videre potes 5. 18. et 19. elegantiffima. Quare vero Democriti fecuritas, quae eft animi tanquam tranquillitas, quam εὐθυμίαν vocant, non venit in numerum aliquem Invitamentorum naturae? Cicero forte aliquid refpondeat: *eo*, inquit, *Euthymia feparanda fuit ab hac difputatione, quia ifta animi tranquillitas, ea ipfa eft beata vita; quaerimus autem non quae fit, fed unde fit.* 5. 8. Hîc Cicero Summum Bonum a Beata Vita diftinguit, et illud hujus caufam effe monet. Praeclarum monimentum! (fummum enim Bonum, quod aliud effe non poteft quam Virtus, perpetuo quaerendum; Beata vita non quaerenda, fed fperanda ac expectanda eft.) Sed ita leviter et perfunctorie conftitutum eft, ita hîc fimul et femel ponitur nec recurrit alias, ut tantum cafu conftituiffe perfuafum habeam. Quid enim? cur eodem argumento, quo Democritus eliditur, non premitur Epicurus? cur eodem jure, quo ab hac Difputatione *Securitas* amandatur, non exfulat *Voluptas?* Nam cum plurimum voluptati tribuerimus, Beatam Vitam voluptate contineri dicemus; ea vero quae maxime ad voluptatem faciunt (ut funt, ipfo etiam Epicuro tefte, Virtus et Sapientia: clamat enim is *non poffe jucunde vivi, nifi fapienter, honefte, jufteque vivatur*, 1. 18.), ad Summum Bonum referenda fuerint. Certe haec urgent Epicurum, et Voluptatem ejus de fede fummi Boni deturbant; aut quae fimilia in Democritum

ante jactata ſunt, nihil etiam urgent Democritum, et Securitas ejus in ſolio Summi Boni reſidet ſecure. Sed eſto, Securitas non ſit Summnm Bonum, nihilo minus ad Prima invitamenta naturae pertinere poterit; eodem jure quo Prima naturae in numerum illum apud Stoicos veniunr. Stoici enim Summum Bonum non ponunt in Primis ſecundum naturam, et tamen haec habent pro Primis naturae invitamentis.

V. His ita jactis in arenam fundamentis inaedificat Carneades acervum potius quam ſtructuram non malis tantum fundamentis, ſed ſuis etiam vitiis laborantem. Ait enim, hiſce poſitis, Summum Bonum vel eſſe unum ex tribus invitamentis naturae, vel eſſe honeſtatem, quae in proſecutione unius de tribus illis invitamentis elucet. Adeoque ſex jam nunc fines ſimplices emerſiſſe: 1. voluptatem, 2. indolentiam, 3. prima ſecundum naturam, 4. honeſtatem quae ex proſecutione voluptatis, 5. honeſtatem quae ex proſecutione indolentiae, 6. honeſtatem quae ex proſecutione primorum ſecundum naturam exſurgit. *Neceſſe*, inquit, *omnino eſt*, *officium aut ſequendi aut fugiendi ad eorum* (trium ſcilicet Invitamentorum naturae) *aliquid referri*, *ut illa prudentia*, *quam artem vitae eſſe diximus*, *in earum trium rerum aliqua verſetur*, *a qua totius vitae ducat exordium. Ex eo autem quod ſtatutum ſit*, *quo primum naturae moveatur*, *exſiſtet etiam recti ratio atque honeſti*, *quae cum uno aliquo ex tribus illis congruere poſſit; ut aut id honeſtum ſit*, *facere omnia voluptatis cauſâ*, *etiamſi eam non conſequare; aut non dolendi*, *etiamſi id aſſequi nequeas; aut eorum quae ſecundum naturam ſunt adipiſcendi etc. Sed igitur hae ſunt ſimplices de ſummo bonorum malorumque ſententiae: duae ſine patrono*, *quatuor defenſae.* Sine patrono ſunt iſtae quae ſummum bonum in proſecutione voluptatis aut indolentiae reponunt, ſeu potius in honeſtate iſtius proſecutionis. *Nam voluptatis cauſa facere omnia*, *etiamſi nihil conſequamur*, *tamen ipſum illud conſilium ita faciendi per ſe expetendum et honeſtum eſſe nemo dicit; ne vitationem quidem doloris ipſam per ſe quiſquam in rebus honeſtis eſſe putavit*, *ne ſi etiam evitare poſſet.* Quatuor autem quae defenſae ſunt ſententiae: 1. voluptas ab Ariſtippo, 2. indolentia ab Hieronymo, 3. frui rebus iis quae ſecundum naturam ſunt a Carneade, tandem 4. *facere omnia ut adipiſcamur eas res*, *quae ſecundum naturam ſunt*, *etiamſi eas non aſſequamur*, *id eſſe et honeſtum et ſolum per ſe expetendum et ſummum*

*bonum, Stoici dicunt.* Atque ita explicati funt fex fines fimplices; quibus cum duo detracti fint, remanent modo quatuor. *Junctae autem et duplices expofitiones fummi Boni tres omnino fuerunt; nec vero plures, fi penitus rerum naturam videas, effe potuerunt. Nam aut voluptas adjungi poteft ad honeftatem, ut Calliphoni Dinomachoque placuit; aut doloris vacuitas, ut Diodoro; aut prima natura, ut antiquis, quos eofdem Academicos et Peripateticos nominamus.*

VI. Atque haec ftructura, cujus Carneades architectus eft. In qua primo quidam illud defectivum eft et mancum, quod in finibus fimplicibus, velut unus item fimplexque finis numerentur Prima fecundum naturam. Ipfum quod ibi fonat nomen renuit fic tractari; nec enim ibi res una producitur in medium (ficuti cum voluptatem aut idolentiam dicimus), fed plauftrum rebus compluribus refertum. Inter quas aliquae, velut voluptas, doloris vacuitas, et fimiles, utrum lateant, adhuc ambigitur inter fummos Philofophos; quae nec figillatim exponuntur, fed fere cum claufula, et fimilia ejufdem generis, nec eaedem femper, fed alias aliae. Si quidem univerfa Prima fecundum naturam accipiantur, feu, ut Scholae loquuntur, fi vocabulum quod ibi jacet, copulatim fumatur, fateor acervum illum feu congeriem Primorum fecundum naturam, unum fimplicemque finem poffe conftituere; fed quis vetat fingula capere, feu idem vocabulum, ut Scholae loquuntur, fumere divifim? Nihil fane. Nafcentur ergo fines fimplices, praeter eos qui a Carneade conftituti funt, quamplurimi, nam alius animum, alius corpus, alius robur, alius pulchritudinem, aliique alia fummum bonum ducent. Etiamfi enim haec in Primis naturae contineantur, inde non plus efficitur, quam univerfa finem unum conftituere; quod nihil impedit, quominus fingula etiam fingulos conftituant. Sint enim exempli caufa tres binarii; univerfi unum tantum numerum conftituunt, nempe fenarium, at finguli etiam fingulos numeros conftituunt, nempe binarios, ut funt. Secundo, eo etiam vitium facit haec ftructura, quod *junctas et duplices expofitiones fummi Boni, tres omnino effe, nec plures effe poffe,* Carneades voluerit. Quatuor enim funt fines fimplices, nempe *voluptas, indolentia, prima fecundum naturam,* et *honeftas* (ut ipfe jam proxime dixit Th. 5.). At quatuor quaepiam non tribus tantum, fed omnino fex modis geminari conduplicarique poffunt. Igitur in duplicibus

expoſitionibus primo loco (ut alias ſilentio praetermittam) Epicuri expoſitio manifeſte ſupprimitur, quae ex vacuitate doloris ac voluptate conflatur. Quam licet Epicurus ſimplicem eſſe dicat, tamen (monente id ſaepius et inculcante Cicerone) *ſpectandum non eſt quid dicat, ſed quid conſentaneum ſit ei dicere.* Vide diſp. I. th. 8. Jam triplices expoſitiones ſummi Boni cur non adferuntur? (hae enîm rurſum multae, et quatuor inter ſe triplicari poſſunt quater) cur non univerſae (ſeu omnes quatuor ſimul) adferuntur? Sane quod Cicero de Philoſophis duplicium illarum expoſitionum auctoribus, id ego jure merito de Carneade cenſeo: Cum multiplicat fines, *cur id tam parce tamque reſtricte faciat, non intelligo; quaſi enim emendum ſit ei quod addat ad virtutem* ſeu honeſtatem, *primum viliſſimas res addit* (voluptatem ſcilicet ac indolentiam), *deinde ſingula potius quam omnia.* 2. 13.

VII. Denique ruinam manifeſte minatur, aut verius agit Carneadea ſtrues, dum leviſſimae rei (ſtudio et conatui acquirendi quae ſecundum naturam ſunt) Honeſtas imponitur, moles illa tam gravis et ſolida. *Honeſtum id intelligimus*, inquit Cicero, *quod tale eſt ut detractâ omni utilitate, ſine ullis praemiis fructibuſque, per ſe ipſum poſſit jure laudari.* 2. 14. Item *quod tale eſt, ut ſi ignorarent id homines, vel ſi obmutuiſſent, pulchritudine ſuâ tamen eſſet ſpecieque laudabile.* 2. 15. Definitio quidem non omnibus numeris abſoluta (nam rivulum duntaxat aliquam honeſtatis demonſtrat, digitum non intendit ad fontem), talis tamen quam feras; quod et Cicero ibidem agnoſcit: *Quod Honeſtum quale ſit*, inquit, *non tam definitione qua ſum uſus intelligi poteſt, quanquam aliquantum poteſt, quam communi judicio et optimi cujuſque ſtudiis atque factis; qui permulta ob eam unam cauſam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honeſtum eſt, etſi nullum conſecuturum emolumentum vident.* 2. 14. Sit igitur ita ſane, et Honeſtum dicamus quod per ſe laudabile eſt; quis eum laudandum cenſeat, qui ſuâ cauſâ et propter ſe omnia faciat? Quid autem aliud eſt, *omnia te facere ut adipiſcaris prima naturae*, omnia te *ad incolumitatem, ad valetudinem tuam, ad membrorum tuorum integritatem, vacuitatem doloris, vires, pulchritudinem, caetera generis ejuſdem* (adde etiam ad ſimilia animi bona tua, ſcientiam et virtutem) ſeu obtinenda ſeu conſervanda referre, quam te propter te et tuâ cauſâ omnia facere?

Quam ergo laudem merearis, si ita feceris? Quod si ita faciendo nullâ sis laude dignus, etiam fatearis necessum est, quod isto pacto faciebas, honestum non fuisse. Praeclarum est illud Ciceronis in L. Torquatum: *Dic in quovis conventu, te omnia et in magistratu et in omni vita, utilitatis tuae causâ facturum, nihil nisi quod expediat, nihil denique nisi tuâ causâ; quem clamorem concionis, aut quam spem consulatus ejus, qui tibi paratissimus est, futuram putes?* 2. 23. Quod telum quamvis tantum in voluptatem, quam Torquatus ut Epicuri sectator defendebat, distrinxerit; tamen, et eo *prima secundum naturam*, velit nolit ipse, petuntur, et commentitia illa cum Stoicorum tum Peripaticorum Academicorumque honestas, cui id muneris demandaverant uti *Prima* illa conquireret, jugulatur. Quid ergo revera Honestum? Quod fit quia Deus jussit, atque ibi gradum sistit, nec alio quoquam tendit. Equidem, dum quae secundum naturam sunt, obtinere nitimur, saepe facimus quod Deus jussit; sed hoc non est ad honestatem satis: cognoscendum est et sciendum bene, jussisse Deum, tunc exsequendum quia jussit; et ideo solum quia jussit, non ob aliud quidquam, quod vel seorsim vel simul cum Lege Dei ad agendum trahat, impellat, urgeat, aut quomodocunque moveat. Quidquid ab harum condicionum aliqua deflexit, a toto Honesto descivit, et turpe est. Itaque quae secundum naturam sunt, sibi comparare, vel ad comparandum ea niti ac studere, nunquam suo nomine, nunquam per se honestum est (ut per se honestum esse, istis ipsis verbis, nimis quam fidenter, ne dicam impudenter Veteres illi et Ethnici Philosophi nobis oggannniunt), sed ad summum *per accidens*, ut Scholae loquuntur, et alieno nomine, scilicet intentione ac proposito Divinam Legem exsequendi, cujus et dictamen (forte de valetudine, robore, pulchritudine, aliisque id generis seu quaerendis seu retinendis) rite percepimus, et eo solo velut inflammati ferimur ad parendum.

VIII. Itaque ergo Carneades cum *non modo quot fuissent Philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententias* in medium producere pollicitus esset, veram sententiam non invenit; paucas aliquot falsas, celebres quidem istis temporibus, sed forte non non ita magni momenti magnaeque considerationis, tumultuarie admodum atque confuse collegit. Certe calculus non respondet opinioni. Quin igitur nos meliorem aliquam rationem inimus? Igitur ambage

miſſâ: Duo tantum ſummi fines ſunt, quorum alterum amor Dei, alterum amor Mei conſtituit; hic turpis, honeſtus ille eſt. Nam quidquid ago, aut quia Deus praecepit, aut quia mihi placet ago; hoc agendo malus, illud agendo bonus ſum. Proinde ſive voluptatem corporis cum Epicuro ſector; ſive valetudinem, incolumitatem, robur, et pulchritudinem corporis cum Stoicis, Peripateticis, et Academicis curo; ſive etiam ſcientiis et virtutis operibus vaco; — ſi quid horum, quia mihi placet, quia me juvat, quia me placat aut ſolatur, affectem (hujuſne an illius generis ſit, non intereſt), malus ſum et pecco. Quamdiu enim amor Dei (id eſt, firmum propoſitum Deo ſerviendi, ſeu legem ejus exſequendi) non elidit amorem mei; — hoc agam an illud; aliud forte ſpecioſum magis et populare, aliud abſurdum, foedum, vel etiam ridiculum; caeterum, quod ad rem ipſam attinet, in iiſdem haerebo ſcopulis.

## III.

## IN EPICURUM I.

(D. 29. m. Febr. a. 1668.)

Thesis I. Ita fere circumſcripta nobis eſt, et velut extremis lineamentis adumbrata, tota haec quae de finibus bonorum ac malorum a M. Tullio conſtituta diſputatio eſt; examinatae veterum Philoſophorum ſententia, quot eſſent, quaeque eſſent; diſcuſſae rationes; ex noſtro penu interpoſita ſubinde veritas; omnia paucis, ut compendii ratio requirebat, quantum tamen intelligenti ſatis eſſet. Eadem nunc accuratius retractanda ſunt, inſtandumque operi, et ſuis coloribus depingendum ab unguiculo (ut ait Comicus) ad capillum ſummum. Incitat nos et tantum non urit M. Piſonis apud Tullium lib. 5. de Fin. cap. 6. oratio et praeclara et vera: *Conſtituto*, inquit, *in Philoſophia ſummo bono, conſtituta ſunt omnia; nam caeteris in rebus ſive praetermiſſum ſive ignoratum eſt quidpiam, non plus incommodi eſt quam quanti quaeque earum rerum eſt, in quibus neglectum eſt aliquid; ſummum autem bonum ſi ignoretur, vivendi rationem ignorari neceſſe eſt; ex quo tantus error conſequitur, ut quem in portum ſe recipiant, ſcire non poſſint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur quid ſit et bonorum extremum et malorum, inventa vitae via eſt conformatioque*

*omnium officiorum.* Et noster ille magnus accedit: *Philosophia velut arbor est; radix Metaphysica, truncus Physica, rami Scientiae aliae omnes; quae ad tres praecipuas revocantur, Medicinam scilicet, Mechanicam, atque Ethicam. Ethicam autem altissimam et perfectissimam morum disciplinam intelligo* (praesertim ea parte, qua summum Bonnm tractat), *quae integram aliarum Scientiarum cognitionem praesupponens, ultimus ac summus sapientiae gradus est.* Praefat. in Princ. Phil. n. 10.

II. Sigillatim igitur de Epicureis, de Stoicis, de Peripateticis, Ciceronis institutum secuti, dicamus. Quid multa? Prima veniat in medium Epicuri ratio, pervagata jam olim longe lateque, et prae reliquorum philosophorum sententiis multo celeberrima; tot una sectatores habuit, quot caeterae pene universae. *Nobis Philosophus Epicurus, a quo non solum Graecia et Italia, sed etiam omnis Barbaria commota est.* 2. 15. Etiamnum tempore Ciceronis Epicurei quamplurimi, maxime e vulgo; *et quod quaeritur saepe, cur tam multi sint Epicurei etc.* 1. 7. Item, *cum Epicuro hoc plus est negotii, quod ex duplici genere voluptatis conjunctus est, quodque et ipse, et amici ejus, et multi postea defensores ejus sententiae fuerunt, et nescio quo modo is qui auctoritatem minimam habet, maximam vim habet, populus cum illis facit.* 2. 14. Etiamnum Senecae temporibus: *vides*, inquit, *Epicurum quantopere non tantum eruditiores, sed haec quoque imperitorum turba miretur.* Epist. 79. Ad haec, *Epicureae scholae perpetua successio, quae eaeteris ferme omnibus* aliorum Philosophorum scholis *deficientibus, sola persistit perpetuis vicibus, discipulis sibi invicem succedentibus*, inquit Diogenes Laërtius lib 10. de Vit. Phil. *Epicuro ipsi statuae aereae a civibus suis positae.* ibid. *Ejus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis et in annulis habent*, Atticus apud Ciceronem de Epicureis sui temporis. 5. 1. Sed haec eum a morte demum nominis sui ac famae consecuta celebritas; nam cum in vivis ageret, *ignotus ipsis Athenis fuit, circa quas delituit. Multis itaque jam annis Metrodoro suo* (discipulo carissimo, multis editis in lucem libris clarissimo, et pene altero Epicuro) *superstes, in quadam epistola, cum amicitiam suam et Metrodori grata commemoratione cecinisset, haec novissime adjecit: Nihil sibi et Metrodoro inter bona tanta nocuisse, quod ipsos illa nobilis Graecia non ignotos solum habuisset, sed paene etiam inauditos. Numquid ergo non postea*

*quam esse desierat, inventus est? numquid non opinio ejus emicuit? Hoc Metrodorus quoque in quadam epistola confitetur, se et Epicurum non satis emicuisse, sed post, se et Epicurum magnum paratumque nomen habituros apud eos qui voluissent per eadem ire vestigia.* Ita Seneca Epist. 79. Amici tamen et familiares, *quos dogmaticae ejus Sirenes occuparant*, etiam cum vixit, quamplurimi; nullumque disciplinae suae desertorem habuit, praeter Metrodori fratrem, qui ad Carneadem defectus, horrenda quaedam (Laërtium consule) non minus impudenter quam impie in Epicuri caput immerentis (moribus enim, quod in loco videbimus, admodum probus hic et integer) debacchatus est.

III. Sed unde tanta illis temporibus hujus sectae popularitas? Sunt aliae quoque causae; sed multitudinem haec maxime alliciebant. Primo quia Epicurei Disciplinas omnes, illas scilicet stricte dictas, solis atque nudis demonstrationibus subnixas (quae vulgo, et praesertim adolescentibus tam tetricae et morosae videntur), a Schola sua quam severissime proscribebant. Ipse Epicurus in epistola ad Pythoclem, citante Diog. Laërtio, sic scribit: *omnem autem disciplinam, o fortunati, fugite.* Sed inter caeteras Disciplinas, cane pejus et angue (ut dici solet) Dialecticam atque Logicam oderant. Quod quam sit populare, quam juvenilibus ingeniis arrideat, plus satis (nobis tacentibus dicamne an obstupentibus?) demonstrat hodierna corruptela; morem enim hic dicere nolui. Primum igitur Epicurus Logices ignarus; post ipsum discipuli et sectatores ejus (nam similes habent labra lactucas) in hac Arte, quae una veri falsique disceptatrix et judex est, penitus inertes et rudes fuerunt. *In illa Philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae λογικὴ dicitur, Epicurus plane inermis ac nudus est; tollit Definitiones; nihil dividendo aut partiendo dicit; non quomodo efficiatur concludaturque ratio tradit; non qua viâ captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit.* I. 7. Neque id obscure ferebant Epicurei. *In Dialectica autem vestra* (verba sunt Torquati ad Ciceronem) *nullam Epicurus vim existimavit esse, nec ad melius vivendum, nec ad commodius disserendum.* I. 19. Hinc a Cicerone, argutissimo sane Dialectico, et ultimarum etiam in ea Disciplina tricarum peritissimo, tam saepe et tam lepide magister eorum vapulat: *Ab Epicuro, qui totam Dialecticam et contemnit et irridet, non im-*

*petres, ut verum esse concedat quod ita effabimur: Aut vivet cras Hermachus, aut non vivet; cum Dialectici sic statuant, omne quod ita disjunctum sit, quasi: Aut etiam, aut non, non modo verum esse, sed etiam necessarium. Vide quam sit cautus is, quem isti tardum putant; si enim, inquit, alterutrum concessero necessarium esse, necesse erit, cras Hermachum aut vivere, aut non vivere; nulla autem est in rerum natura talis necessitas.* Cic. lib. 2. Acad. quaest. cap. 30. Atque ita quamplurimis in locis Ciceroni ludibrium debet Epicurus, dum aut definire renuit, aut non potest (qua re nominatim in Voluptate lapsus est; cum enim non definiat illam, posteaque cum vacuitate doloris imperitissime confundat, omnia in ratione sua turbavit et miscuit. Vide sis lib. 2. de Fin. cap. 2. usque ad 7.), aut inepte dividit, duo genera tria facit, et partem in genere numerat (quod in cupiditatum divisione passus est; vide ibid. cap. 9.). Aut saepe sibi contradicit, et idem ait alias, ac alias negat (poena, quam nunquam a contemptoribus suis Dialectica non sumit), et sibi voluptatem vehementius eructanti oppedit ipse (verbi gratia alias, honestum quid sit, negat se intelligere, inanem esse vocem dicit, cui nulla vis, nulla significatio subjecta sit; alias, non posse jucunde vivi nisi honeste, juste, sapienterque vivatur (vide lib. 2. de Fin. cap. 15.). Et sexcenta talia sunt, quibus Dialecticae contemptum magno suo opprobrio luit Epicurus. Graviter ergo de illo concludit Cicero: *Cum Dialecticam contemnit Epicurus, quae una continet omnem, et perspiciendi quid in quaque re sit scientiam, et judicandi quale quidque sit, ac ratione et viâ disputandi, ruit in dicendo.* 2. 6.

IV. Unde etiam Epicurei Socraticam illam et vere Logicam, quae per minutas interrogatiunculas et alternas responsiunculas exigitur, Disputationem minime ferebant. *Socrates enim, qui parens Philosophiae jure dici potest, percunctando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones quibuscum disserebat, ut ad ea quae ii respondissent si quid videretur, diceret.* 2. 1. Eam disputandi formulam Socrates cum nondum ex ephebis excessisset, accepit a Parmenide jam sene; ita enim Socratem cum hospite Philosopho, in libro isto qui Sophista inscribitur, colloquentem facit Plato: *Verum nobis imprimis declara, utrum per te ipsum perpetuâ oratione, quod docere velles, exponere consueveris, an potius interrogando, quemadmodum solebat*

*Parmenides; quem ego adolescentulus audivi quondam ita disputantem, admodum senem, rationesque pulcherrimas adferentem.* Et respondet hospes ille *e superis unus* (talem enim Socrates esse suspicabatur): *Si amice quis et placide respondeat, facilius est cum alio interrogando differere; sin contra, per se ipsum quisque facilius disputat.* Hunc disputandi morem divinus quoque Plato a Socrato magistro suo mutuatus est; tantum enim dialogos scribit, et in his fere Socrates primarum partium est. *Qui mos cum a posterioribus non esset retentus, Arcesilas eum revocavit, instituitque ut ii qui se audire vellent, non de se quaererent, sed ipsi dicerent quid sentirent; cum dixissent, ille contra; sed qui audiebant, quoad poterant defendebant sententiam suam.* 2. 1. Hanc disputandi normam a vetustissimis traditum Philosophis, tam naturalem et simplicem, tam facilem et accommodatam inquirendae veritati, magnam partem Syllogismorum suorum tautologiis, et velut pompis quibusdam ac ambagibus defloravit Aristoteles, quem hodie Scholae omnes sequuntur. Quanquam et haec usum habent quandoque; sed vero nihil inter disputandum adferre velle, cum ipse disputas et argumentaris, nihilque admittere, cum disputationem sustines sententiamque tuam defendis, nisi quod istâ formâ conclusum circumscriptumque sit, aut ineptissimae vanitatis est, aut fastidii delicatissimi. Epicurei utramque formam disputationis perosi; hanc, quod difficilis, et Disciplinam manifeste redoleat, illam, quod liquida, et atramentum, quo opinionis eorum inficitur tegiturque sepia, nullo negotio diluere abstergereque posse videatur. Eam solummodo probant differendi rationem, quae in oratione pepetua versatur; ut iis qui audiunt tacentibus, ipsi soli loquantur; cum peroraverint, alii eodem pacto, si quid improbandum censuerint, refellant. Hinc Torquatus apud Ciceronem, Epicuri sententiam propugnaturus, mox ab initio hanc interponit condicionem: *uti oratione perpetuâ malo, quam interrogare et interrogari.* 1. 8. Et postea tamen crebris istis interrogatiunculis quae ad vivum urgent, a Cicerone lacessitus, tandem impatiens: *finem*, inquit, *interrogandi si videtur; quod quidem ego a principio ita me malle dixeram, hoc ipsum praevidens, Dialecticas captiones.* 2. 6. Captiones sane et laquei, ad vinciendam et strangulandam falsitatem omnem opportunissimi. Praeclare Tullius et perhumaniter: *Ego autem arbitror, quanquam admodum delectatus sum*

*ejus* (Torquati) *oratione perpetuâ, tamen commodius, cum in rebus singulis insistas, et intelligas quid quisque concedat, quid abnuat, ex rebus concessis concludi quod velis, et ad exitum perveniri. Cum enim fertur quasi torrens oratio; quamvis multa cujusque modi rapiat, nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coërceas.* 2. 1.

V. Jam Mathematicae disciplînae eâdem Epicuro pensantur trutinâ. Cicero in illum invehens: *Nec illud quidem Physici est, credere aliquid esse minimum; quod profecto nunquam putavisset* Epicurus, *si a Polyaeno familiari suo Geometriam discere maluisset, quam illam etiam ipsum dedocere. Sol Democrito* (a quo omnia sua suffuratus est Epicurus, et quae in his corrigere voluit, deteriora fecit) *magnus videtur, quippe homini erudito, in Geometriaque perfecto; huic* (Epicuro) *bipedalis fortasse; tantum enim esse censet, quantus videtur, vel paulo aut majorem aut minorem.* Neque tam crassam illam magistri sui ignorantiam dissimulant Epicurei: *Ille se, ut Plato, in Musicis, Geometria, numeris, astris conteret? quae et a falsis initiis profecta, vera esse non possunt, et si essent vera, nihil afferrent, quo jucundius, id est, quo melius viveremus; eas ergo artes persequeretur, vivendi artem tantam tamque operosam* (hanc scilicet, quae de finibus bonorum et malorum tractat) *et perinde fructuosam relinqueret?* En expostulatio Torquati cum Cicerone lib. 2. de Fin. cap. ult. Rejectis hunc in modum apodicticis illis strictisque disciplinis, convertuntur ad eas quae laxae magis atque remissae sunt, quae bonam partem sensibus et imaginationi se debent: *Et Physicis quidem maxime gloriatur Epicurus*, 1. 6., amoenissimis illis sane, et inter Philosophica omnia longe jucundissimis juvenilium praesertim ingeniorum illecebris. Haec ut uberrimos quodam Pandectas ducebant Epicurei, e quibus nihil quod ad Philosophiam spectaret promi non posset. *E Physicis*, inquit Torquatus, *et fortitudo sumitur contra mortis timorem, et constantia contra metum religionis, et sedatio animi, omnium rerum occultarum ignoratione sublatâ, et moderatio, naturâ cupiditatum generibusque earum explicatis, et cognitionis regula, et judicio ab eâdem illâ regulâ constituto, veri a falso distinctio traditur.* 1. 19. Igitur, o Adolescentes, si Epicureis illis auscultare volueritis, nil opus vobis sunt tetricae illae, strigosae, siccae (nam sic censere soletis) gerrae, tricae,

ſpinae. Phyſica una ſit vobis inſtar omnium, ſuccida, uber, laeta; una ſuppetit (ut jam nobis narravit Torquatus) quantum a Dialecticâ, quantum a Logicâ, quantum ab Ethicâ ſperari poſſit. Imo ſi ſapitis, aurem obturate potius, et fugite

*Sirenas, hilarem navigantium poenam,*
*Blandaſque mortes, gaudiumque crudele,*
*Quas nemo quondam deſerebat auditas;*

animum alienant a ſuis, mactant, et devorant.

VI. Secundo plurimum huc faciebat genus dicendi, quo Epicurus et ſectatores ejus utebantur, planum, vulgare, ſimplex, ſine pompa, ſine phaleris, incultum, *Terminis artis*, ut vocant, non intricatum, non ſpinoſum, quod proinde a quovis intelligi nullo negotio poſſet. *Utitur in rebus Epicurus vocabulis propriis, quae quoniam ſimpliciſſima ſunt, ea Ariſtophanes grammaticus taxat; adeo autem apertus dictione fuit, ut in libro de Arte Oratoria nihil aliud quam perſpicuitatem orationis inquirendum ac perſequendum moneret*, inquit Diogenes Laërtius in vita ejus. Torquatus etiam apud Ciceronem, *Exiſtimo*, inquit, *te ſicut noſtrum Triarium, minus eo* (*Epicuro*) *delectari, quod iſta Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti orationis ornamenta neglexerit; nam illuc quidem adduci vix poſſum, ut ea quae ſenſerit ille, tibi non vera videantur.* Cui Cicero: *Vide quantum fallare, Torquate; oratio me iſtius Philoſophi non offendit, nam et complectitur verbis quod vult, et dicit plane quod intelligam; et tamen a Philoſopho, ſi afferat eloquentiam, non aſperner; ſi non habeat, non admodum flagitem. Re mihi non aeque ſatiſfacit.* I. 5. Cum vero *Terminos artis* ita penitus expungunt Epicurei, Stoicis id minime probatur, quorum princeps Zeno confinxit quamplurimos; unde et Ciceroni *non tam rerum inventor quam novorum verborum* dicitur. Sed nec ipſi Ciceroni ea Epicureorum popularitas placet: *Nemo*, inquit, *vel mediocriter doctus mirabitur, in omni arte, cujus uſus vulgaris communiſque non ſit, multam novitatem nominum eſſe; cum conſtituantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte verſentur. Itaque et Dialectici et Phyſici verbis utuntur iis, quae ipſi Graeciae nota non ſunt; Geometrae vero, Muſici, Grammatici etiam more quodam loquuntur ſuo. Item ipſae Rhetorum artes, quae ſunt totae forenſes*

*atque populares, verbis tamen in dicendo quafi privatis utuntur ac fuis. Atque ut omittam has artes elegantiores et ingenuas, ne opifices quidem tueri fua artificia poffent, nifi vocabulis uterentur nobis incognitis, ufitatis fibi. Quin etiam Agricultura, quae abhorret ab omni politiore elegantia, tamen eas res in quibus verfatur, nominibus notavit novis. Quo magis hoc Philofopho faciendum eft. Ars eft enim Philofophia vitae; de qua differens, arripere verba de foro non poteft.* 3. 1. De quo Ciceronis elogio, non minus eleganti fane quam Philofophico et rectae rationi confentaneo, viderint illi etiam atque etiam, qui in hifque nominibus (quae *Termini artis* hodi vocantur) traducendis vexandifque, plus jufto licere fibi fubinde voluerint. Quanquam enim cum Stoicis, qui ex omnibus Philofophis plurima nominaverunt, et idcirco plus verborum faepe dixerunt quam rerum, faciendum effe non cenfeam; tamen fi forte quis in arte in qua fe exercet, rem aliquam invenerit inufitatam, cur inauditum quoque ei rei nomen imponere minus illi liceat, non video.

VII. Tertio, celebritatem ifti fectae conciliabat, tum principis Epicuri, tum procerum ejus feu praecipuorum difcipulorum diligentia, fedulitas, indefeffa lucubratio; quae imprimis in componendis edendifque multis ac vaftis voluminibus, tomis, et libris elucebat. *Ipfe Epicurus infinita volumina confcripfit*, inquit Diog. Laërt., *adeo ut eorum multitudine cunctos fuperarit; namque cylindri ad trecentos funt, in quibus nullum extrinfecus quaefitum teftimonium eft, folifque referti funt Epicuri fententiis. Aemulatus quidem illum eft Chryfippus Stoicae difciplinae fectator in fcribendo multa* (*nam fi quid Epicurus fcriberet, tantundem fcribere et Chryfippus contendebat*), *fed tumultuarie et parum emendate propter feftinationem fcripfit, imo et faepius eadem fcripfit; totque teftimonia inferit, ut ex iis folis libri pleni effe videantur; quemadmodum et apud Zenonem ac Ariftotelem invenire in promptu eft.* Tale nihil in fe admittit Epicurus, fi Laërtio credimus; fua promit, alienis abftinet. Sed Laërtio parum fubolet; audiamus emunctioris nafi hominem aliquem. *In Phyficis, quibus maxime gloriatur Epicurus, totus alienus eft; Democrito adjicit, perpauca mutans; fed ita ut ea quae corrigere vult mihi quidem depravare videatur.* 1. 6. Item: *In tertia vero parte Philofophiae, quae eft de vita et moribus, in conftitutione finis, nihil generofum*

*ſapit atque magnificum; confirmat illud vel maxime, quod ipſa natura, ut ait ille, aſciſcat et reprobet, id eſt, voluptatem et dolorem. Quod Ariſtippi eſt, a Cyrenaiciſque melius liberiuſque defenditur.* 1. 7. Sic de Epicuro cenſet Cicero. Tantum igitur abeſt ut totus ſit ſuus, ut quantus eſt, alienus ſit. Cum enim id temporis tres modo celebrarentur Philoſophiae partes, Logicam quidem nullam habuit, Phyſicam Democrito, Ethicam Ariſtippo debuit; quorum teſtimonia quando non adhibet, et quae eorum ſunt pro ſuis venditat, non ſatis magnam tribuit inventoribus gratiam. Simili conatu ac ſtudio, et velut pari jugo diſcipuli ejus, Metrodorus, Polyaenus, Hermachus, plauſtra poſt ſe librorum trahunt, quorum vel ſolas inſcriptiones longum eſſet recenſere; et tandem poſt alios Apollodorus, hujuſque auditor Zeno Epicureus (alius enim hic a Zenone illo, qui Stoicae diſciplinae princeps audit), *quorum ille ultra quadringenta volumina conſcripſit, hic vero infinita ſcripſit*, teſte Diog. Laërtio. Equidem magnos illos libros, quos *foliantes* barbari vocant, eoſque frequentes conſcribere atque in vulgus edere (vel centones illi fuerint, ex aliis temere conſarcinati, aut arte Topicâ amplificatae ad faſtidium naeniae) neſcio miram quam ſpeciem in animis ſignent imperitae multitudinis, ſilentium indicentem, reverentiam, et venerationem. Hiccine tot librorum, tam vaſtorum Auctor ille eſt!

*Quem ſpectabant, cujus ob os Graji ora obvertebant ſua!*

Huc facit etiam Epicureorum in dicendo fervor, ſedulitas, et vocis contentio. *Phaedrum*, inquit Cicero, *et Zenonem* (Epicureae Scholae Scholae tunc temporis moderatores) *audivi cum mihi nihil ſane praeter ſedulitutem probarent.* 1. 5. Item: *Hoc ille Graeculus, me audiente, Athenis, ſenex Zeno, iſtorum* (*Epicureorum*) *acutiſſimus, contendere et magnâ voce dicere ſolebat: Eum eſſe beatum qui praeſentibus voluptatibus frueretur, confideretque ſe fruiturum, aut in omni aut in magna parie vitae, dolore non interveniente; aut ſi interveniret, ſi ſummus foret, futurum brevem; ſi productior, plus habiturum jucundi quam mali.* 3. Tuſc. 17.

VIII. Tandem huc ſpectat etiam ſtudium et zelus propagandae Scholae, et quoſlibet cujuſcunque condicionis ac ſortis homines ad ſectam ſuam aggregandi. Inter diſcipulos Epicuri non magis Leonteus

quam uxor ejus Themifta (cui et librorum fuorum aliquem Epicurus infcripfit) cenfebatur. Tres etiam fratres fuos, Neoclem, Chaeredemum, et Ariftobulum, ad fectam fuam adhortationibus fuis allexerat; quin et fervos fuos philofophari fecum voluit, ex quibus clariffimus fuit unus, nomine *Mus*, ut auctor eft Laërtius. Epicuri igitur, magîftri fui veftigiis infiftentes, quo promifcue quofvis et fine difcrimine illaqueënt, atque a calvo ad calvum (quod dicitur) ad fe trahant, negant fectae fuae intereffe quidquam, literifne excultus fit qui nomen fuum in eam daturus eft, an penitus rudis et ignarus. Facete pro more fuo Cicero: *Quod veftri quidem, Torquate, vel optime difputant, nihil opus effe, eum qui Philofophus futurus fit, fcire literas. Itaque ut majores noftri ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, ut Dictator effet, fic vos de Pelafgis omnibus colligitis bonos illos quidem viros, fed certe non pereruditos.* 2. 4. Quos vero in Scholam fententiamque fuam traduxerant, tam arcte ibidem familiaritatis, officiorum, et amicitiae brachiis vinculifque amplectebantur et conftringebant, ut illis deinceps nunquam eorum, quae forte faniora reliquerant, veniret in mentem. Epicurus ipfe quantus amicitiae cultor fuit! *De qua quidem ita dicit: omnium rerum, quas ad beate vivendum fapientia comparaverit, nihil effe majus amicitiâ, nihil uberius, nihil jucundius; neque hoc oratione folum, fed multo magis vitâ et factis et moribus comprobavit. Quod quam magnum fit, fictae veterum fabulae declarant, in quibus tam multis tamque variis, ab ultima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Oreftem pervenias profectus a Thefeo. At vero Epicurus una in domo et eâ quidem anguftâ, quam magnos, quantâque amoris confpiratione confentientes tenuit amicorum greges! Quod fit etiam nunc ab Epicureis.* 1. 20. Quo pertinent etiam convivia, quae ftatis temporibus Epicurei et quotannis faepius una celebrabant. *Teftamento enim caverat Epicurus perquam diligenter et accurate, ut heredes fui darent quod fatis effet ad diem agendum natalem fuum quotannis menfe Gamelione; itemque omnibus menfibus vigefimo die lunae darent ad eorum epulas, qui una fecum philofophati erant; ut et fui et Metrodori memoria coleretur.* 2. 31. Haec fefta deinceps conftantiffime fervabant Epicurei, et Ciceronis temporibus etiamnum agebantur; ita enim ille Torquatum alloquitur: *Quos quidem dies quemadmodum agatis, et in quantam*

*hominum facetorum urbanitatem incurratis, non dico; nil opus eſt litibus.* 2. 31. Quo Tullius ſubindicat, dum ſolennia ſua ac ſtata convivia de magiſtri ſui praeſcripto Romae obeunt Epicurei, rideri eos ac nigro ſale defricari ſolitos ab aſtutioribus; nam pinguiculi ipſi et minime malitioſi, ut idem non uno loco teſtatur. Caeterum valde imperitus ſit rerum humanarum, qui non intelligat, convivia illa quae certis ac deſtinatis temporibus iterantur, et in quae magno quidem numero, ii tamen modo qui in certam aliquam ſententiam coierunt, adhibentur, nullo quoad reliqua delectu habito; incredibilem quandam vim habere ad obſtringendos, et indiſſolubili nexu conglutinandos animos. Dum et aequales inter ſe confabulantur et minores audent majores convenire, et hi illis ſui copiam non gravate faciunt; tum quae foris circumſtant irriſiones, obtrectationes, et convitia, neſcio quo pacto eam, quae intus concipitur et fovetur, benevolentiam magis obfirmant et coagulant.

## IV.

## IN EPICURUM II.

(D, 14. m. Mart. a. 1668.)

Thesis I. Cum forte in ſectae alicujus philoſophemata inquirere certum habemus, operae pretium facere videmur, ſi ante, cum eorum qui illam condidere primi, tum eorum qui excoluerunt nutrieruntque, mores et ingenium diligenter indagemus. His enim rite cognitis atque perſpectis, velut uſu cum ipſis Auctoribus ac conſuetudine contractâ, quae dixere, melius faciliuſque perſpiciemus; nam obſunt plerumque iis qui diſcere volunt, auctoritas, gravitas, et abſtruſa vivendi ratio, et alieni familiaritate mores eorum qui ſe docere profitentur. Imo quia familiarius, hinc etiam felicius nonnunquam et ad captum accommodatius diſcipulum condiſcipulus quam magiſter docet. Eſt igitur ea tunc potiſſimum adhibenda ratio, deque Auctorum vitis et indole inſtituenda diſquiſitio, cum integram alicujus Scholae diſciplinam pertractandam nobis et diſcutiendam ſumpſimus; ſed neque tunc negligenda, cum Scholae alicujus ſeu ſectae capitale dogma, quo conſtituto, conſtituta, concuſſo autem, labefactata ſint reliqua, ventilamus. Atqui *haec duo ſunt maxima in Philoſophia, judicium veri*

*et finis bonorum; neque fapiens effe poteft, qui aut cognofcendi initium ignoret, aut extremum expetendi, ut aut unde proficifcatur, aut quo perveniendum fit nefciat;* ita Lucullus apud Ciceronem in Quaeft. Acad. Et latius M. Pifo apud eundem lib. 5. de Fin. cap. 29.: *Omnis auctoritas Philofophiae confiftit in beata vita comparanda; beate enim vivendi cupiditate incenfi omnes fumus. Quare hoc videndum eft, poffitne nobis hoc ratio Philofophorum dare. Pollicetur certe; nifi enim id faceret, cur Plato Aegyptum peragravit, ut a facerdotibus barbaris numeros et coeleftia acciperet? Cur poft, Tarentum ad Archytam? cur ad caeteros Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Acrionem Locros? Ut cum Socratem expreffiffet, adjungeret Pythagoreorum difciplinam, eaque quae Socrates repudiabat, adfcifceret. Cur ipfe Pythagoras et Aegyptum luftravit, et Perfarum magos adiit? cur tantas regiones barbarorum pedibus obiit? tot maria tranfmifit? Cur haec eadem Democritus, qui (vere falfone, quaeremus) dicitur oculis fe privaffe? Certe ut quam minime animus a cogitationibus abduceretur, patrimonium neglexit, agros deferuit incultos: quid quaerens aliud, nifi beatam vitam? etc.* Vides igitur, apud hos Philofophiae Patres, ea quae de finibus bonorum ac malorum difceptatio eft, quantum habeat pondus; ut capitale dogma fit; ut omnis ab illo tanquam a fonte difputatio ducatur. Et confer in haec, quae idem Pifo dixit Difput. noftrâ 3. th. 1.

II. Cum igitur proximâ difputatione celebritatem Epicureae fectae, et celebritatis illius caufas aliquas expenderemus, fimul etiam ingenium, mores, et ftudia auctorum iftius difciplinae fautorumque in medium vocavimus; coepitque nobis jam tunc iis intercedere quafi vicinitas et domefticus quidam ufus; quem hac etiamnum Difputatione fovere vel potius augere certum eft, ut impofterum Epicurei intus (quod dicitur) et in cute nobis noti fint. Tum fi quid ab illis dictum fit ambiguum, aut obfcurum, aut ab ea quam probant ratione diffentaneum, facile, quam in partem accipiendum fit, intelligemus. Verbi gratiâ cum eos admodum fimplices, bonos, et minime malitiofos effe videbimus, nihil de dolo fufpicabimur, nihil latere, res quas afferunt de medio fumptas effe judicabimus. Sic cum Pofidonius Ciceronis familiaris lib. 5. de natura Deor. fcripfiffet, *Nullos effe Deos Epicuro videri; quaeque is de Diis immortalibus dixiffet, invidiae deteftandae*

*caufa dixiffe;* et quidam id etiam his, quae alicubi ambigue fcripferat Epicurus, confirmarent, orationem illam Cicero, aut potius Cotta, quem is ibi loquentem facit, refellit: et *De homine*, inquit, *minime vafro male exiftimant. Ille vero Deos effe putat; nec vidi quemquam qui magis ea quae timenda effe negaret, timeret, mortem dico et Deos.* Sed de familiaritatis commendatione, et de facilitate ac praeftantiâ, quam in communicandis mutuo cogitationibus obtinet, fatis hoc loco dictum fit; erunt enim jam ea ipfa aliqua, quae Epicuri nobis familiaritatem magis firmiufque concilient, afferenda, quae et permagni momenti ad fectae illîus celebritatem fuiffe, facile intelligetur.

III. Ac primum quidem, magnam de fe fuifque difcipulis, praefertim Metrodoro exiftimationem, aliis ingenerare conatur Epicurus. *Qui fe unus, quod fciam, fapientem profiteri fit aufus; nam Metrodorum non putant ipfum profeffum, fed cum appellaretar ab Epicuro fapiens, repudiare tantum beneficium noluiffe; feptem autem illi* Graeciae fapientes *non fuo, fed populorum omnium fuffragio nominati funt.* Ita Cicero 2. 3. Hinc deinceps *Metrodorus, Epicuri collega fapientiae.* Eâdem adductus ambitione, teftamento cavet, ut pofteri memoriam fuam folennibus epulis agant (vide Difput. 3. th. 8.), in cujus partem memoriae nominatim Metrodorum, generatim vero reliquos omnes, qui fecum una philofophati fint, afcifcit. In quo iterum fingularis; nam quis aliorum Philofophorum tale quid fecit? *Numquid tale Democritus? hunc appello, ut alios omittam, quem ille unum in Phyficis fecutus eft.* 2. 31. (Unde facete Phyficam Epicuri, aut potius Epicurum ipfum in Phyfice fua non bene ftantem irridet Cicero; vide eum loco citato.) Qua notâ rurfum infignis eft, cum fcripta fua memoriter complecti difcipulos fuos jubet; quod ut facilius affequeretur, compendia fubinde et fynopfes, quae majorum librorum argumenta continerent, componebat. Ipfemet in epiftola ad Herodotum: *Moneo*, inquit, *in Phyfiologiâ, compendium et velut fummam opinionum omnium tenere memoriter.* Ejufdem epiftolae hoc eft exordium: *Iis qui nequeunt, Herodote, fingula quae a nobis de natura fcripta funt, ad unguem intelligere, neque majores de his rebus editos libros perfcrutari, compendium totius operis feci, quantum fatis effe putavi, ut integerrimarum opinionum memoriam facile tenerent.* Et haec conclufio: *Ifta tibi, Herodote, de natura fummatim perftrinximus etc., atque*

*haec ipfa, mandata memoriae, perpetuo emolumento erunt.* Similia fere *imperiofus ille Philofophus* (ut eum in alia caufa Tullius appellat 2. 32.) in epiftola ad Pythoclem. *Precaris*, inquit, *ut tibi de Meteoris brevem mittam facilemque tractatum, quo facilius admonearis; ea enim quae in aliis fcripfimus, difficillime teneri memoriâ, quamvis ea (ut ais) quis continue circumferat.* Et quibufdam interjectis: *Ea igitur rite percipe, mandataque memoriae tecum acriter acuteque volve.* In fine autem epiftolae bene longae (eft vero ea quae ad Herodotum fcripta, hac etiam longior): *Haec igitur omnia, Pythocles, memoriter tene.* Vide apud Diogenem Laërtium, fi placet, epiftolas illas. Idem in Ethicis Epicuri mandatum. *Quis veftrûm*, inquit Cicero, Epicureos compellans, *non edidicit Epicuri κυρίας δόξας, id eft, maxime ratas? quia graviffimae fint ad beate vivendum breviter enunciatae fententiae.* 2. 7. Ejufdem pene familiae eft defpicatio illa, qua reliquos aliarum fcholarum Philofophos prae fe uno defpicit, traducit etiam et maledictis inceffit: *Epicurus contumeliofiffime Ariftotelem vexavit, Phaedoni Socratico turpiffime maledixit, Metrodori fodalis fui fratrem Timocratem, quia nefcio quid in Philofophia diffentiret, totis voluminibus concidit; in Democritum ipfum* (magnum virum, cujus fontibus hortulos fuos irrigavit Epicurus) *ingratus, Naufiphanem magiftrum fuum, a quo nihil didicit, tam male accepit.* Haec L. Cotta apud Ciceronem lib. I. de Nat. Deor. Itaque, dum eos, Laërti, qui Epicurum jam olim obtrectationis infimularunt, infanire tam fidenter; contra vero gratum et in omnes perhumanum Epicurum, a quo Timocrates etiam defecerit, quod ei forte gravis effet viri hujus incomparabilis et immenfa bonitas; vacillat aliquantum fides apud me tua, et ex his atque aliis, ftudium tuum in Epicurum non obfcure perfentifco.

IV. Tanti exiftimationem fuam licetur Epicurus; cui incredibilem difcipuli ejus obfervantiam et perpetuam reverentiam promptiffime addicunt. Aufim affirmare, duos hofce Philofophos, Pythagoram et Epicurum, a difcipulis fuis ftudiofiffime cultos, ne dicam adoratos fuiffe; caeteros vero, velut Socratem, Ariftotelem, Zenonem, et fuperiores, fi cum his comparentur, neglectos abjectofque videri poffe. *Nam Pythagoreos quidem ferunt, fi quid affirmarent in difputando, cum ex his quaereretur quare ita effet, refpondere folitos: Ipfe dixit; Ipfe autem erat Pythagoras. Tantum opinio praejudicata*

*poterat, ut etiam ſine ratione valeret auctoritas.* I. de Nat Deor. 5. Epicurei vero quod officii, imo quod aſſentationis genus in magiſtrum ſuum praetermittunt? Hic iis *Inventor veritatis et architectus beatae vitae.* Hic (ut Cic. per mimicam ironiam ſaepius) *ſeverus et gravis Philoſophus* (jactabant enim Epicurei et paſſim inculcabant aliis, ſectam ſuam eſſe ſeveram. *Explicabo,* inquit Torquatus, *voluptas ipſa quae qualiſque ſit, ut tollatur error omnis imperitorum, intelligaturque ea quae voluptaria, delicata, mollis habetur diſciplina, quam gravis, quam continens, quam ſevera ſit*). Hic tantus tamque nobilis Philoſophus. Hic lumen noſtrum. Hic *exauditâ quaſi voce Naturae, ſic eam firme graviterque comprehendit, ut omnes bene ſanos in viam placatae, tranquillae, quietae, beatae vitae deduxerit.* Hic profligator errorum (nam *ſummum bonum qui in virtute ponunt, et ſplendoris nomine capti, quid natura poſtulet non intelligunt, errore maximo, ſi Epicurum audire voluerint, liberantur*). Hujus coelo delapſa volumina: *Cujus rationis vim atque utilitatem ex illo coeleſti Epicuri de regula et judicio volumine accepimus*, inquit Vellejus. Hunc tandem, quemcunque eum dici jus faſque eſt, in Deos referunt; nam *ea qui conſideret* (quae nempe alii Philoſophi de Diis cenſuerunt), *quam inconſulte ac temere dicantur, venerari Epicurum, et in eorum ipſorum* (Deorum) *numero, de quibus haec quaeſtio eſt, habere debeat; ſolus enim vidit primum eſſe Deos.* I. de Nat. Deor. In diſciplinam ejus ſi aliquid benigne quidem et veritatis inquirendae ſtudio diceretur, aegerrime ferebant, tam ſolliciti cum is vel extremis tantum digitis tangeretur, ac ſi de aris et focis dimicaſſent. *Querentur Epicurei,* inquit Cicero, 3. Tuſc., *me ſtudioſe dicere contra Epicurum. Ita credo, de honore aut dignitate contendimus. Mihi ſummum in animo bonum videtur, illis autem in corpore; mihi in virtute, illis in voluptate; et illi pugnant, et quidem vicinorum fidem implorant; multi autem ſunt qui ſtatim convolent; ego ſum is qui dicam me non laborare, actum habiturum quod egerint. Quid enim; de bello Punico agitur? de quo ipſo cum aliud M. Catoni, aliud L. Lentulo videretur, nulla inter eos concertatio unquam fuit. Hi nimis iracunde agunt, praeſertim cum ab his non ſane animoſa defendatur ſententia, pro qua non in ſenatu, non in concione, non apud exercitum, neque apud cenſorem dicere audeant. Sed cum iſtis alias, et eo quidem animo,*

*nullum ut certamen inftituam, verum dicentibus facile credam. Tantum admonebo, fi maxime verum fit, ad corpus omnia referre fapientem, five, ut honeftius dicam, nihil facere nifi quod expediat, five omnia referre ad utilitatem fuam: quoniam haec plaufibilia non funt, ut in finu gaudeant, gloriofe loqui definant.*

V. Sed hi queruli, et, fi vel levi tantum brachio caftigentur, pro indigniffimo habentes, îpfi tamen ex facili in alios infultant et dicaculi funt. *Nam non modo Epicurus et Metrodorus et Hermachus contra Pythagoram, Platonem, Empedoclemque dixerunt; fed meretricula etiam Leontium contra Theophraftum fcribere aufa eft, fcito quidem illa fermone et Attico. Sed tamen tantum Epicuri hortus habuit licentiae etc. Zeno quidem* (Epicuri, tempore Ciceronis, in fchola ac diatriba fucceffor) *non eos folum qui tum erant, Apollodorum, Syllum, caeterofque figebat maledictis, fed Socratem ipfum, parentem philofophiae, Latino verbo utens, fcurram Atticum fuiffe dicebat. Chryfippum nunquam nifi Chefippum vocabat* (ficut Epicurus Democritum Lerocritum vocitabat, ut eft apud Diog. Laërtium). *Tu ipfe* (Cotta Vellejum compellat, Epicuri propugnatorem) *paulo ante, cum tanquam fenatum Philofophorum recitares, fummos viros defipere, delirare, dementes effe dicebas.* Lib. I. de Nat. Deor. Ita patriffant etiam tunc feri illi Epicuri nepotuli. Crebro jactitabant, Epicuri adverfarios Epicurum non intelligere, non fcire quid ille diceret. Unde Cicero expoftulat. *Numquid eft aliud* Epicure? *rectene interpretor fententiam tuam? folent enim ifti* (difcipuli et imitatores tui) *negare, nos intelligere quid dicat Epicurus.* 3. Tufc. Et 2. de Fin. cap. 7., cum Cicero ex Epicuri *Maxime Ratis* (fic enim liber ille infcribitur) minime ratam aliquam et perabfurdam Epicuri fententiam recitaffet, *hoc loco fe tenere Triarius non potuit: Obfecro, inquit, Torquate, haec dicit Epicurus? (quod quidem vifus eft cum fciret, velle tamen confitentem audire Torquatum). At ille non pertimuit, faneque fidenter: Iftis quidem ipfis verbis, inquit, fed quid fentiat non videtis.* Cui Cicero: *Si alia fentit, alia loquitur, nunquam intelligam quid fentiat.* Belle! et in Heraclitos illos, ac aenigmatum fcirpis involutos fcriptores admodum fcite! Subjicit Cicero: *Sed dicit plane, quod intelligam.* Davus enim eft, non Oedipus. *Quae de voluptate dicuntur, ea nec acutiffime nec abfcondite differuntur: neque enim qui defendunt eam, verfuti in*

*differendo sunt, nec qui contradicunt, causam difficilem repellunt. Ipse etiam dicit Epicurus, re argumentandum quidem esse de voluptate, quod sit positum ejus judicium in sensibus, ut commoneri satis sit, nihil attineat doceri.* 3. 1. Pergunt tamen Epicurei more suo, et simul atque Epicuro contradicentem quemcunque nacti sunt, mox improperant: *Non intelligis quid dicat Epicurus.* Hinc rursum Cicero non sine querelis et stomacho: *Itaque hoc frequenter dici solet a vobis, non intelligere nos, quam dicat Epicurus voluptatem. Quod quidem mihi si quando dictum est (est autem dictum non parum saepe), etsi satis clemens sum in disputando, tamen interdum soleo subirasci. Egone non intelligo quid sit* ἡδονή *Graece, Latine Voluptas? utram tandem linguam nescio? deinde quî fit ut ego nesciam, sciant omnes quicunque Epicurei esse voluerunt etc. Satisne ergo videor vim verborum obtinere? an sum etiam nunc vel Graece vel Latine docendus? Et tamen vide, ne si ego non intelligam quid Epicurus loquatur, cum Graece, ut videor, luculenter sciam, sit aliqua culpa ejus qui ita loquatur, ut non intelligatur.* 2. 4. et 5. Atque haec Epicureorum opprobratio eo erat minus ferenda, quod ita planus et apertus in dicendo sit Epicurus Disput. 3. th. 6.; praesertim cum res Ethicas tractat, oratio tota dilucida, nihil est in sermone ejus tortuosum aut implicatum. Unde Cicero ibidem: *Epicurus, ut opinor, nec non vult, si possit, plane et aperte loqui, nec de re obscurâ, ut Physici, aut artificiosâ, ut Mathematici; sed de illustri et facili, etiam in vulgus pervulgatâ loquitur.*

VI. His insignem eorum fiduciam adde, et in effutiendis apud quosvis jactandisque magistri sui, exsibilandis vero vexandisque aliorum omnium Philosophorum placitis ac dogmatibus, temeritatem et impudentiam. *Tum Vellejus* (Epicureae de natura Deorum sententiae coram Cicerone defensor) *fidenter sane, ut solent isti* (Epicurei), *nihil tam verens, quam ne dubitare aliquâ de re videretur, tanquam modo ex Deorum concilio et Epicuri Intermundiis descendisset: Audite, inquit, non commentitias futilesque sententias; non opificem aedificatoremque Mundi, Platonis de Timaeo Deum, nec anum fatidicam Stoicorum* πρόνοιαν, *quam Latine licet Providentiam dicere etc. Portenta et miracula non differentium Philosophorum, sed somniantium.* 1. de Nat. Deor. At quid ipse, hic promissor tantus? Thesaurus quem pollicetur, carbones erunt. Ex Epicuri cerebro, *homunculis similem Deum fingit,*

*lineamentis duntaxat extremis, non habitu folido; membris hominis praeditum omnibus, ufu membrorum ne minimo quidem; exilem quendam atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem.* 1. de Nat. Deor. ult. Et. 2. de Fin. 4. Cicero inquit: *Teftificatur Epicurus, ne intelligere quidem fe poffe, ubi fit aut quid fit ullum bonum, praeter illud quod cibo aut potione, aut aurium delectatione et obfcoena voluptate capiatur. An haec ab eo non dicuntur?* Repondet Torquatus: *Quafi me pudeat iftorum, aut non poffim quemadmodum ea dicantur oftendere.* 2. 5. Similis fiducia ejus aut potius impudentia, non naturae qua probus et generofus, fed fectae et factionis quam fequebatur vitio contracta, narratur th. 5. Libro autem primo de Finibus, quantâ caufae fuae confidentiâ, quantâ curâ, contentione, et ftudio pro Epicuro fuo perorat! *Quapropter*, inquit, *fi ea quae dixi, fole ipfo illuftriora et clariora funt; fi omnia dixi haufta e fonte naturae, fi tota ratio noftra omnem fibi fidem fenfibus confirmat, id eft incorruptis atque integris teftibus; fi infantes, pueri, fi mutae etiam beftiae paene loquuntur magiftrâ ac duce naturâ, nihil effe profperum nifi voluptatem, nihil afperum nifi dolorem, de quibus neque depravate judicant neque corrupte; numquid maximam gratiam habere debemus ei, qui exauditâ quafi voce naturae, fic eam firme graviterque comprehenderit, ut omnes bene fanos in viam placatae, tranquillae, quietae, beatae vitae deduceret? Qui quod tibi parum videtur eruditus, M. Tulli, ea caufa eft quod nullam eruditionem effe duxit, nifi quae beatae vitae difciplinam juvaret etc. Non ergo Epicurus ineruditus, fed ii indocti, qui, quae pueros non didiciffe turpe eft, ea putent ufque ad fenectutem effe difcenda.* 1. ult. Cotta vero apud Cic. 1. de Nat. Deor. 40. Epicuri et procerum in fchola ejus impudentiam et perfrictam frontem (vulgus enim iftius fcholae non ita valde conftabat fibi, ut natura victi non erubefcerent aliquando) exagitans: *Non te arbitror*, inquit, *Vellei* (nam qui hodie funt Epicurei, primas ad te deferunt), *fimilem effe reliquorum, quos pudeat earum Epicuri vocum, quibus ille teftatur fe ne intelligere quidem ullum bonum, quod fit fejunctum a delicatis et obfcoenis voluptatibus; quas quidem non erubefcens profequitur omnes nominatim, etc. Philo nofter fumma memoria pronunciabat plurimas Epicuri fententias, his ipfis verbis quibus erant fcriptae; Metrodori*

*vero, qui eſt Epicuri collega ſapientiae, multa impudentiora recitabat. Accuſat enim Timocratem fratrem ſuum Metrodorus, quod dubitet omnia quae ad beatam vitam pertinent, ventre metiri, neque id ſemel dicit, ſed ſaepius. Annuere te video, C. Vellei: nota enim tibi ſunt; proferrem libros ſi negares.* Haec vulgo Epicureorum, cui frons plerumque tenerior, celabantur. *Nam hi ita putabant dici a magiſtris ſuis, recta et honeſta quae eſſent, ea facere ipſa per ſe laetitiam, id eſt, voluptatem; ſed homines optimi non intelligebant, totam Epicuri rationem ac diſciplinam everti, ſi res ita ſe haberet.* I. 7. Si quando offendebant, qui frontem ferirent, et feſcennina illa Epicuri palam improperarent; in promptu erat quod regererent, quod et ſaepe a magiſtris ſuis audiverant, nempe *non intelligere eos quid ſentiret, quam diceret voluptatem Epicurus.* Et ſic oratione cum Epicuro facientes, re vero diffidentes, cum id tamen ignorarent, factionem ejus popularem longe prae aliis, et multo celeberrimam effecerunt.

VII. In hiſce paucis, quae zelus quidam impotens et fervens ſcholae ſuae defendendae ſtudium coëgit, Epicurum cum ſuis jure reprehendas; caetera boni, quantum apparet, et vitae ac morum integri. Epicurus in Deum (ut tum res erant) admodum pius et religioſus; ipſe in epiſtola ad Menoeceum: *Primum quidem Deum eſſe animal immortale et beatum puta, ſicut communis de Deo dictat notio; nihil illi aut ab immortalitate aut a beatitudine alienum tribuens. Caeterum, omne quod illius cum immortalitate beatitudinem ſervare poſſit, id opinare* et ſtatue. *Dii nempe ſunt, ut eſt certa illorum notio et idea; non autem tales ſunt, cujuſmodi plerique arbitrantur, neque enim eos quales putant, obſervant. Impius autem eſt, non qui tollit multitudinis Deos, ſed qui Diis opiniones multitudinis applicat. Non enim ſunt anticipationes* (ſic ideas et innatas nobis notiones appellare ſolet Epicurus), *ſed opinationes falſae. Hinc detrimenta maxima peſſimis quibuſque a Diis inferuntur, et commoda item probis; nam virtutibus per omnia delectati, ſimiles amplectuntur, ac omne quod hujuſmodi non eſt, alienum exiſtimant.* Ita recitat Diog. Laërtius in vita Epic. Recte monet, de Deo ex innata nobis idea ejus ac notione, ſeu anticipatione, praenotione, ac prolepſi, ut ipſe loquitur, non vero ex praejudicatis opinionibus, traditiſque per manus caeremoniis ac religionibus cenſendum eſſe. Pia ſunt, vera ſunt et ſancta quae

hîc dicit. Quod profanat, cum Deum animal facit, et alias etiam humanâ figurâ circumfcribit, non tam indolis ejus quam iftorum temporum triftitia eft. Cum vero Deum alias etiam a rerum humanarum cura dimittit; nihil cuiquam tribuere, nîhil gratificari, obeffe nemini, nocere ftatuit; imprimis pugnant ifta cum his. Mox enim hic dicebat, *detrimenta maxima peffimis quibufque a Diis inferri, commoda probis* (et funt eae multis in locis Epicuri ruinae. Non conftat fibi, ruit in dicendo. Vide Difp. 3. th. 3.); et tamen, fi quid perfpicio, religione in Deum et nimiâ quadam reverentiâ fancitum eft, quidquid ibi decrevit. Nec enim quemquam vidiffe fe narrat Cotta, qui magis Deum timeret quam Epicurus. Audiamus fane ipfum Epicurum iftius decreti fui reddentem rationem. *Quod beatum atque immortale eft, neque ipfum negotii habet quicquam, nec exhibet alteri; itaque neque irâ neque gratiâ tenetur; nam haec omnia infirmitatis atque imbecillitatis funt.* Eft inter Epicuri Maxime Ratas illa prima fententia, ut Cicero teftatur 1. de nat. Deor. Hac diferte teftatur Epicurus, qua impulfus caufa Deum magiftratu et Mundi gubernaculo moverit: ne fcilicet irâ vel gratiâ tangi eum (quod imbecillitatis certiffimum argumentum eft) fateri cogeretur. Religio igitur huc adegit hominem, et veniam meretur ifta culpa. Quanquam inficias non ibo, cum beatam vitam parat Epicurus, elaborare eum magnopere, et omnes nervos in hoc contendere, metum Deorum et religionis uti excutiat; quod equidem impetrare a fe nunquam potuit, fed cum fui fimiles (ut fit) alios omnes exiftimaret, *Deo clamat* (*quo tamen mediocres homines non ita valde moventur*) *omnium mortalium mentes effe perterritas.* 1. de Nat. Deor. Quamobrem timori ifti, qui beatam vitam femper interturbaret, amoliendo peropportunum ei videbatur, fi Deum a Mundi provincia revocatum, privatum agere juberet, imo et in *μετακόσμιον* fuum (intermundium, ut Cicero vertit, feu fpatium inter Mundos; qualia Epicurus poft Democritum ftatuerat quamplurima) relegaret. Quod Seneca etiam non obfcure innuit: *Tu denique, Epicure, Deum inermem facis; omnia ei tela, omnem detraxifti potentiam, et ne cuiquam metuendus effet, projecifti ipfum extra metum.* (Ideo nempe imperium ei derogas; ideo metuere, quod regum eft, vetas, ne metuendus fit ipfe; tuâ folum caufâ id vis, et quod pietatis videbatur effe, compendii eft.) *Hunc igitur feptum ingenti quodam*

*et inexplicabili muro, divisumque a contactu et a conspectu mortalium, non habes quare verearis. Nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est; in medio intervallo hujus et alterius coeli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas Mundorum* (statuebat enim cum Democrito innumerabiles Mundos Epicurus, qui et oriantur et intereant quotidie) *supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus.* Hunc tamen adorat, hunc colit Epicurus; ecce profundam hominis religionem et penitus insitam atque radicatam, quam perversissima ista de Deo non evellit, non labefactat opinio. Ita enim pergit Seneca: *Atqui hunc vis videri colere, non aliter quam parentem, grato ut opinor animo; aut si non vis videri gratus, quia nullam habes illius beneficium, sed te atomi et istae micae tuae forte ac temere conglobaverunt, cur colis? Propter majestatem, inquis, eximiam, singularemque naturam etc.* 4. Benef. 19.

VIII. Is idem in parentes quam pius! Antequam quaestui ei esse Philosophia coepisset, *cum matre aediculas circuisse, purgamenta legentem, literasque cum patre docuisse, mercedis exiguae stipendio,* Dionysius Halicarnasseus auctor est. In fratres quam beneficus, et animi paterni! Numero tres, quorum unus lenonem egerat, ad frugem reduxit, una secum in horto, quem octoginta minis comparaverat, vivere et philosophari jussit; testante Laërtio. Accinamus proinde cum Poëta huic alteri Proculejo:

*Vivet extento Proculejus* (Epicurus) *aevo*
*Notus in fratres animi paterni;*
*Hunc vehet pennâ metuente solvi*
*Fama superstes.*

In servos suos quam mitis et clemens! Amicos suos appellabat; *habeant sane nomen,* inquit Seneca Epist. 107., *quod illis Epicurus noster imposuit, et amici vocentur.* Comiter eos in sermonem suum admisit, et in consilium, et in scholam, et in convictum; quorum etiam aliqui ejus operâ in Philosophia evasere praeclari, nominatim is qui *Mus* vocabatur; ut legitur apud Laërtium. (Quod quam magnum sit, contraria veterum consuetudo declarat. *In servos,* inquit Seneca Epist. 47., *superbissimi, crudelissimi, et contumeliosissimi sumus.* Eâdem epistolâ commemorat plura in servos indigna, inhumana,

crudelia ab heris committi folita.) In amicos quantâ fide! *Hi aa illum undique numerofiffime conveniebant, et una cum illo in horto vivebant; nolebat autem Epicurus fectatores fuos in commune opes deponere* (*veluti Pythagoras, qui communia omnia amicorum dicebat*), *nam id, inquit, eorum qui diffiderent potius quam amicorum erat.* Laërt. in vita ejus. *Audi, moriens quid dicat Epicurus,* et fidem ac caritatem ejus admirare: *Epicurus Hermacho falutem. Cum ageremus,* inquit, *vitae beatum et eundem fupremum diem, fcribebamus haec. Tanti autem morbi aderant veficae et vifcerum, ut nihil ad eorum magnitudinem poffit accedere etc. Sed tu, ut dignum eft tuâ erga me et erga Philofophiam voluntate ab adolefcentiâ fufceptâ, fac ut Metrodori tueare liberos. Non ego jam Epaminondae, non Leonidae mortem hujus morti antepono etc. Ita commendatio puerorum, memoria et caritas amicitiae, fummorum officiorum in extremo fpiritu,* inter acerbiffimos dolores *confervatio, indicant innatam fuiffe homini probitatem gratuitam, non mutuatam voluptatibus, nec praemiorum mercedibus evocatam.* 2. 30. Sic Epicurus ab adverfario fuo Cicerone accipitur; fed hic recte alibi et perquam generofe: *Quafi quis neget illum* (Epicurum) *et bonum virum et comem et humanum fuiffe! De ingenio ejus in his difputationibus, non de moribus quaeritur. Sit ifta in Graecorum levitate perverfitas, qui maledictis infectantur eos a quibus de veritate diffentiunt.* 2. 25. In omne genus hominum quam humanus, quam hofpitalis! *Hortulis ejus,* in quibus nempe et vivebat cum fuis et philofophabatur, *infcriptum erat: Hofpes hîc bene manebis; hîc fummum bonum voluptas eft. Sed cum adieris hos hortulos, paratus erit iftius domicilii cuftos hofpitalis, humanus, et te polentâ excipiet, et aquam quoque large miniftrabit, et dicet: Ecquid bene acceptus es? Non irritant, inquit, hi hortuli famem, fed exftinguunt; nec majorem ipfis potionibus fitim faciunt, fed naturali et gratuito remedio fedant.* Sen. Epift. 21. Ita noverat vir optimus, per impofturam (quod vere divinum eft) dare beneficium, et iis qui fpe malâ inducti ad illum confugiebant, Epicurum fe habituros exiftimantes, detrahere velamentum vitiorum fuorum; probabat ipfo facto, quocunque iviffent, honefte effe vivendum; eofque bonos viros non Epicuri fchola, fed contubernium faciebat. Denique ipfe fibi quam rigidus exactor frugalitatis, ne dicam famis et inediae! *In epiftolis ad Polyaenum glo-*

*riatur, non toto aſſe ſe paſci; Metrodorum, qui nondum tantum profecerit, toto.* Sen. Epiſt. 18. Et alibi, *aqua tantum et cibario pane ſe contentum eſſe teſtatur; et Mitte, inquit, mihi caſei Cythridii paululum, ut cum epulari lautius voluero, poſſim. Hujuſmodi illius vita fuit, qui voluptatem finem et ſummum bonum aſſerit.* Laërt. *In hoc tu victu ſaturitatem putas eſſe? Et voluptas eſt; voluptas, inquam, non illa levis et fugax, et ſubinde reficienda, ſed ſtabilis et certa. Non enim jucunda res eſt aqua et polenta aut fruſtum hordeacei panis, ſed ſumma voluptas eſt, poſſe capere etiam ex his voluptatem, et ad id ſe reduxiſſe, quod eripere nulla fortunae iniquitas poſſit.* Sen. Epiſt. 18. Loquatur Epicurus ipſe: *Plenus ſum et diffluo voluptate corpuſculi, idque aquâ et pane utens. Deſpuo autem ſumptuoſas voluptates; non ob ipſas, ſed incommoda quae comitantur.*

## V.

## IN EPICURUM III.

(M. Apr. a. 1668.)

Thesis I. Duae res ei qui teſtimonium dicturus ſit, perquam neceſſariae ſunt: Bonitas nempe atque Peritia; Bonitas ne fallat, Peritia ne fallatur. Nec enim dictis ſuis fidem ſatis firmam faciet is, quem aut decipere velle, aut decipi facile poſſe ſuſpicamur. At mali ſaepe fallunt, et vero boni etiam nonnunquam errant; ſint igitur boni pariter ac periti neceſſe eſt, quibus fidem noſtram tuto tribuamus; nam nec erranti credendum eſt, et fallenti multo minus. Bonitas tamen in teſtificatione primas tenet, quae cui detrahitur, ei tota fides hoc ipſo derogata eſt. Non perinde imperitos accipimus, quibus ſubinde aliud etiam credimus; malis nihil unquam; errare enim omnes malumus quam ſeduci. Atqui ab imperitis ſi ſteterimus, erramus pariter cum illis; cum malis ſi fecerimus, illi nos ſeducunt, et erramus ſub illis. Et idcirco perſuaſum habeo, et ita prorſus exiſtimo, probitatem Epicuri et ſectatorum ejus fuiſſe cauſam celebritati iſtius ſectae facile principalem. Recte enim ſentire populo videntur qui recta faciunt; nec vacat ei plerumque veras ac falſas ſententias examinare, recte vero facta ac ſecus facile internoſcit; magiſque jure

merito probat eos, qui quid agendum fit dicunt, et fuccinit plerumque Comico: *Odi homines ignavâ operâ, philofophâ fententiâ.* Verum enim vero nefcio quo pacto vel potius aevi noftri propudio, qui bene dicere confueverunt, agere folent minus bene. Velut pugiles, qui proludio defatigati, in lucta deficiunt, aut gloriofi illi petulantefque tirunculi, qui foenum habent in cornu, qui victoriam canunt ante pugnam, fero defiderant, quos gratis per multam impotentiam ac proterviam effutierunt, fpiritus, et velut animalia quaedam amiffo aculeo torpent; — ita etiam animulus (animum enim hic dicere non volui) totus in bucca tumet, ibi Curios, ibi Pifones, ibi virtutem et decus crepat; nihil ejus ad manum pertinet. Ita ut fere fatius fit hodie, bonarum fententiarum auro non ftillare tantum, et invidiae deteftandae caufâ fubinde fuliginem aliquam afpergere fplendori ifti, fi non moribus (nam hoc turpe foret), aft faltem exquifitis verbis ambiguoque fermone; fi non affentatione (quippe nefarium id effet), at certe conniventiâ aliquâ nequitiae. Nec enim tantum *loquendum* jam *ut multi*, *fapiendum ut pauci* (quod contritum jubet fermone proverbium), verum etiam loquendum ut quam plurimi, agendum fere ut nemo. Quae quidem iniqua funt (fateor), vernilia, et libero homine indigna (quae fentis enim, haec eadem dicere palam et in medium proferre, id humanum, id ingenuum; nec aequius dici quidquam poteft, quam *in libera Rep. liberas effe voces oportere*). Sed labem iftam non doctrinae huic meae, quae neceffitati confulit, at hodiernis moribus, qui neceffitatem illam injunxerunt, acceptam refer. Quid facias? Aurea illa aetas, argentea item, caeteraque metallicae tranfierunt ad unam omnes, effluxerunt, elapfae funt; hodie vero quid agitur?

*Non Aetas agitur, pejoraque fecula ferri*
*Temporibus, quorum fceleri non invenit ipfa*
*Nomen, et a nullo pofuit Natura metallo?*

Juvit igitur Epicureos, probi ipfi cum effent, de ratione ac inftituto vitae minus proba cenfere; ita enim et examen illud crabronum, tam infenfum ac infeftum luci, praeclaris plaufibilibufque fententiis non perftringebant, non laceffebant nimis, et cenforiam illam virgam, flagellum illud quo tam faepe vapulant Philofophi, quod femper in

eos qui bene dicunt et fecus agunt, diftrictum eft, opportune declinabant; et denique populo admirabiles videbantur, ut qui melius facerent quam dicerent, cum caeteri melius dicere quam facere exiftimarentur. Et inter ea cum malos, tum bonos alliciebant, atque in fcholam fectamque fuam pertrahebant, hos quidem vitae ac morum continentiâ, illos vero fpe aliquâ praetextûs ac velamenti vitiorum, et fermonis fententiarumque licentiâ. *Non ab Epicuro impulfi luxuriantur*, inquit Seneca, *fed vitiis dediti, luxuriam fuam in Philofophiae finu abfcondunt, et eo concurrunt, ubi audiunt laudari voluptatem. Nec aeftimatur voluptas illa Epicuri* (*ita enim mehercules fentio*) *quam fobria et ficca fit, fed ad nomen ipfum advolant, quaerentes libidinibus fuis patrocinium aliquod ac velamentum.* de Beat. Vita *c.* 12.

II. Et de Epicuri quidem probitate ac integritate vitae dicta nobis aliqua, Difput. 4. th. 7. et 8., in quae plura alia, fi id inftituti noftri ratio ferret, adderemus. Sectatores autem ejus, hîc vere fectatores, et magiftri fui veftigiis infiftunt ftrenue; homines frugi, fimplices, et aperti, qui nihil ex occulto, nihil de infidiis, veritatis cultores, fraudis inimici. Cicero fane adverfarius eorum (ut ipfe de fe teftatur) non remiffus (et fenferant Epicurei, atque etiam querebantur, vide Difput. 4. th. 4. ad finem), femper tamen *bonos viros* Epicureos, *optimos homines*, *perhumanos*, *non verfutos*, *minime malitiofos*, *qui longe melius faciant quam dicant; de acumine eorum, non de moribus agi; reprehendi non ea quae naturae eorum confentanea fint, fed quae difciplinae; vinci bonitate naturae ne fibi conftent in fententia fua;* et talia multa multis locis, cum in eos difputat, interponit. Inde vero duplex in Epicureis oritur diffidium: alterum inter vitam et fententiam (et hoc mirum, et ufu atque confuetudine alienum; nam vita proba eft, flagitiofa fententia, cum contra ufu venire foleat in aliis), alterum inter ipfas fententias; nam harum aliae ab aliis diffentiunt, et inter fe pugnant atque contradicunt. Et quantum quidem ad prius illud diffidium attinet, *Redarguitur ipfe* (Epicurus) *a fefe*, inquit Tullius, *veneuntque fcripta ejus, probitate ipfius ac moribus.* 2. 31. Et alibi: *Sunt nonnullae difciplinae, quae propofitis bonorum ac malorum finibus, officium omne pervertunt. Nam qui fummum bonum fic inftituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque fuis commodis, non honeftate metitur* (ut imprimis Epicurus fecit),

*hic si sibi ipse consentiat, et non interdum naturae bonitate vincatur, neque amicitiam colere possit* (at quis eam tantâ fide coluit ut Epicurus?), *nec justitiam, nec liberalitatem* (in his nemini secundus), *fortis vero, dolorem summum malum judicans* (ut ille quam fortem se in torminibus et stranguriâ suâ, imo et in mediâ morte praebuit!), *aut temperans, voluptatem summum bonum statuens* (temperantissimus vero fuit Epicurus), *esse certe nullo modo potest; quae quanquam ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat, sunt tamen a nobis alio loco disputata etc.* 1. de Off. 2. Item: *Faceres tu quidem, Torquate, haec omnia* (quae nempe Pylades et Orestes; de his enim praecesserat); *nihil enim arbitror magna laude dignum, quod te praetermissurum credam, aut mortis aut doloris metu. Non quaeritur autem quid naturae tuae consentaneum sit, sed quid disciplinae. Ratio ista quam defendis, praecepta quae didicisti, quae probas, funditus evertunt amicitiam etc. At coluit ipse (Epicurus) amicitias? Quasi quis illum neget, et bonum virum, et comem, et humanum fuisse. De ingenio ejus in his disputationibus, non de moribus quaeritur etc. Ac mihi quidem quod et ipse bonus vir fuit, et multi Epicurei fuerunt, et hodie sunt in amicitiis fideles, et in omni vita constantes ac graves, nec voluptate sed officio consilia moderantes, hoc videtur major vis honestatis, et minor voluptatis. Ita enim vivunt quidam, ut eorum vitâ refellatur oratio; atque ut caeteri existimantur dicere melius quam facere, sic hi mihi videntur facere melius quam dicere.* 2. 25. Item: *Audi moriens quid dicat Epicurus, et intellige facta ejus cum dictis discrepare. Epicurus Hermacho salutem. Cum ageremus, inquit, vitae beatum et eundem supremum diem, scribebamus haec. Tanti autem morbi aderant vesicae et viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. (Ecce miserum hominem, si dolor summum malum est; dici aliter non potest; sed audiamus ipsum.) Compensabatur tamen cum his, inquit, omnibus animi laetitia, quam capiebam memoriâ rationum inventorumque nostrorum (audio quidem Philosophi vocem, Epicure, sed quid tibi dicendum sit, oblitus es; primum enim, si vera sint ea quorum recordatione te gaudere dicis, hoc est, si vera sint tua scripta et inventa, gaudere non potes; nihil enim jam habes quod ad corpus referas; est autem a te semper dictum, nec gaudere quemquam nisi propter corpus, nec dolere) etc.* Sequuntur in Epicuri epistola

haec: *Sed tu ut dignum eſt tua erga me et Philoſophiam voluntate, fac ut Metrodori tueare liberos* (*Cur Metrodori liberos commendas? quid ex iſto tuo egregio officio ad corpus refers? Huc et illuc, Torquate, vos verſetis licet, nihil in hac praeclara epiſtola ſcriptum ab Epicuro congruens et conveniens decretis ejus reperietis*). 2. 30.

III. Quantum autem ad poſterius diſſidium, quo ſententiae cum ſententiis diſſident et pugnant: quanquam hîc profundam Dialectices in Epicureis omnibus ignorantiam merito cauſabar, Diſput. 3. th. 3., tamen partem aliquam bene magnam hujus in dictis inconſtantiae ac antilogiae vindicare ſibi vitam probam cum improbâ conjunctam ſententiâ, inficiari profecto nullo modo poſſum. Fieri enim nequit, ut cum boni errant, et alienam indole ſuâ ſententiam probant, non hinc inde recantillent, et diſciplinam quidem ſuam mordicus tueri volentes, tamen naturae bonitate victi quandoque non ſuccumbant ſibi, et ea inter commentandum interponant, quae ſe quam diſciplinâ ſuâ digniora ſunt. Hinc apud Ciceronem hae et ſimiles, cum in eos diſputat, expoſtulationes et objurgationes juſtae paſſim occurrunt: *Haec inconſtantiſſime dicuntur;* item: *Quid attinet glorioſe loqui, niſi conſtanter loquare?* Item: *Quaſi ego id curem, quid ille ajat aut neget; illud quaero, quid ei, qui in voluptate ſummum bonum putat, conſentaneum ſit dicere.* Item: *Non quaero quid dicat, ſed quid convenienter rationi poſſit et ſententiae ſuae dicere.* Et Tuſculanarum Quaeſtionum libro tertio, capite vigeſimo, admodum plane: *Dicet aliquis: Quid? ergo tu Epicurum exiſtimas iſta voluiſſe, aut libidinoſas ejus fuiſſe ſententias? Ego vero minime; video enim ab eo dici multa ſevere, multa praeclare. Itaque, ut ſaepe dixi, de acumine ejus agitur, non de moribus. Quamvis ſpernat voluptates eas, quas modo laudavit, ego tamen meminero quid videatur ei ſummum bonum; non enim verbo ſolum poſuit voluptatem, ſed explanavit quid diceret. Saporem, inquit, et corporum complexum, et ludos atque cantus, et formas eas, quibus oculi jucunde moventur. Num fingo? num mentior? Cupio refelli; quid enim laboro, niſi ut veritas in omni quaeſtione explicetur? At idem ait, non creſcere voluptatem dolore detracto, ſummamque voluptatem nihil dolore. Paucis verbis tria magna peccata: unum quod ſecum ipſe pugnat; modo enim ne ſuſpicari quidem ſe quidquam bonum, niſi ſenſus quaſi titillarentur voluptate, nunc autem*

*fummam voluptatem effe dolore carere; poteftne magis fecum ipfe pugnare? Alterum eft peccatum etc. At laudat et faepe virtutem? Et quidem C. Gracchus cum largitiones maximas feciffet et effudiffet aerarium, verbis tamen defendebat aerarium. Quid verba audiam, cum facta videam? Pifo ille Frugi femper contra legem frumentarium dixerat; is lege latâ confularis ad frumentum accipiendum venerat. Animadvertit Gracchus in concione Pifonem ftantem; quaerit audiente Populo R., quî fibi conftet, cum eâ lege frumentum petat quam diffuaferat? Nolim, inquit, mea bona Gracche tibi viritim dividere liceat, fed fi facias, partem petam. Parumne declaravit vir gravis et fapiens, lege Semproniâ patrimonium publicum diffipari? Lege orationes Gracchi; patronum aerarii effe dices. Negat Epicurus jucunde poffe vivi nifi cum virtute vivatur; negat ullam in fapientem vim effe fortunae; tenuem victum antefert copiofo; negat ullum effe tempus, quo fapiens non beatus fit. Omnia Philofopho digna, fed cum voluptate pugnantia.* 3. Tufc. 20. Item: *Hanc vero dulcem et fuavem voluptatem, ut appellat, interdum ita extenuat, ut M. Curium putes loqui; interdum ita laudat, ut quid praeterea fit bonum, neget fe ne poffe fufpicari quidem.* 2. 10.

IV. Miftam hanc Epicureorum biformemque rationem, voluptatem quidem in cute praetendere, intus vero ac in receffu virtutem celare, Seneca putavit; ita ut titulo tantum et infcriptione tenus, voluntaria, delicata, mollis, profeffione vero et reipfa fevera, gravis, imo triftis et afpera difciplina, fi ei credimus, cenfenda fit. Quae fectae iftius commendatio, praefertim ab homine Stoico (quod genus naturaliter Epicuro-maftix eft), mira tamen mihi non accidit; nam et Epicuro ftudet et in colligendis commemorandifque ejus apophthegmatibus affiduus eft Seneca; et homini acuto ac minime obefae naris, nefcio quid fuboleat. Ac fieri poteft ut errem, fed tamen ita prorfus exiftimo, quafi per nebulam videre eum, Stoam fuam ab Epicuro occupatam effe, atque in hujus hortulis numerum aliquem obtinere. Epicurus enim et Stoam, et Academiam, et Peripatum, et fi quae aliae funt olim Philofophorum dioecefes, in jus ac dictionem fuam accepit, folo aequavit, et in filvulas, fatyris faunifque fuis (id eft, ambiguis hominibus, et Deo pariter ac fibi, nifi id fieri nequeat, ftudentibus) convertit; ut et pridem deteximus aliquantulum Difput. 1. et 2., et

infra locus dabitur uberius id ipſum demonſtrandi. Nec non intellexit Epicurus, nec diſſimulatum habuit hunc ſuum in reliquas antiquae philoſophiae ſectas dominatum. Ipſe enim (interprete Cicerone, et ad verbum de Graeco convertente) in eo quidem libro qui continet omnem diſciplinam ſuam, haec dicit: *Saepe quaeſivi ex iis qui appellantur ſapientes, quid haberent quod in bonis relinquerent, ſi illa detraxiſſent* (nempe quae proxime praeceſſerant: *Voluptates quae ſapore percipiuntur, quae auditu et cantibus, quae ex formis percipiuntur oculis*, ad haec *ſuaves motiones, ſive quae aliae voluptates in toto homine gignuntur quolibet e ſenſu*). *Niſi ſi vellent voces inanes fundere, nihil ab his potui cognoſcere. Qui ſi virtutes ebullire volent et ſapientias* (glorioſe ſcilicet de his vanis et ſine re nominibus perſtrependo), *nihil tamen aliud dicent niſi eam vitam, qua efficiantur eae voluptates quas ſupra dixi.* 3. Tuſc. 18. Nempe virtutem et ſapientiam ſemper expetunt propter aliquam voluptatem; et ſicut flumina poſt varios tortuoſoſque flexus et ambages, tandem

*In mare devolvunt feſſas erroribus undas;*

ita hi in Epicuri ſinum ſuas ſententias. Nam

*— Trahit ſua quemque voluptas.*

Nihilominus

*Stat contra Ratio et ſecretam gannit in aurem.*

Sed e diverticulo in viam; et audiamus, ſi placet, Senecam. *Hoc eſt, cur iſta voluptatis laudatio pernicioſa ſit, quia honeſta praecepta intra latent, quod corrumpit, apparet. In ea quidem ipſe ſententia ſum; invitis hoc noſtris popularibus* (Stoicis, quorum, ut diximus, Epicurus perpetuus maſtix) *dicam, ſancta Epicurum et recta praecipere, et ſi propius acceſſeris, triſtia. Voluptas enim illa ad parvum et exile revocatur, et quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati. Jubet illam parere naturae* (nimirum in eo Stoici virtutem conſtituunt, uti naturae convenienter congruenterque vivatur; Epicurus autem ſimiliter naturalibus fere neceſſariiſque voluptatibus contentus eſt, ſumptuoſis et ſupervacaneis abſtinendum cenſet; quid hi in re diſſident?) *Parum eſt autem luxuriae, quod naturae ſatis eſt. Quid ergo?* (Ecce fatebitur ingenue, offendi nomine, re ſibi cum Epicuro bene convenire.) *Ille qui deſidioſum otium, et gulae ac libidinis vices, felici-*

*tatem vocat, bonum malae rei quaerit auctorem; et dum illo venit blando nomine inductus, fequitur voluptatem, non quam audit* (Epicuream illam et fobriam) *fed quam attulit* (fupinam illam nepotum et afotorum) *et vitia fua cum coepit fimilia putare praeceptis, indulget illis non timide nec obfcure. Luxuriatur etiam inoperto capite. Itaque non dico, quod plerique noftrorum, fectam Epicuri flagitiorum magiftram effe; fed illud dico: male audit, infamis eft, et immerito, nec hoc fcire quifquam poteft nifi interius fuerit admiffus; frons ipfa dat locum fabulae, et ad malam fpem invitat. Hoc tale eft, quale vir fortis ftolâ indutus etc. Titulus itaque honeftus eligatur, et infcriptio ipfa excitans animum etc.* Sen. de Vita Bea. cap. 13.

V. Haec ille. Et mirari fubeat non nemini, cum inftaret Epicuro fatis belle, cumque a cap. 10. ufque ad 13. toto campo fundere fugareque videretur, hîc fubito torpere virum, et ultro haftam abiicere ac dexterâ datâ fidem futurae amicitiae fancire, tantum vana quaedam de Epicureorum fignis et infignibus caufatum; offendi fe eorum infcriptionibus et titulis, nec mala quidem haec, fed non ita palam habenda. Nempe fi animum attenderimus iis, quae ille lib. de Vita Bea. cap. 10., 11., 12., 13. dixit, ad hanc vocem, *Voluptas Epicuri quam fobria et ficca*, fuftitit et hebefcere coepit; hoc ille oraculo exarmatus eft. Sed quid refert, Seneca, fobriam et ficcam effe voluptatem? Voluptas eft; cum qua internecinum bellum gerendum tibi erat, fi perfidum Zenoni facramentum dixiffe videri noluiffes. Voluptas eft; *humilis et pufilla res, et in nullo habenda pretio, cum mutis animalibus* (nonne enim et horum voluptates ficcae funt atque fobriae?) *communis, ad quam minima et contemptiffima advolant*, te ipfo auctore, Epift. 123. Voluptas eft; et haec affectus; et hic *modicus* (tua verba funt 1. de Ira 10.); *nihil aliud quam modicum malum eft.* Quid quod non modica (etiamfi fobria et ficca) voluptas fit, quam Epicurus affectat, qua gloriatur? *Diffluo*, inquit ipfe apud Stobaeum, *voluptate corpufculi, idque pane et aqua utens;* audis haec Stoice, et luxuriam non audis? Quid quod non modo fobriam hanc et ficcam voluptatem probet, fed etiam temulentam illam et tiburcinantem, dummodo non fit in ea infinita cupiditas, et metus Dei ac magiftratus abfint? Quod et ipfe ibidem innuit: *Defpuo autem fumptuofas voluptates, non propter ipfas, fed incommoda quae*

*comitantur;* et de eo Cicero: *Ipſe negat luxurioſorum vitam reprehendendam, niſi plane fatui ſint, id eſt, niſi aut cupiant aut metuant; quarum ambarum rerum cum medicinam pollicetur, luxuriae licentiam pollicetur; his enim rebus detractis, negat ſe reperire in aſotorum vitâ quod reprehendat.* 2. 22. Quod nos infra latius, ipſiuſmet Epicuri verbis in medium productis demonſtratum dabimus. Quod autem quereris, *velamentum et patrocinium vitiorum ab hac diſciplina peti, itaque quod unum in malis bonum erat, perdi verecundiam peccandi,* frivolum eſt, et Peripateticorum ſoccis quam Stoico cothurno dignius. Nunquam peccare volentibus praetextus in promptu non eſt; aut ſi qui ſolum, quod hic non ſatis ad tegendum faciat, non ſatis ſpiſſus ſit, ſed tranſluceat, peccatis abſtinent, nihilo hi peſſimis meliores ſunt. Vitium in animo conſummatur, eique non raro notam ſuam tanto truculentius inurit, quanto cum eo concluditur arctius, quanto magis ad externa diffundi prohibetur. Scilicet *ille effuſus in voluptates, reptabundus ſemper atque ebrius, quia ſcit ſe cum voluptate vivere, credit* (ſi Dis placet) *et cum virtute; audit enim* ex Epicureis, *voluptatem a virtute ſeparari non poſſe; deinde vitiis ſuis ſapientiam inſcribit* (pinguem mehercule et ſuccidam) *et abſcondenda profitetur* (de Vita Bea. 12.). Sed huic rei Epicurus non deſideratur, ebrietas ſe ſolâ ſufficit, *arcani prodiga et perlucidior vitro*, ut ait Poëta. Sed quam haec in parvo ſunt! Nonne hoc eſt papulas obſervare, plagas praetermittere? Diſciplina illa quam hîc palpas, quam lambis, foedum in modum exulcerata eſt; imo tota crudum ulcus et dirum carcinoma, in tabo ac ſanie ſua volutatur. Quapropter (nec enim remedio locus ullus ſupereſt)

— *Immedicabile vulnus*
*Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.*

Sed *in Epicuri diſciplinâ honeſta, imo* (ut ais) *ſancta et recta praecepta intra latent; titulus, inſcriptio, frons dedit locum fabulae; ob haec, non ob merita ſua male audit et infamis eſt.* Videris mihi de Epicuri hortis, non de diſciplina ſermonem facere; his, ut a te accepimus, inſcriptum erat: *Hoſpes hîc bene manebis, hîc ſummum bonum voluptas eſt.* Craſſus titulus et bene adipatus, qui et viatori ſpem malam injicere poterat; ſed titulus domo proſcriptus, et prae

foribus manere juffus; intus enim nihil minus. Hic omnia tenuia, hîc prandium caninum, hîc facrum fine fumo, hîc paterfamilias non toto affe pafcitur, domeftici finguli toto; tum in hofpites par luxus atque fumptus impenditur; his polenta et aqua utramque menfam facit (vide Difp. 4. th. 8.). Hunc quidem titulum oratio tua cogitat effe finem, quem difciplinae fuae praeftituit Epicurus; hic autem finis voluptas eft, quam omnibus ex rebus velut mercedem exigit; omnes res bonas atque laudabiles eo refert, ut cum voluptate vivatur; hoc ipfum autem, cum voluptate vivere, nufquam refert; hoc ultimum, hoc extremum effe bonorum jubet. At quia corporis gravioribus morbis, et multo magis animi morbis, id eft, cupiditatibus ac vitiis jucunditas impeditur; hinc inter caetera, imo prae caeteris virtutes adhibet, quae immenfâ ac inani cupiditate refectâ, domitifque terroribus et curis, fartam tectam praeftent voluptatem. Itaque voluptas ei in fine, virtus in mediis verfatur. Et ficut oratio tua cogitabat, finem illum effe titulum, hujus difciplinae valvis praefixum; fic et virtutem, quae velut medium fumitur, intra latere cogitat. Sed vide, Seneca, quantum ifto fchemate fallare; aliter in Epicuri difciplina res habet, imo prorfus invertitur: hîc in fronte virtus fedet, intra voluptas et fcelus latent. Finis enim naturâ fuâ intro cedit, abftrufus et reconditus, in animum ac propofitum fe recipit (imo ipfe finis, propofitum; ipfe finis, animus nofter non raro dicitur), media vero funt in manibus, palam prodeunt, et ante oculos unicuique obverfantur. Haec igitur nomen tituli rectius occupant; ille, eorum quae fub titulo geruntur (aliena quidem faepe et multum abludentia) fpeciem praefert; ficut cum infidiator beneficium impingit, infidiae (finis) intus et in animo agitantur, beneficium (medium) foris praetexitur. Sic ergo potiori jure, Seneca, dixiffes: *Honefta praecepta apparent, quod corrumpit intra latet.* Quanquam ne hoc ipfum quidem quod intra latet, magnopere celat Epicurus; nifi forte cum erubuit, quod aliquando patitur; vis enim eft permagna naturae. His adde, quod titulus et infcriptio rem non mutant (et velata beneficio inimicitia non minus vera, fed vel verior inimicitia eft), at finis, animus, propofitum, totam faepe rem tranfformant, alio torquent, flectunt, aut pervertunt. Optimus finis a malo medio depravatur, optimum medium a malo fine. Sic aliis eripere, quod aliis

dones, iniquum (bonus tamen finis, fed malum medium), donare vero ut fubornes, nefarium (bonum tamen medium, fed malis finis). Nullum igitur in Epicuri difciplina bonum praeceptum eft; malus finis. Omnia refert ad voluptatem; hoc apud ipfum ftigmate compuncta funt omnia, et turpitudini fervunt.

VI. Et quoniam omnia perfequimur, volumus quîdem certe: quae tandem funt *recta illa et fancta* (ut Seneca th. 4.), *illa praeclara et fevera* (ut ante Tullius th. 3.), quae praecipit Epicurus? Obiter et pauca quaedam perftringit Tullius loco citato: *Negat Epicurus jucunde poffe vivi, nifi cum virtute vivatur* (recte; fed quod inde efficit Epicurus, nempe cum virtute vivendum ideo ut jucunde vivatur, perverfiffimum). *Negat ullam in fapientem vim effe fortunae* (recte; fed cum voluptas corporis, quam fapiens ejus jugiter fectatur, vel maxime in fortunae imperio ac poteftate fit, inconftantiffime). *Tenuem victum antefert copiofo* (fi *alterius opipare, alterius tenuiter vefci* dixiffet, intelligerem; nunc vero *aquam et polentam, et cum his Jovi de felicitate controverfiam* a doctore voluptatis et gulae non accipio). *Negat ullum effe tempus quo fapiens non fit beatus* (imo, patrone voluptatis, fi aquam etiam et polentam, delicias fapientis tui, furripiat fortuna, et furripere poteft facile, mifer erit). Haec ibi Tullius. Annaeus autem Seneca uberiorem verfuram ab Epicuro fecit in Epiftolis fuis ad Lucilium. Jubet illum pro plufculis epiftolis fuis portorium folvere; magnificam aliquam vocem, praeceptum utile, dictum animofum (mirum enim eft, quam Seneca turgido illo fpiritu in abfcifis fententiis, et quafi thyrfo gaudeat) pro fe dependere. Audiamus. *Uni e confortibus fuis fcribens Epicurus: haec, inquit, ego non multis, fed tibi; fatis enim magnum alter alteri theatrum fumus.* Apud Senecam Epift. 7. Indicat contemnere fe voluptatem ex plurium affenfione venientem; et clarius apud eundem Epift. 29. *Nunquam volui populo placere; nam quae ego fcio, non probat populus, ego nefcio.* Ille vero popularem auram (quod hîc videri vult) nunquam contempfit; et pro fe ac difcipulis fuis ambitiofus femper fuit. *Idomeneo, regiae tunc potentiae miniftro et magna tractanti, haec fcribit: Si gloriâ tangeris, notiorem te epiftolae meae facient, quam omnia ifta quae colis et propter quae coleris.* Epift. 21. Haec homo, minime fcilicet gloriofus. Sed in hanc rem quoniam fatis multa dixi

Diſp. 4. Th. 3. 4. 5. 6., illinc aſſumes, quae ad hunc locum pertinebunt. Et cur gloriam ſpernat Epicurus, quae ipſo teſte multis ſaepe jucundior eſt voluptatibus, et quae ſola omnem continet honeſtatem, ſine qua negat jucunde vivi? *His enim ipſis verbis utitur: neque intelligere neque videre ſe, ſub hac voce honeſtatis quae ſit ſubjicienda ſententia; ut enim conſuetudo loquitur, id ſolum dicitur honeſtum, quod eſt populari famâ glorioſum. Quod, inquit, quanquam voluptatibus quibuſdam eſt ſaepe jucundius, tamen expetitur propter voluptatem.* Cic. 2. de Fin. 15. Ita undique diſſolutus eſt, nec artubus haeret Epicurus: modo ait, tum negat et ſecum ipſe perpetuo pugnat. Et ſane magiſtro voluptatis ita faciendum erat; pro libidine leges ille figat et refigat; miſerum eſt uno ſua omnia metiri tenore; genio indulgeat ille, et ut varie affectus eſt (ſicut aliter alias affecti ſumus omnes), ita varie loquatur, varie ſcribat; quod in buccam venerit, hoc dicat. Epiſt. 20. hoc tributum pro Seneca dependet Epicurus: *Magnificentior, mihi crede, ſermo tuus in grabato videbitur et in panno; non enim dicentur tantum illa, ſed probabuntur.* Sed quid tibi ac tuis, Epicure, cum magnifico ſermone? anne ut ad corpus omnia referre ſapientem nobis probes? ſive, ut honeſtius dicam, nihil facere niſi quod expediat, ſive omnia referre ad utilitatem ſuam (hoc enim tibi principale dogma eſt, quo caetera referenda ſunt)? anne ut obſcoenas voluptates, de quibus a te ſaepiſſime dicitur, quaſque cum appellandae forte ſunt, erubeſcimus et honorem praefamur, nobis commendes? De his in roſa potius, in byſſo et purpurâ, inter lupas cum Sardanapalo, quam in panno vel grabato. Moneo ego cum Tullio: *Si vel maxime vera ſunt quae dicis, quoniam certe plauſibilia non ſunt, in ſinu gaude; glorioſe loqui deſine.* 3. Tuſc. Simile vanitatis peculium fert ſecum Epîſtola nona: *Si cui ſua non videntur ampliſſima, licet totius dominus ſit, tamen miſer eſt; vel ſi hoc modo melius enunciari videtur (id enim agendum, ut non verbis ſerviamus, ſed ſenſibus): Miſer eſt, qui ſe non beatiſſimum judicat, licet imperet mundo.* Expeditum iter ad ſtultitiam et immanitatem, dum ſemper in hoc ſe concitat et inſtigat animus, ut ſibi placeat, et non tantum aliis (quod et ſolitum inter homines, et minime mirum), ſed jam etiam ipſe ſibi, beatum eſſe ſe, bene ſecum agi, ſplendide mentitur. Quid refert, tua tibi qualia videantur? Quid muneris,

quid officii tui ſit, id ſcilicet inquire, id cura, totus in illo; illud age, et rem tuam ages.

VII. Epiſtolae octavae hoc ſignum impreſſum eſt ab Epicuro: *Philoſophiae ſervias oportet, ut tibi contingat vera libertas.* Sic reformo: *Servi Philoſophiae verae (verae ſapientiae), et continget tibi vera libertas* (ſi enim ſervias, ut libertas tibi contingat, ſemper ſervies, nunquam eris liber). Sed reformationem hanc Epicurus non recipit, praefracte repudiat, ſinendus eſt ſibi. Epiſt. 11. *Aliquis vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus, ut ſic tanquam illo ſpectante vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus;* et Epiſt. 25. in eandem ſententiam: *Sic omnia fac tanquam ſpectet aliquis*, aut, ut alii legunt (et ad Epicurî gloriationem non male alludit): *Sic fac omnia, tanquam ſpectet Epicurus.* Verum ego ita ſentio, et ſaepe diſſerui, hiſce praeceptis, ſpecioſis ſane et prima fronte bonis ac honeſtis, moralem diſciplinam funditus everti; dum aſſueſcunt homines ad exiſtimationem ſe componere, nec ad rigidam rationis normam, quae faciunt, ſed ad Leſbiam regulam vanitatis et opinionis exigunt. Una ſalus erat in ſolitudine; quam imaginaria iſta celebritas, quae his praeceptis continetur, et in quam naturae vitio plus ſatis propendemus, interturbat. Sequuntur aliquammulta in paupertatem, quae curſim delibabimus. *Divitiae ſunt ad legem naturae compoſita paupertas. Hoc ſaepe dicit Epicurus aliter atque aliter, ſed nunquam nimis dicitur quod nunquam ſatis diſcitur.* Epiſt. 27., et Idomeneo: *Si vis Pythoclea divitem facere, non pecuniae adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum.* Epiſt. 22. Item: *Maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget.* Epiſt. 14. Item: *Si ad naturam vives, nunquam eris pauper; ſi ad opinionem, nunquam dives; exiguum natura deſiderat, opinio immenſum.* Epiſt. 11. Item: *Multis paraſſe divitias non finis miſeriarum fuit, ſed mutatio.* Epiſt. 17. Item: *Habeamus aquam, habeamus polentam; Jovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus.* Epiſt. 110. In quae ſingula forte quod addam, quod transponam, quodque omnino ſubinde inducam habeo; ſed venit mihi in mentem inſtituti mei, et ſuperſedeo. Subjiciam modo pauca, quae magnopere probo: *Ante circumſpiciendum eſt, cum quibus edas et bibas, quam quid edas et bibas; nam ſine amico viſceratio, leonis ac lupi vita eſt.* Epiſt. 19. O te virum bonum (non poſſum enim hîc

oblitus difciplinae tuae, non morum tuorum recordari, Epicure), o te cultorem amicitiae exofculor! Quam longe, pie vir, abiifti a barbarie noftrâ! Ad haec: *Initium eft falutis notitia peccati.* Sanctum! *Nam qui peccare fe nefcit, corrigi non vult; deprehendas te oportet, antequam emendes.* Epift. 28. Et hoc praeclarum eft: *Stulti vita ingrata eft, trepida eft, tota in futurum fertur.* Epift. 15. Item: *Inter caetera mala hoc quoque habet ftultitia proprium: femper incipit vivere.* Epift. 13. Quid dicam? Proba multa funt et fancta, fi feorfim confideres, in difciplinae tamen contextu turpia funt et polluta; cum voluptate conglomerantur, ad eam diriguntur omnia; ea merces in his auctoramentum fervitutis eft.

## VI.

## IN EPICURUM IV.

(D. 5. m. Maji a. 1668.)

Thesis I. Epicurum in Schola recte dicas Minotaurum in Labyrintho; bicorporem illum volo,

*Semibovemque virum, femivirumque bovem.*

Altera enim Philofophiae ejus pars, hominis, altera pecudis eft. Modo laudat virtutem, et fupra fummum bonum fuum, fupra felicitatem ipfam ac beatitudinem extollit (*praeftet rationabiliter*, id eft cum virtute, *infelicem effe feu in dolore verfari, quam fine ratione felicem effe;* fic ipfe in Epift. ad Menoeceum recitante Laërtio). Dolorem, qui ei non fummum modo, fed folum malum eft, prae virtute contemnit (*Nullum fapienti, nullum viro bono tempus effe dicit, etfi uratur, torqueatur, fecetur, quin poffit exclamare: quam pro nihilo puto!* 5. Tufc. 26.). Voluptatem, quae ei non fummum modo, fed folum bonum eft, extenuat, et virtutis pedibus ceu fcabellum fubjicit (*Non convivia et comeffationes, non puerorum mulierumque congreffus, non pifcium ufus, et caeterorum quae affert pretiofior menfa, fuavem gignit vitam; verum ratio fobria, caufas expendens cur quaeque vel eligenda vel repudianda fint, opinionefque expellens, per quas animos ut plurimum occupat tumultus.* Ita ipfemet in epift. ad Menoeceum).

Hominem audivifti, imo Philofophum audivifti, et fors oraculum audiviffe te dicas. Audi alia: Voluptatem laudat, et quidem ita laudat, *ut quid praeterea fit bonum, neget fe ne poffe fufpicari quidem.* 2. de Fin. 10. Dolorem exaggerat: *Roga* enim *Epicurum, majus dicet effe malum mediocrem dolorem, quam maximum dedecus; in ipfo enim dedecore mali nihil effe, nifi fequantur dolores.* 2. Tufc. 12. Virtutem extenuat ufque adeo, ut dicat, *ignorare fe, quam et qualem illam velint, inani voce fonare qui illam commendant, neque intelligere neque videre fe; fub hac voce honeftatis quae fit fubjicienda fententia.* 2. de Fin. 15. Cui fuccinit exfecrabilis illa cujufdam virtuti nuncium remittentis poenitentiae:

*Te colui, virtus, ut rem; aft tu nomen inane es.*

Haec vox jam non hominem, imo ne pecudem quidem, aut cicur aliquod et domefticum animal, fed belluam fonat. Quid ergo? *volumus Epicurum imitari? qui multa praeclare faepe dicit, fed quam fibi conftanter convenienterque dicat, non laborat. Laudat tenuem victum; Philofophi id quidem, fed fi Socrates aut Antifthenes diceret, non is qui finem bonorum voluptatem effe dixerit. Negat quemquam jucunde poffe vivere, nifi idem honefte, fapienter, jufteque vivat; nihil gravius, nihil Philofophiâ dignius, nifi idem hoc ipfum, honefte, fapienter, jufte, ad voluptatem referret. Quid melius, quam fortunam exiguam intervenire fapienti? Sed hoc illene dicit, qui cum dolorem non modo maximum malum, fed folum malum etiam dixerit, toto corpore opprimi poffit doloribus acerrimis tum cum maxime contra fortunam glorietur? Quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus: Occupavi, inquit, te, fortuna, atque cepi, omnefque aditus tuos interclufi, ut ad me afpirare non poffes. Praeclare, fi Arifto Chius, aut fi Stoicus Zeno diceret: qui nifi quod turpe effet, nihil malum duceret; tu vero Metrodore, qui omne bonum in vifceribus medullifque condideris, et definieris fummum bonum firmâ corporis affectione exploratâque fpe contineri, tu fortunae aditus interclufifti? Quomodo? ifto enim bono iam exfpoliari potes. Atque his capiuntur imperiti. et propter hujufmodi fententias; iftorum hominum eft multitudo.* 5. Tufc. 9.

II. Quid ergo dicas Epicurum effe? hominemne an feram? Feram dicas, fi hanc ejus partem infpicias, hominem, fi illam; et forte

benignitas aliqua te molliat, atque in favorabilem fententiam inclinet, ut quod in Epicuro biforme, miftum, et ambiguum eft, in meliorem partem accipias, in favorem ejus decidas atque difceptes, hominem effe pronuncies; cum praefertim hanc fuam partem probet ipfe moribus fuis et probâ vitâ, ferinam illam afpernetur. Forfitan etiam Rhadamantea feveritate adductus, et ad ἀκρίβειαν Scholae te accommodans, *Bonum ex integra caufa, malum ex fingulis defectibus* aeftimandum effe cenfebis, cumque non totus homo fit Epicurus, e numero hominum exturbabis, ad feras amandabis. At at! ne vagantes nos temere palantefque in hoc Labyrintho circumveniat monftrum, et devoret (nam humanâ vefcitur) tempeftive, nobifcum in eodem defudantem errore Thefea (Ciceronem) fequamur; nam fi quid animus praefagit boni, rem expediet cate et gnaviter. Itaque ergo veftigia ejus legamus cauti, premamus; ab Ariadne (a vera Philofophia) filum tenet. Principio quidem Heros nofter: *De ingenio Epicuri in his difputationibus, non de moribus quaeritur. Sit ifta in Graecorum levitate* (atque ibi maneat, et defodiatur; ad mores noftros ne pertineat) *perverfitas, qui maledictis infectantur eos a quibus de veritate diffentiunt; certe tale nihil in nos admittemus.* 2. de Fin. 25. Item: *Ut faepe dixi, de acumine ejus agitur, non de moribus.* 3. Tufc. 20. Nihil igitur hîc a nobis in Epicurum attentabitur (vir bonus eft; amamus inter nos, et dexteras jungimus); tota haec in Difciplinam ejus adornatur expeditio. Quapropter fi ad pugnam prolufimus, fi quid jacere convitii coepimus, id non in ipfum, fed in Scholam ejus jactum fit: haec ambigua, mixta, bicorpor eft; haec monftrofum quid et anthropophagum fovet,

— *Veneris monumenta nefandae.*

Alterum nobis viae compendium filo fuo Thefeus nofter defignat. *Acute*, inquit, *difputantium illud eft, non quid quifque dicat, fed quid cuique dicendum fit videre.* 5. Tufc. 10. Proinde, *Quamvis Epicurus fpernat voluptates eas, quas modo laudavit, ego tamen meminero, quid videatur ei fummum bonum; non enim verbo folum pofuit voluptatem* (excidiffe ea vox aliud fentienti videri poffet), *fed explanavit quid diceret; faporem inquit, et corporum complexum, et formas eas quibus oculi jucunde moventur.* 3. Tufc. 20. Itaque quid ille ajat aut

neget, non curabimus (monente noſtro Theſeo); nec illud quaeremus, quid ei qui in voluptate ſummum bonum putat, ſed quid convenienter rationi poſſit et ſententiae ſuae dicere. Habet. Sectus eſt Minotaurus; vir bonus ex eo, perſona Philoſophi gravis dimiſſa; quidquid praeclarum ac ſanctum, imo quidquid tantum humanum amplectebatur, abjunctum eſt. Superat mera bellua; hanc punctim et caeſim petere, hanc omni telorum genere oppugnare,

*Haſtiſque gladiiſque et ſaxis grandibus* —

certum eſt. Religione illâ, quae pium omne violare, jure merito nefas habet, quae manum ante nobis animumque religare videbatur, ſoluti ſumus. Ante tamen opobalſamum illud, quod ex hac Minotauri divulſione exſtillat, artubus noſtris inungamus ad robur et agilitatem. Quid enim? *An Epicuro, qui tantummodo induit perſonam Philoſophi, et ſibi ipſe hoc nomen inſcripſit, dicere licebit, nullum ſapienti eſſe tempus, etſi uratur, torqueatur, ſecetur, quin poſſit exclamare: quam pro nihilo puto? Cum praeſertim omne malum dolore definiat, bonum voluptate, haec noſtra honeſta, turpia irrideat, dicatque nos in vocibus occupatos, inanes ſonos fundere, neque quidquam ad nos pertinere, niſi quod aut leve aut aſperum in corpore ſentiatur? Huic ergo, ut dixi, non multum differenti a judicio ferarum, obliviſci licebit ſui? et tum fortunam contemnere, cum ſit omne et bonum ejus et malum in poteſtate fortunae; tum dicere ſe beatum in ſummo cruciatu atque tormentis, cum conſtituerit non modo ſummum malum eſſe dolorem ſed etiam ſolum? Nec vero ille remedia ſibi comparavit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem conſuetudinemque patiendi, praecepta fortitudinis, duritiam virilem; ſed unâ ſe dicit recordatione acquieſcere praeteritarum voluptatum. Ut ſi quis aeſtuans, cum vim caloris non facile patiatur, recordari velit, ſe aliquando in Arpinati noſtro gelidis fluminibus circumfuſum fuiſſe; non enim video, quomodo ſedare poſſint mala praeſentia praeteritae voluptates. Sed cum is dicat, ſemper beatum eſſe ſapientem* (*cui dicere hoc, ſi ſibi conſtare vellet, non liceret*), *quidnam faciendum eſt iis, qui nihil expetendum, nihil in bonis ducendum, quod honeſtate careat, exiſtimant? Me quidem auctore etiam Peripatetici vetereſque Academici balbutire deſinant aliquando, aperteque et clara voce audeant dicere, beatam vitam in Phalaridis taurum deſcenſuram.* 5. Tuſc. 26.

III. Prodeat jam in Cleanthis tabula, fuis coloribus depictum portentum. Cleanthes enim Epicuri difciplinam *fane commode verbis pingere folebat; jubebat eos qui audiebant, fecum ipfos cogitare pictam in tabula voluptatem, pulcherrimo veftitu et ornatu regali in folio fedentem; praefto effe virtutes ut ancillulas, quae nihil aliud agerent, nullum fuum officium ducerent, nifi ut voluptati miniftrarent, et eam tantum ad aurem admonerent (fi modo id picturâ intelligi poffet), ut caveret ne quid perficeret imprudens, quod offenderet animos hominum, aut quicquam e quo oriretur aliquis dolor: nos quidem virtutes fic natae fumus, ut tibi ferviremus, aliud negotii nihil habemus.* 2. de Fin. 21. Quis non excandefcat? quis non picturam ipfam et fimulacrum hoc exfecretur? quis manum abftineat? Et in rem ipfam quomodo animati erimus, qui umbram rei non ferimus? Ita tamen eft in Epicuri Schola. Audiamus Torquatum, hominem omni doctrina eruditum, tefte Tullio, a quo accurate quondam defenfa eft Epicuri fententia de voluptate: *Et appetendi et refugiendi, et omnino rerum gerendarum initia proficifcuntur aut a voluptate aut a dolore; quod cum ita fit, perfpicuum eft, omnes res rectas atque laudabiles eo referri, ut cum voluptate vivatur. Quoniam autem id eft vel fummum bonum, vel ultimum, quod Graeci* τέλος *nominant, quod ipfum nullam aliam ad rem, ad id autem res referuntur omnes; fatendum eft fummum effe bonum Jucunde vivere. Id qui in una virtute ponunt, et nominis fplendore capti, quid natura poftulet non intelligunt, errore maximo, fi Epicurum audire voluerint, liberantur. Iftae enim veftrae* (o Stoici, Peripatetici, caeterique fapientes, quos Epicurus confuluiffe fe dicit 3. Tufc. 18.) *eximiae pulchraeque virtutes, nifi voluptatem efficerent, quis eas aut laudabiles aut expetendas arbitraretur? Ut enim Medicorum fcientiam non ipfius artis, fed bonae valetudinis caufâ probamus, et Gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet, utilitate, non arte laudatur; fic fapientia, quae ars vivendi putanda eft, non expeteretur, fi nihil efficeret; nunc expetitur, quod eft tanquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis.* 1. de Fin. 12. et 13. Ecce fapientiam expetendam cenfent propter voluptatem, infipientiam propter moleftias effe fugiendam; fic item nec intemperantiam propter fe fugiendam effe dicunt, temperantiamque expetendam, non quia voluptates fugiat, fed quia majores confequatur; nec timiditatem

ignaviamque vituperari, nec fortitudinem patientiamque laudari ſuo nomine, ſed illas rejici quia dolorem pariant, has optari quia voluptatem; denique eandem juſtitiae rationem eſſe. Conſueſcunt itaque cum vitio, quamdiu voluptatem aliquam confert; ubi moleſtum eſſe coeperit, medelam petunt a virtutibus; has in ambubajarum, mimarum, et circulatricum loco ducunt. Ne longe abeam, Epicurus ipſe totidem fere verbis haec: *Si ea quae ſunt luxurioſis efficientia voluptatum, liberarent eos Deorum et mortis et doloris metu, docerentque, qui eſſent fines cupiditatum, nihil haberem quod reprehenderem, cum undique complerentur voluptatibus.* 2. de Fin. 7. In ſtupris, in inceſtis, ac nefariis libidinibus volutentur; nihil habet Epicurus quod reprehendat, modo tempori deſiſtant, antequam eos occupet moleſtia, et impoſterum provideant, ne poenitere ſubeat, et ut metus Dei ac legum abſit. Quo quid dici poteſt nefarium magis ac deteſtandum?

IV. Hinc in Epicuri Schola nihil plauſibile, nihil magnificum, abjecta omnia et ſordida, omnia foetent; haram omnia redolent et hircum. Unde Tullius improperat Torquato: *Quod patrocinium, aut quae iſta cauſa eſt voluptatis? quae nec teſtes ullos e claris viris, nec laudatores poterit adhibere. Ut enim nos ex annalium monumentis teſtes excitamus eos, quorum omnis vita conſumpta eſt in laboribus glorioſis, qui voluptatis nomen audire non poſſent; ſic in veſtris diſputationibus hiſtoria muta eſt. Nunquam audivi in Epicuri Schola* (quam tamen cum Attico meo frequentare ſolebam. 1. de Fin. 5.) *Lycurgum, Solonem, Miltiadem, Themiſtoclem, Epaminondam nominari, qui in ore ſunt caeterorum omnium Philoſophorum. Pugnant Stoici cum Peripateticis; alteri negant quidquam eſſe bonum niſi quod honeſtum ſit, alteri plurimum tribuere honeſtati, ſed tamen et in corpore et extra eſſe quaedam bona. Certamen honeſtum et diſputatio ſplendida, omnis eſt enim de virtutis dignitate contentio. At cum tuis* Epicureis, o Torquate, *cum diſputas, multa ſunt audienda etiam de obſcoenis voluptatibus, de quibus ab Epicuro ſaepiſſime dicitur.* 2. de Fin. 28. Ipſum Epicurum Scholae ſuae nonnunquam pudet; itaque aliam quandam voluptatem commentus eſt, quae in non dolendo conſummaretur; hanc immiſcet et confundit cum alia illa voluptate, qua ſenſus dulciter et jucunde movetur, quam omnes homines voluptatem vocant, quam etiam

pecudes, fi loqui poffent, appellarent voluptatem. Et ex his tam diffimilibus rebus (indolentiâ fcilicet et voluptate) non modo nomen unum, fed etiam rem unam facere conatur. Ita noctem rebus inducit, ut habeat quod propudio fuo praetendat velamentum. *Ex eo enim quod eam voluptatem, quam omnes gentes hoc nomine appellant, videtur amplexari faepe vehementius* (*quippe qui teftificetur, ne intelligere quidem fe poffe, ubi fit aut quid fit ullum bonum, praeter illud quod cibo aut potione, et aurium delectatione, et obfcoenâ voluptate capiatur.* 2. de Fin. 3.), *in magnis interdum verfatur anguftiis, ut hominum confcientiâ remotâ, nihil tam turpe fit, quod voluptatis caufâ non videatur effe facturus. Deinde ubi erubuit* (*vis enim eft permagna naturae*), *confugit illuc, ut neget accedere quidquam poffe ad voluptatem nihil dolentis. At ifte non dolendi ftatus non vocatur voluptas. Non laboro, inquit, de nomine. Quid quod res alia tota eft? Reperiam multos, vel innumerabiles potius, non tam curiofos nec tam moleftos quam vos eftis, quibus quidquid velim facile perfuadeam.* 2. de Fin. 9.

## VII.

## IN EPICURUM V.

(D. 13. m. Jun. a. 1668.)

Thesis I. Hoc igitur ftat Epicuro, hoc toto corpore atque omnibus unguiculis tenet, *Non poffe effe dubium quin Voluptas fit fummum atque extremum bonorum omnium, beateque vivere nihil aliud effe nifi cum voluptate vivere; folam hanc effe quae nos vocet ad fe et alliciat fuâpte naturâ.* 1. de Finib. 16. Exaggerat Voluptatis commendatione: *Nam voluptate fublatâ, negat fe intelligere omnino quid fit bonum.* 2. de Fin. 10. *Conftituamus*, inquit Torquatus, *aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente nec impendente; quem tandem hoc ftatu aut praeftabiliorem, aut magis expetendum poffumus dicere? Ineffe enim neceffe eft in eo qui ita fit affectus, et firmitatem animi nec mortem nec dolorem timentis* (*quod mors fenfu careat; dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis effe foleat; ut ejus magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio confoletur*). *Ad ea cum accedit ut neque divinum Numen horreat*

(ita Deum metuunt, et ad commemorationem ejus, anno feniores fiunt Epicurus et Epicurei omnes; confule Difp. 4. th. 7.), *neque praeteritas voluptates effluere patiatur, earumque affiduâ recordatione laetetur. Quid eft, quod huic poffit quod melius fit accidere?* 1. de Fin. 12. Exaggerat doloris deteftatione; nam ibidem Torquatus: *Contra ftatue aliquem confectum tantis animi corporifque doloribus, quanti in hominem maximi cadere poffunt, nullâ fpe propofitâ fore levius aliquando, nullâ praeteritâ, nec praefenti, nec expectatâ voluptate; quid eo miferius dici aut fingi poteft? Quod fi vita doloribus referta maxime fugienda eft, fummum profecto malum eft vivere cum dolore; cui fententiae confentaneum eft, ultimum effe bonorum cum voluptate vivere.* Exaggerat eorum quae ad voluptatem pertinent enumeratione, explicatione; *eam* enim *ita perfequitur: quae palato percipiatur, quae auribus; caetera addit, quae fi appelles, honos praefandus fit.* 2. de Fin. 10. Et in Epicuri Schola multa paffim audienda erant de obfcoenis voluptatibus Difput. 6. th. 4. Haec eadem Cicero ipfiufmet Epicuri verbis, expoftulatione praemiffâ: *Quid tergiverfamur, Epicure? nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuifti, foles dicere? Sunt haec tua verba nec ne? In eo quidem libro, qui continet omnem difciplinam tuam (fungar enim jam interpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis haec: Nec habeo equidem quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates quae fapore percipiuntur, detrahens etiam quae auditu et cantibus, detrahens etiam quae ex formis percipiuntur oculis fuaves motiones, five quae aliae voluptates in toto homine gignuntur quolibet e fenfu. Nec vero ita dici poteft, mentis laetitiam folam effe in bonis; laetantem enim mentem ita novi fpe eorum omnium, quae fupra dixi, fore, ut natura iis potiens dolore careat. Atque haec quidem his verbis; quivis intelligat, quam voluptatem norit Epicurus.* 3. Tufc. 18.

II. Haec ille, cum os perfricuit, et alia in eadem fententia perquam multa. Nam totus liber ejus, qui eft de fummo bono, tefte Tullio, refertus et fententiis et verbis talibus eft. *Cum vero erubuit (vis enim eft permagna naturae), in magnis faepe verfatur anguftiis, ut hominum confcientiâ remotâ, nihil tam turpe fit, quod voluptatis causâ non videatur effe facturus.* Itaque ad Palinodiam fe confert nonnunquam, et quas modo laudavit voluptates afpernatur, circumcidit

reftringit, extenuat: panno et grabato, aquâ et polentâ, cafeo et polentâ, cafeo et cibario pane definit. Ipfe in Epiftola ad Menoeceum, recitante Laërtio, haec fcribit: *Cum dicimus voluptatem finem effe et extremum bonorum, non luxurioforum et nepotum voluptates, eafque quae in guftu et ingluvie funt pofitae (ut quidam ignorantes, aut a noftra fententia diffentientes, aut male accipientes arbitrantur), fed non dolere corpore, animoque tranquillum effe, et perturbatione vacare dicimus. Non convivia et commeffationes, non puerorum mulierumque congreffus, non pifcium ufus, et caeterorum quae adfert pretiofior menfa, fuavem gignit vitam; verum ratio fobria caufafque perfcrutans, cur quaeque vel eligenda vel fugienda fint, opinionefque expellens, per quas animos ut plurimum occupat tumultus.* Et paulo fupra: *Frugalitatem magnum exiftimamus bonum, non ut femper utamur modicis, verum ut, nifi multa habeamus, utamur paucis; credentes veriffime, illos magnificentiâ frui fuaviffime, qui illâ minimum indigent; quodque naturale fit id omne effe parabile, nova vero difficile parari poffe. Dapes item fimplices aequam regio luxu afferre voluptatem, quando omne quod dolet per inediam fublatum eft. Panis ergo cibarius et aqua fummam voluptatem afferunt, cum egens quis illa in cibum fumit. Quamobrem fimplicibus et non magnifice paratis cibis affuefcere, et falubritatis eft, et hominem ad vitae ufus neceffarios impigrum reddit; ac fplendidis, fi per intervalla fumantur, nos commodius aptat, atque adverfus fortunam interritos facit.* In Maxime Ratis tamen (fic infcribitur liber ille, in quibus Epicurum comprehenfis graviffimis fententiis, quafi oracula ediditfe fapientiae, difcipuli et fectatores ejus gloriantur) luxurioforum et nepotum voluptates non improbat, nihil habere fe in iis quod reprehendat, diferte profitetur, fi metu vacet animus eorum. *Metu*, inquit, *de coeleftibus* (hoc metu expedire fe Epicurus non poteft, putatque alios omnes perinde ut fe, divinâ majeftate perterreri; in quo pueriliter falfus eft, ut bene obfervat Cotta apud Ciceronem lib. I. de Nat. Deor.) *et de morte et de doloribus.* Sic ille loquitur apud Laërtium. Sed de Epicuri inconftantia jam pridem fatis diximus, nec animus nobis eft crambem illam recoquere.

III. Hoc eum velle (quod ad rem noftram facit) clare videmus: ponere eum fummum bonum in voluptate, quomodocunque partâ; per fcelus an per virtutem, fufque deque habere; fuadere tantum,

ut iis quae contra jus et fas, praeter mores et consuetudinem populi, praeter receptas leges et caeremonias Deorum quaeruntur, voluptatibus abstineamus, utpote periculosis, et quae plus incommodi, molestiarum, et acerbitatis afferre tandem soleant, quam pridem promisissent felicitatis. *Plerumque improborum facta*, inculcat Torquatus, *primo suspicio insequitur, deinde sermo atque fama, tum accusator, tum iudex. Quod si qui satis opibus hominum sibi contra conscientiam septi esse et muniti videntur, Deorum tamen horrent* (ecce tibi iterum Epicuri genium) *easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur, a Diis immortalibus supplicii causa importari putant. Quae autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitae molestias accessio fieri potest, quanta ad augendas cum conscientia factorum, tum poena legum odioque civium?* Igitur fibulam nobis laxant, indulgent Epicurei, omnem voluptatem concedunt; dissuadent modo sceleftas illas et nefarias, et dissuadent ob incommoda, quae inde redundare ad nos possent; similes inconsiderato illi apud Ovidium Phoebo, qui cum Phaëtonti suo nimis quam temere jurasset,

*— — Quodvis pete munus; et illud*
*Me tribuente feres*,

inopinatâ hujus optione perculsus, non habet juratus, quo se vertat alio quam:

*Dissuadere licet; non est tua tuta voluntas.*

Sed difficilem sane temperantiam postulant Epicurei, in eo quod semel admissum, coërceri reprimique non potest; et iniqui sunt, qui in re, eo meliore quo major sit, mediocritatem desiderant. Si enim voluptas summum bonum est, nullus voluptati adhibendus est modus; quo petulantior haec et proterva magis et effraenis erit, eo et melior. Quapropter si instas, et cum avido illo juvene (Phaëtonte) propositum premis, quam hi negare voluptatem, quam tibi libidinem interdicere poterunt? quid habent quod respondeant aliud quam:

*Ne dubites, dabitur; Stygias juravimus undas?*

Unde diserte Torquatus: *Quis vel eum jure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, qua nihil molestiae consequatur? vel illum qui*

*dolorem eam fugiat, quo voluptas nulla pariatur? At vero eos et accusamus, et justo odio dignissimos ducimus, qui blanditiis praesentium voluptatum deliniti atque corrupti, quos dolores, quas molestias excepturi sint, occoecati cupiditate non provident; similique sunt in culpa qui officia deserunt mollitiâ animi, id est, laborum et dolorum fugâ.* 1. de Fin. 10.

IV. Ita solliciti sunt, ita de nobis laborant Epicurei boni, ne forte minus cauti voluptatem aliquam amplectamur, quae molestiam celet, et admissa temere, horrorem Dei, magistratus, aut mortis nobis injiciat. Eo autem praetextu, miseram aliquam voluptatem, tristem, et nescio quibus virtutibus infectam ac adulteratam, vix artubus haerentem, et tabidam nobis commendant; succidam illam et floridam, Veneris ac Bacchi sacerdotem, in cujus insula Summum Bonum nidulari, omnes uno ore consentiunt nepotes, proscribunt. Ut jam justioribus utamur Stoicis, qui omnino avocant a voluptate, quam his, qui abactis omnibus illis gratiosis et amoenis ac plenis voluptatibus, cum hac defectivâ et mancâ nos copularunt. Sed pone, nobilis Epicuri familia, pone jam, crede mihi, curam istam. *Asotos reperietis*, tum olim tum hodie quamplurimos, *primum ita non religiosos, ut edant de patella, deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide:*

*Mihi sex menses satis sunt vitae; septimum orco spondeo.*

Quid ad haec? Certe id unum, quod Epicurus ipse totidem fere verbis: *Si ea quae sunt luxuriosis efficientia voluptatem, liberent eos Deorum et mortis et doloris metu, doceantque qui sint fines cupiditatum, nihil habeo quod reprehendam, cum undique compleantur voluptatibus.* 2. de Fin. 7., et apud Laërt. in Epicuri Maxime Ratis. Non habes Epicure, quod reprehendas? Parum dixisti; imo habes quod laudes, quod suspicias, quod imitere. Nam hi luxuriosi, hi asoti, hi nepotes, Summi tui Boni, te ipso tuisque amicis omnibus (viris utique bonis, et meliori disciplina dignis) longe praestantiores possessores sunt. Cum enim voluptas aut magna sit cum periculo, aut cum securitate vilis (nam unum hoc fere naturae depravatae, et malâ jam scabie laborantis irritamentum est, sine quo friget et torpet voluptas omnis,

*Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata*),

quis non videt, eum plenius frui et perfundi voluptate, qui temerarius pericula, quibus domina illa circumvallatur, obterit, contemnit, in diem vivit, craſtini incurioſus eſt, et his animis fretus, eam in ſolio ſuo delibat et deflorat, — quam qui cautus nimium, in gurguſtio amplexatur olidas illas, proſtitutas, calonum et lixarum ſuccubas, non voluptates ſed voluptatum ancillulas, non voluptates ſed optata voluptariorum, quae votis id eſſe coguntur, quod eſſe reipſâ non poſſunt?

V. Equidem, bone vir, cum te incomptum et pannoſum, in hortulo illo tuo, illis tuis epulis, quibus utramque menſam aqua et polenta facit, accumbentem mihi repraeſento; exſultantem inter haec, Jovem ipſum laceſſentem, et ad certamen felicitatis provocantem audio; atque haec et facere et dicere non Socratem, non Antiſthenem, non Ariſtonem Chium, non Stoicum Zenonem, et qui ſunt alii verae vel auſterae diſciplinae conditores aut ſectatores conſidero, ſed te, qui aſotiſmi candidatus ſis (ut haec diſciplinae tuae, non moribus inuratur nota, cautio eſt); te inquam, qui aſotorum ſervus, imo ſervum pecus ſis (noli enim tibi eorum vocibus abblandiri velle, qui aſotorum te patronum vocant; hi in claſſe tua praetoriam gubernant, tu exiguâ phaſelo ſubſecutus, aegre tenes inſtitutum curſum); itaque defixus haereo, anceps animi, ridere hîc debeam an indignari; et miſereri etiam nonnunquam ſubit. Sed age, dic rotunde quod cenſes. Quid ceſſas? an te pudet diſciplinae tuae? Frontem perfrica; etiamnum rubeſcis? Certe aut tu diſciplinâ tuâ, aut (quod verius eſt) illa te indigna eſt. Etiamnum tergiverſaris? Dicam igitur pro te, quod tu forte non dicas, ſed quod dicere tibi conſentaneum ſit: Voluptas corporis, ſummum Bonum eſt. Haec quo major eo melior. Parvae quidem voluptates tutae eſſe ſolent; periculoſae et ſceleſtae, quae magnae. Igitur aut ſummo Bono in perfecto gradu carendum eſt, aut incuriae neglectuſque cauterio deurenda conſcientia, et impudenti temeritate proterenda timiditas. Eja!

*Aude aliquid brevibus Gyaris et carcere dignum,*
*Si vis eſſe aliquid; Pietas laudatur et alget.*

Interea cum nondum auſi illius affulget opportunitas, cum Argo illa, quae ad rapiendam pellem inauratam arietis inſtruitur, adhuc ſub naupego deſudat:

*Dies noctesqae bibite, pergraecamini;*
*Amicas emite, liberate; pascite*
*Parasitos; obsonate pollucibiliter.*

Habes formam Epicureae sententiae verbis meis expressam, nihil ut possit negari.

## VIII.

## IN EPICURUM VI.

(D. 10. m. Nov. a. 1668.)

Thesis I. Epicuri secta (ad quod discutiendum novissima Disputatione aggrediebamur) non prohibet vitia, sed dissuadet modo; non icit ea, sed tantum afflat fulmine. Proterviae atque luxuriae, vagis incestisque libidinibus, opponit ostium, non claudit; et quidem sic quemadmodum opponi amicae solet, quae si impulit, grata est, gratior si effregit. Ita etiam illi nepotum asotorumque profusis infinitisque cupiditatibus, petulantiae, lascivae et exaestuanti licentiae, legum judiciorumque, quibus hi nonnunquam obligantur, poenas, conscientiae quaestionem, Numinis, quidquid adversi inciderit, supplicio vertentem horrorem, debile septum adversus rapidum istum torrentem objiciunt; aequi etiam bonique consulturi, si qui ex adverso nituntur, hoc qualecunque removerint aut perruperint repagulum. Ipse clamat hujus cataractae fabricator et custos (et clamor aures ille nostras jam pepulit saepius): *Si ea quae luxuriosis efficientia voluptatem, liberarent eos Deorum et mortis et doloris metu, docerentque qui essent fines cupiditatum, nihil haberem quod reprehenderem, cum undique complerentur voluptatibus.* 2. de Fin. 7. Ita igitur vitiis obnituntur, tanquam qui cedere parati sint; ita

*— Pugnant tanquam qui vincere nolint,*
*Victi non aegre proditione suâ.*

II. Inanes cupiditates ita Epicureus insectatur Torquatus apud Ciceronem lib. 1. de Fin. cap. 13: *Insatiabiles sunt, nec modus ullus earum nec finis inveniri potest. Non modo singulos homines, sed universas familias evertunt, totam etiam labefactant saepe Remp. Ex*

*cupiditatibus odia, diſſidia, diſcordiae, ſeditiones, bella naſcuntur; nec hae ſeſe foris ſolum jactant, nec tantum in alios coeco impetu incurrunt, ſed intus etiam in animis incluſae, inter ſe diſſident atque diſcordant; ex quo vitam amariſſimam neceſſe eſt effici.* Audio quidem vocem Philoſophi, Torquate; ſed quid tibi dicendum ſit, oblitus es. Inter cupiditates illas, quas ita traducis, imo proſcindis, voluptas etiam eſt, quam unice colis et adoras. At, inquit, neceſſarias cupiditates non reprehendo (*quas Epicurus eas eſſe docet, quae dolorem ſedant, ut potus in ſiti;* teſte Laërtio in Epic. Max. Rat.). Nec naturales quidem vitupero (*quae dolorem non tollunt, ſed voluptatem tantum variant.* Laërt. ibid.). *Mundos, elegantes, optimis cocis, piſtoribus, piſcatu, aucupio, venatione, his omnibus exquiſitis, vitantes cruditatem; adſint etiam formoſi pueri; reſpondeat his veſtis, Corinthium, locus ipſe, aedificium* (2. de Fin. cap. 8.); *hos ego non improbo.* Aſt vero inanes cupiditates (*ut comeſſationum, et puerorum mulierumque congreſſuum, quae ſuavem vitam non gignunt.* Epic. in epiſt. ad Menoeceum), has ego inſector et exagito: *Non probo aſotos, qui in menſam vomunt, qui de conviviis auferuntur, crudique poſtridie rurſus ingurgitant, qui ſolem, ut ajunt, nec occidentem unquam viderint nec orientem, qui conſumptis patrimoniis egeant* (2. de Fin. 8.). Apageſis hos, apageſis. Inanes procul hinc, procul eſte cupiditates; has odit pater Epicurus, has Epicurei exſecrantur omnes. Verbo dicam: inanes ſunt cupiditates, vanae, ſupervacaneae, vacuae, et ſupervacuae.

III. Bona verba, Torquate, bona verba! Quomodo inceſſis, quomodo convitium facis, quomodo *inanes* vocare potes *cupiditates,* in quibus ſummum bonum tuum (Voluptas) non raro et ſtabulatur laetius, et ſaginatur uberius, et volutatur lutulentius? At at Epicurum etiam audio apud Stobaeum: *Deſpuo,* inquit, *tales voluptates, non propter ipſas, ſed propter incommoda quae ſequuntur eas.* Et ſuccinit Torquatus. *Eos,* inquit, *et accuſamus, et juſto odio digniſſimos ducimus, qui blanditiis praeſentium voluptatum deliniti atque corrupti, quos dolores et quas moleſtias excepturi ſint, occoecati cupiditate non provident.* 1. 11. Sed quomodo ſummum Bonum eſt, o boni, quod ſummum Malum creat? Vobis enim dolores et moleſtiae et incommoda (niſi pugnare vehementer vobiſcum ipſi velitis) non ſumma modo, ſed ſola mala ſunt. Inſtat pro me Tullius. *Dabitis,* inquit, *ut opinor,*

*fi modo fit aliquid effe beatum, id oportere totum poni in poteftate poffidentis; nam fi amitti vita beata poteft, beata effe non poteft. Quis enim confidat, femper fibi illud ftabile et firmum permanfurum, quod fragile et caducum fit? qui autem diffidet perpetuitati bonorum fuorum, timeat neceffe eft, ne aliquando amiffâ illâ fit mifer; beatus autem effe in maximarum rerum timore nemo poteft. Non poteft quifquam alias beatus effe, alias mifer; qui enim exiftimabit poffe fe miferum effe, beatus non erit.* 2. de Fin. 27. Tantum igitur abeft, ut fummum bonum alicujus mali fit auctor, tefte Tullio, ut ubi illud fedem fibi delegit, huic nullus unquam eo pertineat aditus.

IV. Sed fit ea fane fummi veftri boni labes, ut cum in imprudentem inciderit poffefforem, fummum ei pariat malum; quid refert? Habet certe poffeffor fummum bonum, cum habet; jam amplexatur et fuaviatur illud, jam eo fruitur et colliquefcit;

*Quod cras futurum eft, quaerere diftulit.*

Sinite hunc fibi, finite hunc in rofa, in viola fua, inter venuftulas Diones et nudulos Amores Sardanapalum; facris veftris operatur religiofiffimus myftes. Quorfum aures ei tragicis fragoribus, quorfum Socraticis obtundere tonitrubus?

*Extrema gaudii luctus occupat;*
*Raro antecedentem fceleftum*
*Deferuit pede poena claudo.*

Nolite ei fomnum excutere velle, ne pereat et fomnium, fomnium dulce et dulcedo fomnorina, blandulae mollitiae et molliculae blanditiae, falaciffimae malaciae, in quibus fummum bonum veftrum criffat et prurit.

V. At non diu beat, et cito voluptas talis elabitur e manibus. In parvo eft: *Negat Epicurus ipfe, diuturnitatem temporis ad beate vivendum aliquid afferre, nec minorem voluptatem percipi in brevitate temporis, quam fi illa fit perpetua. Haec quidem dicuntur inconftantiffime; cum enim fummum bonum in voluptate ponat, negat infinito tempore aetatis voluptatem fieri majorem, quam finito atque modico. Qui bonum omne in Virtute ponit, is poteft dicere, perfici vitam beatam perfectione virtutis; negat enim fummo bono afferre incrementum diem; qui autem*

*Voluptate vitam effici beatam putabit, quî sibi is conveniet, si negabit voluptatem crescere longinquitate? Igitur ne dolorem quidem. An dolor longissimus quisque miserrimus; voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit? Quid est igitur, cur ita semper Deum appellet Epicurus beatum et aeternum? demptâ enim aeternitate, nihilo beatior Jupiter quam Epicurus; uterque enim summo bono fruitur, id est Voluptate. At enim hic etiam dolore. At eum nihili facit; ait enim se si uratur, Quam hoc suave! dicturum. Qua igitur re a Deo vincitur, si aeternitate non vincitur, in qua quid est boni praeter summam voluptatem et eam sempiternam? Quid ergo attinet gloriose loqui, nisi constanter loquamini?* l. 2. de Fin. c. 27. Justa expostulatio M. Tullii; inconstantissime hi homines loquuntur; et nos jam aliquoties notavimus. Hic vero iterum iterumque scopas nobis dissolvunt, cum negant majorem voluptatem ex infinito tempore percipi, quam ex hoc percipiatur quod modicum aut etiam intra modum esse videmus; et nihilominus interpellant et molesti sunt iis, qui voluptatibus se ingurgitantes hodie (id est, Epicuro judice, beatissimi), de crastina non laborant cruditate.

VI. Pergit tamen Torquatus, et jam etiam leves et inconstantes homines insectatur. *Plerique*, inquit, *quod tenere atque servare id quod statuerunt non possunt, victi et debilitati, objectâ specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos, nec quid eventurum sit provident; ob eamque causam propter voluptatem, et parvam, et non necessariam, et quae vel aliter pararetur, et qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt; saepe etiam legum judiciorumque poenis obligantur.* lib. 1. de Fin. cap. 14. Sane tam caute, tam provide, tam circumspecte et sollicite quaerere voluptatem, nil aliud est quam invenire miseriam;

— *Nocet empta dolore voluptas.*

Certius eam reperit, qui tanti non fecit, qui ultroneas probat voluptates, aut facile parabiles, e quibus quod oboritur incommodi, ad ipsas, quae jam praeteriere, non pertinet. Acciperem, Torquate, si ita diceres: Plerique, quod tenere atque servare id quod statuerunt non possunt, tradunt se libidinibus constringendos; et recte quidem; nam in his summum bonum seu voluptatem nidulari, quis tam coecus est ut non videat? Constricti autem libidinibus, quid eventurum sit

non provident. Nec enim decet; nam iftâ providentiâ non raro voluptas in ipfo partu fuo fupprimitur et exftinguitur. Quando vero non provident, inde propter voluptatem et parvam et non neceffariam, et quae vel aliter pararetur, et qua etiam carere poffent fine dolore, tum in morbis graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt, faepe etiam legum judiciorumque poenis obligantur. Sed in hoc nulla mora fit: ante omnia caveant horribilem illam Lamiam (Providentiam), quae fummum bonum noftrum (Voluptatem) tam faepe alvo extraxit et devoravit. Beati funt, cum quoquomodo ad voluptatem pervenerint quamcunque; quid inde eventurum fit, nihil fua referre putent; formofo candidoque corpori quid obeft atra, quae id infequitur, umbra? Abiit voluptas, quam primum dolor fucceffit; illius punctum modo durantis illibata felicitas hujus, quae neceffario alias invafit horas, contaminari temerarique non poteft miferiâ. *Nam infinitum tempus ac finitum*, ut lumen noftrum (Epicurus) loquitur, *aequam habent voluptatem, fi quis voluptatis ipfius fines* (et non quae antecedunt quaeve confequuntur) *ratione metiatur. Nam caro voluptatis fines accepit infinitos* (id eft, caro tantum agnofcit praefentem, qua fruitur voluptatem; de fine voluptatis nihil refcit; atque idcirco carni nullus eft finis voluptatis; nam quod cognofci non poteft, id, ei a quo cognofci non poteft, nihil eft); *porro mens carnis finem ac terminum ratione pertractans, vitam omni ex parte confummatam fecit* (dum fuas voluptates fuofque dolores iifdem definivit, quibus carnis voluptates dolorefque circufcribuntur, cancellis. *Animi enim voluptates ac dolores nafci fatemur e corporis voluptatibus et doloribus; quanquam autem et laetitiam nobis voluptas animi, et moleftiam dolor afferat, eorum tamen utrumque et ortum effe e corpore, et ad corpus referri. Nihil dolendum effe animo, quod fit a dolore corporis fejunctum.* I. de Fin. 17. et 18). Unde praeclare et graviter concludit Architectus beatae vitae (Epicurus): *Nihil jam infinito tempore opus habuimus.* (Haec Epic. apud Laërt. in Max. Rat.) Ita demum recocta, Torquate, et interpolata (quod tu minime vis) oratio tua, te quidem, optimifque tuis indigna moribus eft; caeterum difciplinae quam probas, praeceptis quae didicifti, omnino confentanea.

VII. Porro Torquatus (et jam etiam timidos atque ignavos exagitat): *Mortis*, inquit, *metu omnis quietae vitae ftatus perturbatur; fuccumbere*

*doloribus, eoſque humili imbecillique animo ferre miſerum eſt; ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem ſe ipſos penitus perdiderunt.* 1. de Fin. 15. Hoc vero praeclarum; vos dolorem ſummum et unicum feciſtis, vos ei terricula, et

— *perſonae pallentis hiatum*

dediſtis; eumque ſic deformatum jam, et omni ſpectro ac Gorgone tetriorem, a pueris (pueri enim ſunt qui vos audiunt, qui magis ſenſibus, quorum patroni vos eſtis, quam rationi credunt) timeri non patimini. At parvos per ignaviam dolores declinando, incidunt in majores. Eſto; carent ſaltem dolore, ſimul atque parvos effugerint, et priuſquam magni occupent; eo momento felices ſunt. *Non enim hanc ſolam ſequimini voluptatem, quae ſuavitate aliqua naturam ipſam movet, et cum jucunditate quadam percipitur ſenſibus; ſed maximam illam voluptatem habetis, quae percipitur omni dolore detracto. Nam quoniam, cum privamur dolore, ipſâ liberatione et vacuitate moleſtiae gaudemus; omne autem id quo gaudemus, voluptas eſt, ut omne id quo offendimur, dolor; doloris omnis privatio recte nominata eſt voluptas.* 1. de Fin. 11. Sinite ergo hos voluptate ſua frui, felicitati ſuae indulgere, indormire, immori ſuaviter. At calamitas deploratiſſima, velut ſaxum Tantalo imminet. Importuni vigiles, quam inofficioſas agitis excubias? Ne expergefacite, inquam; felices erunt quamdiu dormient; cum vigiliâ, curam, ſollicitudinem, metum, dolorem, quae ſummi mali coloribus depinxiſtis, decutietis. Videte jam quî conſtetis vobis.

## IX.

## IN EPICURUM VII.

(D. 24. m. Nov. a. 1668.)

Thesis I. Jam jam Injuſtitiam de Intermundiis ſuis tangat Torquatus. Sed brutum fulmen eſt; aut non mittendum a tali Jove. *Si,* inquit, *molita quidpiam eſt Injuſtitia, quamvis occultum fecerit,*

*nunquam tamen confidet id fore femper occultum. Plerumque improborum facta primo fufpicio infequitur, deinde fermo atque fama, tum accufator, tum judex. Multi etiam, ut te confule* (Ciceronem alloquitur), *ipfi fe indicaverunt. Quod fi qui fatis fibi contra hominum confcientiam fepti effe et muniti videntur, Deorum tamen numina horrent, eafque ipfas follicitudines, quibus animi eorum noctes atque dies exeduntur, a Diis immortalibus fupplicii caufa importari putant. Quae autem tanta ex improbis factis ad minuendas vitae moleftias acceffio fieri poteft, quanta ad augendas, cum confcientiâ factorum, tum poenâ legum odioque civium. Et tamen in quibufdam neque pecuniae modus eft, neque honoris, neque imperii, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum, quas nulla praeda unquam improbe parta minuit, potius inflammat; ut coërcendi magis quam dedocendi effe videantur. Invitat igitur vera ratio bene fanos ad juftitiam, aequitatem, fidem. Neque homini infanti atque impotenti injufte facta conducunt, qui nec facile efficere poffit quod conetur, nec obtinere fi effecerit. Et opes vel fortunae vel ingenii, liberalitati magis conveniunt; qua qui utuntur, benevolentiam fibi conciliant, et (quod aptiffimum eft ad quiete vivendum) caritatem, praefertim cum omnino nulla fit caufa peccandi. Quae enim cupiditates a natura proficifcuntur, facile explentur fine ulla injuria; quae autem inanes funt, his parendum non eft; nihil enim defiderabile concupifcunt, plufque in ipfa injuria detrimenti eft, quam in iis rebus emolumenti, quae pariuntur injuriâ.* lib. I. de Fin. cap. 16.

II. Multum obfcuri tumultus atque murmuris, facri ignis parum; et coelum non perfregit. Longâ oratione tenuit Injuftitiam, nec amandavit eam, fed, quafi confuleretur ab ea, fuafit modo ut in exfilium iret; et perinde facit ac fi diceret: Graviter fufpecta nobis es, Injuftitia; videris voluptates noftras interturbare velle. Quamobrem difcede, atque hunc nobis timorem eripe; fi verus, ne opprimatur per te Voluptas fummum Bonum noftrum, fin falfus, ut tandem aliquando ifto metu (in quo ipfo fummi Mali rationem reponimus) liberemur. At haec indignans: O ftolidi! certior ego dux; ego longe prae omnibus veftris lyris, et fibi fecum non convenientibus gerris, ad Voluptates, eafque quam humanus animus capere poteft maximas, rectiorem defigno femitam; ego digitum intendo ad fontes; vos hujus

ſtagni lingitis eluviem, ranulae, et tumidi his, quas nemo vobis invideat, miſereamur potius, coaxatis futilibus deliciis. Aberratis a janua, et Voluptatem quaerentes quidem, integrum ejus torrentem, imo totum ejus mare temere praeteritis; haeretis in lacuna. Pecunia, pecunia,

— *quaerenda pecunia primum eſt*,

quoque modo comparanda, per fas per nefas. Et lucri bonus odor ex re qualibet:

— — *Omnis enim res,*
*Virtus, fama, decus, divina humanaque, pulchris*
*Divitiis parent; quas qui conſtruxerit, ille*
*Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam rex,*
*Et quidquid volet.*

III. Reſipiſcite igitur, et *Quaerite pecuniam, vel cum periculo; eſt euim effectrix multarum et magnarum voluptatum.* Dubitatur etiam?

— *Quidvis nummis praeſentibus opta,*
*Et veniet; clauſum poſſidet arca Jovem.*

*Ut igitur illis, qui recta et honeſta quae ſunt ea ſtatuunt per ſe expetenda, adeunda ſunt quaevis pericula, decoris honeſtatiſque cauſâ; ſic veſtris, qui omnia voluptate metiuntur, permulta adeunda ſunt, ut adipiſcantur magnas voluptates; ſi magna hereditas, magna res agetur; cum pecuniâ voluptates pariantur plurimae. Idemque erit Epicuro veſtro faciendum, ſi ſuum finem bonorum ſequi volet, quod Scipioni magnâ gloriâ propoſitâ, ſi Annibalem in Africam retraxiſſet. Itaque quantum adiit periculum! ad honeſtatem enim omnem illum conatum ſuum referebat, non ad voluptatem. Sic veſter ſapiens magno aliquo emolumenta commotus, animi cauſa, ſi opus fuerit, dimicabit; deprehenſus, omnem poenam contemnet; erit enim inſtructus* (ab Epicuro veſtro, mirum et ridiculum prorſus in modum hic ſecum repugnante) *ad mortem contemnendam, ad exſilium, ad ipſum etiam dolorem* (Monſtri genus! ſummum malum contemnere, negligere, nec de illo quidquam

laborare); *quem quidem vos, cum improbis poenam proponitis, impatibilem facitis; cum ſapientem ſemper boni plus habere vultis, tolerabilem* (Dolorem itaque et ſummum malum, et tamen non uſque adeo malum, itemque tolerabilem et intolerabilem facitis; non uno nuncio vobis ipſi renunciatis). lib. 2. de Fin. 17.

IV. Quid igitur attinet glorioſe loqui:

*Vel nos in Capitolium,*
*Quo clamor vocat et turba faventium,*
*Vel nos in mare proximum*
*Gemmas et lapides, aurum et inutile,*
*Summi materiam mali*
*Mittamus?*

Quin potius in ſinu gaudetis; quin potius conſtanter loquimini, et heroicos illos, ac verboſis ampullis ſuis ſcnae vel ſcholae inſervientes rabulas irridetis? Vos autem: *Virtus poſt aurum.* Sic vobis cor ſapiat, quibus ita ſapit palatus et cuticula. *Sunt enim levia et perinfirma, quae dicebantur a te,* Torquate, *cum animi conſcientiâ improbos excruciari tum etiam poenae timore, qua aut afficiantur, aut ſemper ſint in metu ne afficiantur aliquando. Non oportet timidum aut imbecillo animo fingi, non bonum illum virum, qui quidquid fecerit, ipſe ſe cruciet, omniaque formidet; ſed omnia callide referentem ad utilitatem, acutum, verſutum, veteratorem, facile ut excogitet quo modo occulte, ſine teſte, ſine ullo conſcio fallat. An tu me de L. Tubulo putas dicere? qui cum Praetor quaeſtionem inter ſicarios exercuiſſet, ita aperte cepit pecunias ob rem judicandam, ut anno proximo Q. Scaevola Trib. pleb. ferret ad plebem, velletne de ea re quaeri; quo plebiſcito decreta a ſenatu eſt conſuli quaeſtio Cn. Caepioni; profectus in exſilium Tubulus ſtatim, nec auſus reſpondere, erat enim res aperta.*

V. Imo an tu me de L. Catilina putas dicere; cui quidem erat animus audax, ſubdolus, varius; cum tamen patere conſilia ſua ſenſit, et conſtrictam patrum conſcientiâ teneri conjurationem ſuam vidit, nemini non in cuſtodiam dare ſe paratus erat. Et primum quidem apud M. Lepidum ſe habitare velle dixit; a quo non receptus, ad ipſum Ciceronem venit. Cui cum is reſpondiſſet, ſe nullo modo

posse iisdem parietibus tuto esse cum illo, qui magno in periculo esset, quod iisdem ambo continerentur moenibus; ad Q. Metellum praetorem venit. A quo repudiatus, ad M. Marcellum demigravit, quem ille ad custodiendum diligentissimum, ad suspicandum sagacissimum, et ad vindicandum fortissimum sciebat. Numquid ille se in carcerem et in vincula dedit, qui se ipsum tam dignum custodiâ judicavit, qui tanto ambitu illam quaesivit, toties repulsus? An me de Galbinio, Statilio, Cethego, Lentulo, caeterisque conjurationis illius popularibus putas dicere? qui scelere dementes, vim conscientiae sustinere non poterant. Alius quae inficiari potuisset, repente praeter opinionem omnium confessus est; alium dicendi exercitatio, alium impudentia etiam improbitasque defecit; omnes colore, vultu, taciturnitate qua obstupuerant, terram intuentes et furtim nonnunquam inter se aspicientes sese ipsos prodidere.

VI. *Non igitur de improbo, sed de callido improbo quaerimus, qualis Q. Pompejus in foedere Nu'r antino inficiando fuit; nec vero omnia timentem: primum qui animi conscientiam non curet, quam scilicet comprimere nihil est negotii. Is enim qui occultus et tectus dicitur, tantum abest ut se indicet, perficiet etiam, ut dolere alterius improbe facto videatur.* Interstrepit aliquis:

*Heu quam difficile est crimen non prodere vultu!*

Sed huic et id generis aliis Poëtarum versiculis olim atque hodie nuncium remittunt quamplurimi; jubent in Parnasso bene valere et dormire: *Memini*, inquit Tullius, *me adesse P. Sextilio Rufo, cum is ad amicos rem ita deferret, se esse heredem Q. Fadio Gallo; cujus in testamento scriptum esset, se ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret. Id Sextilius factum negabat, poterat autem impune; quis enim redargueret, etc. Tenuit permagnam Sextilius hereditatem, unde si secutus esset eorum sententiam, qui honesta et recta emolumentis omnibus et commodis anteponunt, ne nummum quidem unum attigisset. Num igitur postea censes anxio animo aut sollicito fuisse? Nihil minus; contraque illâ hereditate dives, ob eamque rem laetus; magni enim aestimabat pecuniam non modo non contra leges, sed etiam legibus partam.* lib. 2. de Fin. 17.

VII. Verum enim vero apage haec turpia, haec venena, haec aconita; et ne afflatu nos necent, antidotum tempeſtive promat Carneades. *Si ſcieris*, inquit, *aſpidem occulte latere uſpiam, et velle aliquem imprudentem ſuper eam aſſidere, cujus mors tibi emolumentum futura ſit; improbe feceris, niſi monueris ne aſſideat, ſed impune; ſciſſe enim te, quis coarguere poſſit?* O dictum bene!

---

# ANNOTATA LATIORA

IN

# PRINCIPIA PHILOSOPHIAE RENATI DESCARTES.

E CODICE SCHOLARUM MS.

COLLATA EDITIONE DORDRACENA ANNI 1691.

# ANNOTATA LATIORA
## IN
# PRINCIPIA PHILOSOPHIAE RENATI DESCARTES.

## IN PARTEM PRIMAM.
### DE PRINCIPIIS COGNITIONIS HUMANAE.

Art. 1. *Infantes*] Quid infantia ad praejudicia et errores conferat, graphice proponit auctor hac parte, art. 71.

*Senſibilibus*] Prima praejudicia et errores noſtri circa res ſenſibiles fuerunt, ut dicto art. 71. ſatis explicatur. Hinc tamen brevi itum eſt ad errores et praejudicia circa res ſpirituales, maxime ad capitalem illum errorem, qui mentem eum corpore confundit, in quo depellendo tam diligens eſt Auctor, jam hic ſub initîo, art. 8., 9., 11., 12., etc.

*Integrum noſtrae rationis uſum*] Infantia noſtra conſiſtit in eo (ut art. 71. Auctor oſtendit) quod mens noſtra arcte alligata ſit corpori, et per conſequens integrum rationis uſum non habeat. Qua ratione autem mens humana, et qua de cauſa ad talem devenerit condicionem, et obſcuriſſimum eſt, et non eſt etiam hujus loci. Conſtat ſaltem infantiam eſſe ſolam et praecipuam cauſam omnium noſtrorum errorum; quod et art. 71. ſatis expeditur, et nos fuſius diximus in noſtra Metaphyſica Peripatetica.

*Praejudiciis*] Praejudicium eſt judicium latum antequam ferendum erat. Ferendum non erat judicium, niſi re clare et diſtincte perceptâ;

quod ante fertur, praejudicium eſt. Qualia quam plurima habemus in infantia, et id aetatis quo ſumus, etiam multa, eo quod infantes aliquando fuerimus.

*De iis omnibus*] Non adhuc de omnibus, ſed tantum de iis omnibus, in quibus ſuſpicio aliqua falſitatis; infra tamen art. 4. et 5. ad omnia extenduntur, eo quod in omnibus generatim ſuſpicio aliqua falſitatis reperiri poſſit.

Art. 2. *Utile erit*] Imo neceſſe erit habere pro falſis; ſeu potius, jure merito pro falſis habenda erant. De quibus enim dubitas, haec, quantum intereſt cognitionis tuae, falſa eſſe poſſunt. Dubitas an arenae maris ſint numero pari; hoc ipſum per te non ſtat quominus ſit falſum, etiamſi forte reipſa verum ſit.

Art. 3. *Sed haec interim etc.*] Philoſophus potius conſiderat ſe ipſum ut dubitantem, quam dubitat. Haec igitur ad res vulgares et extra ſcholam deduci non debent.

Art. 4. *Deprehendimus ſenſus errare*] Infinita ſunt exempla. Remus apparet fractus, quia partim in aëre conſiſtit, eſt tamen integer; titio veſperi circumactus in tenebris circulum igneum exhibet, non eſt tamen circulus igneus, ſed ignis in circulum actus; etc. Vide ſi placet Saturnalia noſtra non procul ab initio.

Art. 5. *Nonnullos erraſſe*] Putavit v. g. aliquis cum triginta annorum eſſet, et per conſequens duplo ſenior eo qui quindecim annorum erat, ſe ſemper duplo ſeniorem manſurum, quoad utrique vita ſuppeteret; erravit igitur in mathematico principio. Putavit, ſi duplo et ſimplo idem vel aequalia addantur, permanſura inter ſe eadem proportione; quod autem ſic ad tempus factum eſt in certo homine, quidni poſſit continuo fieri, vel in nobis vel in alio quocunque? Etiamſi forte haereat nonnemo, cogitetque duo quaepiam certo modo ſe habentia non poſſe incipere ſe aliter habere, niſi uni quid accedat quod non alteri, aut diſcedat quod non alteri, hîc vero aetati 30. et aetati 15., quae ſe habent ut duplum et ſimplum, idem tantum accedit, itaque videntur eodem modo ſe habitura; in quo manifeſtus eſt error in principio mathematico. Similiter tirones in Geometria, ſicut vident latera trianguli omnia ſimul augeri minuique poſſe, ſic facile perſuadent ſibi, etiam omnes angulos ſimul augeri minuique poſſe; quod eſt impoſſibile. Et infinita ſunt talia exempla,

ubi homines in rebus evidentiſſimis errant, praeſertim in ſimilitudinibus et proportionibus. Quod vero ſic aliquando contingit, et ſic aliquando deprehenditur, quidni forte contingat ſemper? ut ſemper quidem erremus, licet alias aliter.

*Tum maxime quia audivimus eſſe Deum*] Enormiter dubitandum eſt hîc, ut tanto clarius elucefcat id quod, cum de omnibus quam maxime et enormiſſime dubitatur, in dubium revocari non poteſt. Scrupuloſi quidam infeſtant haec; tum etiam quae art. 6. *quantumvis ille ſit fallax*, et art. 7. *facile ſupponemus nullum eſſe Deum;* homines ſtyli philoſophici prorſus ignari. Conſiderat enim Philoſophus ſe (aut ſi velis quemvis alium) quam poteſt maxime enormiter dubitantem, ut videat, quid ei vel ſic dubitanti dubitabile non ſit, illudque habeat pro primo cognito. Conſiderans hîc eſt pius, dubitans qui conſideratur eſt ficta perſona.

*Atque ſi non a Deo potentiſſimo*] Praeclara eſt haec ſententia. Si enim impotentior ſit auctor noſtrae originis, nec tam bene poterit, nec tam bene etiam volet errores a nobis abarcere; non eſt enim niſi magnorum et generoſorum, et optime velle alicui et optime facere. Et Belgae in adagio habent: *parvi domini ſunt magni tyranni.*

Art. 6. *Hanc nihilominus*] Et hîc reprehenditur a quibuſdam Carteſius, quod ante primum ſuum cognitum (quod demum art. 7. emergit) hîc aliud cognitum praeferat, nempe *libertatem quam experimur.* Sed hi rurſum theatrum philoſophicum non norunt; perſona conſiderans haec loquitur, non perſona quae dubitare conſideratur. Et alioqui jam ante Carſeſius plures aliquas notiones et aſſertiones poſuerat, veluti non fidendum iis qui nos vel ſemel deceperunt, et ſimilia, quibus perſonam illam dubitantem accommodat, et quaſi dirigit ad inventionem primi cogniti.

Art. 7. *Non autem ideo nos, qui talia cogitamus nihil eſſe*] Hic jam ad ſcopum appellit iſtius dubitationis quae praeceſſit; inveniturque, de quo dubitare non poteſt, is qui dubitare de omnibus, quantum poſſibile erat, voluerat. Dum enim dubitat, et quantum poteſt dubitat, et de omnibus de quibus poteſt dubitat, videt certe ſe dubitare non poſſe quin dubitet, per conſequens quin cogitet, adeoque quin exſiſtat. Ideoque hoc primum cognitum eſt: *dubito, cogito, ſum;*

quae omnia ſimul et ſemel evidentiſſime offerunt ſe intellectui, qui jam ante, quantum poterat, dubitaverat. Ideoque iſta conjunctim habenda ſunt inſtar ſimplicis et primi cogniti.

Art. 8. *Diſtinctionem*] Nimirum corpus adhuc jacet in chao dubitationum, in quod omnia conjecta fuerant praecedentibus articulis, mens autem extracta eſt. Cum vero duo quaepiam ſic ſe habent, ut de eorum altero ejuſque exſiſtentia dubitare omnino non poſſim, ipſum clare diſtincteque percipiendo, de altero vero dubitare adhuc cogar; tunc duo illo neceſſario diſtinguuntur realiter. Jam enim unum ſine altero clare diſtincteque percipio, quae eſt infallibilis nota diſtinctionis, ut auctor infra demonſtrabit, et alioqui per ſeipſum jam nunc facile intelligitur.

Art. 9. *Concluſio non eſt abſolute certa*] Quia nempe antecedens non eſt abſolute certum, ſcilicet me corpore ambulare, aut oculis videre (hoc enim adhuc jacet in chao dubiorum), jam autem concluſio, quatenus pendet ab incerto antecedente, eatenus etiam incerta eſt; etiamſi aliunde forte certitudinem abſolute habeat, ut hic contingit. Nam qui dicit ſe videre oculis, ambulare pedibus, hoc ipſo ſenſum ſive conſcientiam videndi aut ambulandi habet; ex quo ſenſu atque conſcientiâ ut certâ, ita etiam certo ſequitur concluſio *Ego ſum.*

Art. 10. *Philoſophos in hoc errare*] Errant graviſſime; nam definire, ſeu dicere quid res ſit, eſt declarare rem; jam vero quod ſatis clarum eſt, declaratione non eget, et quod clariſſimum eſt, declarari ne quidem poteſt. Unde cum clariſſimum nobis ſit v. g. duo et tria eſſe quinque, interrogati quid hoc ſit, duo et tria eſſe quinque? ſentimus nos haerere debere, et nihil apte ad talem quaeſtionem poſſe reſpondere. Ridiculum autem eſſet putare, ſe ideo non poſſe reſpondere, quia obſcurum ſit quod quaeritur; ideo, inquam, non poſſumus reſpondere, quia petitur declarari aliquid, quod declarari amplius non poteſt, ſed clariſſimum jam nunc eſt. Itaque qui talia definiunt, talia non declarant, ſed quantum in ſe eſt, obſcurant, ut Philoſophus hîc bene monet.

Art. 11. *Nihili nullas eſſe affectiones*] Axioma praeclarum, et Scholis etiam decantatum; ſed ſaepe non ſatis bene, et male utuntur. Nec enim exiſtimarent ſpatium eſſe nihil, ſi ſatis hujus axiomatis

meminiſſent; in ſpatio enim affectio agnoſcitur: longum eſt, latum eſt, etc., hoc vero non poteſt in *nihil* quadrare. Et naturaliter omnes homines hoc vocant *nihil*, ubi nullam notant affectionem. Sic enim, relate ſeu cum reſpectu ad ſenſus loquendo, lumen auditui nihil eſt; nam ſi ſol luceat, et nullus interea edatur ſonus, nihil nos audire dicimus; quia ſcilicet in lumine nulla eſt affectio quam auditus attingere poſſit. Abſolute autem nihil eſt tunc demum, cum nulla omnino attingi poteſt affectio per mentem noſtram.

*Atque ubicunque aliquas deprehendimus, ibi rem ſive ſubſtantiam, cujus illae ſint, etc.*] Supplementum eſt praedicti axiomatis, quo monemur, quandocunque vel minimam affectionem alicubi mente deprehendimus, ut ſtatim rem ſubeſſe agnoſcamus. Saepe vero in hoc fallimur, quod affectionem invenientes aliquam, ad nos ipſos ſeu ad intellectum ſenſumve noſtrum pertinentem, credamus illam pertinere ad res alias et extra nos poſitas. V. g. Ens, ſubjectum, praedicatum, etc., item lucidum, coloratum, etc. dum mente attingimus, recte quidem judicamus ea aliquid eſſe, quia affectionem aliquam attingimus, ſed in eo graviter erramus, quod putemus illa ſeu illorum affectiones pertinere ad res extra nos poſitas; in eo enim ſimiles pueris, qui ſe ipſos in ſpeculo videntes, aliam perſonam adeſſe putant, cum qua fabulentur.

*Fieri enim forſan poteſt*] Cogitatio importat ordinem eſſentialem ad cogitans et cogitatum; ſed ea differentia eſt inter haec, quod cogitatio neceſſario importet actualem exſiſtentiam cogitantis (nec enim exſiſtere cogitatio poteſt, niſi cogitans exſiſtat), cogitatio autem tantum importat poſſibilitatem cogitati. Nam ſi cogitatio eſt, non ideo quod cogitatur eſſe debet, ſed neceſſum eſt ut eſſe poſſit; ſi enim cogitatum ſit, aliqua ejus affectio a mente attacta eſt, igitur non eſt *nihil* (*nihili* enim nullae affectiones), et ſi non ſit nihil, eſſe poteſt, ſcilicet in quantum affectionem habet, et in quantum a mente attactum eſt.

Art. 12. *Non ordine philoſophati ſunt.*] Bonus ordo philoſophandi eſt, ut primum conſideres te de omnibus, quantum fieri poteſt, dubitantem, ab art. 1. uſque ad art. 6.; ſecundo intelligas te non poſſe dubitare de tua cogitatione, art. 7.; tertio hinc concludas, mentem tuam ejuſque exſiſtentiam tibi et ante omnia (art. 8.) et certius

atque evidentius quam omnia (art. 11.) notam esse. Malus autem ordo philosophandi est ille, qui sequitur infantiae nostrae praejudicia, quem Auctor noster egregie describit hac parte art. 71. Unde et juxta hunc ordinem philosophari, hoc est, a sensibus totam desumere Philosophiae suae firmitudinem, non aliud est quam infantiam suam prorogare, sicuti et alio isto bono ordine philosophari, est simul et semel infantiam nostram abrumpere, seseque in virum asserere.

*Potius intellexerunt sola sua corpora*] Nimirum quia in sensus suos effusi, videbant quidem nihil plane efficere inter objecta externa, ut aliquid sentirent, quin idem etiam multo certius in corporis sui cogitationem eos adduceret (sensus enim omnis instrumento corporis peragitur); sed animadvertere debuerant, etiamsi sensibilia deducant nos in cognitionem nostri corporis, ut infra patebit, longe tamen certius atque citius et anterius deducere nos in cognitionem nostrae cogitationis atque perceptionis. Atque ita intellexissent, quod in vera Philosophia hîc tam clarum est, mentem suam esse primum facillimumque cognitum, eamque proinde etiam realiter a corpore distingui, non vero id honoris suo corpori habuissent.

.Art. 13. *Cum autem mens etc.*] Hic alia series incipit demonstrationum. Prima series illa inceperat cum art. 7., illam vide descriptam paulo ante a nobis art. 12. Alia series, seu ordo qui hic incipit, initium sumit ab ideis quas mens apud se invenit. Mens enim, quae in praecedenti serie se ipsam, suam essentiam exsistentiamque invenerat, jam seipsam ulterius inspiciens deprehendit, se non esse tabulam rasam, sed infinitis notis insignitam, quae referri possunt ad quatuor capita, nempe 1. ideas, 2. species, 3. communes notiones, 4. conclusiones. Ideae et species in eo differunt, quod ideae quidem rem aliquam repraesentent, species tantum modum aliquem cogitandi; unde Deus in intellectu, et corpus, etc. sunt ideae, albedo, sonus, etc. in sensibus sunt species. Hanc tamen distinctionem hîc Auctor necdum considerat; nec enim adhuc locus est, imo de speciebus tacet, quia illae dependent a corpore, quod hîc necdum eductum est e chao dubitationum; adhuc enim mens abstracta a corpore consideratur.

*Quas quamdiu tantum contemplatur*] Quamdiu species et ideas tantum speculatur mens nostra, tamdiu falli non potest. Hic ergo modus est cavendi sibi hîc sub initium ab erroribus, qui circa species

et ideas committi possent, ut eas tantum contemplemur, nihil affirmantes aut negantes, nihil ipsis simile extra nos esse statuentes, nec rursum hoc etiam negantes.

*Nec ullam habere posse certam scientiam*] Circa duo posteriora, nempe communes notiones earumque conclusiones, etiam modus ostenditur, quo non erremus, nec etiam dubitare possimus. Nempe aut intellectum intendamus in evidentiam eorum, aut indagemus et inveniamus auctorem nostrae naturae; et inter caetera hoc auctoris attributum: decipere non potest (quod attributum art. 29. et 30. exponitur). (Sic enim instructi, nec errabimus unquam circa haec, nec dubitare de his unquam poterimus.


Art. 14. *Ideas*] Ideam definit Cartesius: rem quatenus objective est in intellectu. Per similitudinem picturae fiet nobis familiarior ista cogitatio; res enim depicta, puta Caesar, quatenus est in istâ picturâ suâ (quodammodo enim res picta in pictura sua esse intelligitur), eatenus Caesar est idea quasi istius picturae. Et sicut distinguimus inter maculas illas, quae tabulae per penicillum adspersae sunt, quibus Caesar repraesentatur, et inter ipsum Caesarem, ut ibi repraesentatum; sic etiam distinguimus inter cognitiones nostras et ideas. Unde elegantissime Philosophus art. 17. cognitiones non multum, ideas nostras plurimum inter se differre notat.

*Possibilem et contingentem*] In omnibus ideis continetur exsistentia possibilis; quicquid enim mente percipimus, hoc non est nihil; hoc ipso autem quo est, aliquid esse etiam seu exsistere potest.

*Sed omnino necessariam et aeternam*] Dantur quidem ideae quae continent exsistentiam necessariam ipsis; et talis, inter ideas ad lubitum nostrum confictas, est idea compositi ex lapide et exsistentia. Cum enim quaelibet componere possimus in mente, possumus etiam lapidem et ejus exsistentiam in unum compositum compingere, cui composito necessaria est hoc ipso exsistentia, sed tamen exsistentia illa absolute non est necessaria; sicut globo quidem necessaria rotunditas est (nam sine hac globus non esset), non tamen ideo necessaria rotunditas (haec enim esse non debet). Ast vero exsistentia non tantum Deo necessaria est (sic enim etiam fictae illi ideae, de qua mox dicebamus, necessaria est), sed etiam ipsa est necessaria. Nam in idea Entis summe perfecti non tantum exsistentia includitur, sed et exsi-

ſtentia neceſſaria; non eſt enim perfectiſſimum, cujus exſiſtentia non eſt neceſſaria.

*In idea trianguli neceſſario, etc.*] Quoniam Auctor hoc exemplo ſaepius utitur, et Geometrae plerumque demonſtrent per plures ambages, licebit in gratiam eorum qui mathematicas diſciplinas nondum ſalutaverunt, ruditer ſic, ſed tamen ſufficienter demonſtrare. Sic linea recta A B, ſuper quam erigantur verſus C duae aliae rectae, nempe A D et B E, ita ut aequidiſtent a ſe invicem hae duae lineae, nec inclinent ad baſim A B nec declinent ab illa, ſed recta pergant in altum; tunc anguli ad A et B vocantur recti. Cogitemus jam rectas A D et B E ad ſe invicem inclinari ſuperiori ſua parte in G, ut ibi etiam angulum faciant; hoc poſito clare videmus, quantum ſuperiori angulo ad G tribuitur, tantum auferri inferioribus angulis ad A et B; qui inferiores anguli cum ante duo recti fuerint, efficiuntur tres anguli in triangulo A G B duobus rectis aequales.




*Ita ex eo ſolo*] Sicuti et illa conſideratione trianguli, quâ conſiderabamus illum generari, clariſſime videmus, tres ejus angulos ſimul ſumptos, tantundem praeciſe valere quam duos rectos; ideoque quotieſcunque mentem animadvertimus, dubitare non poſſumus, quin ejus anguli ſint aequales duobus rectis. Ita cum clariſſime videmus, ad Ens ſumme perfectum pertinere neceſſariam exſiſtentiam (nam alioqui non erit perfectiſſimum, ſeu aliquid ipſo perfectius cogitari poterit), hinc quotieſcunque mentem huc ſatis advertimus, dubitare non poſſumus, quin Ens ſumme perfectum habeat exſiſtentiam neceſſariam, et per conſequens, quin Deus exſiſtat.

*Ens ſumme perfectum exſiſtere*] Hic art. 14. ſic cohaeret cum 13.: dictum fuerat in art. 13., nos habere varias ideas, quas quamdiu tantum contemplamur, nihilque ipſis ſimile extra nos eſſe affirmamus nec negamus, falli non poſſumus. Hîc prima exceptio fit in idea Dei: hanc enim aliquid ſimile extra ſe habere, ſeu Deum revera exſiſtere, cujus ideam in nobis habeamus, ſine errore affirmamus.

Art. 15. *Nullius alterius rei*] Nulla alia idea continet exſiſtentiam neceſſariam; fingamus ad arbitrium quaſcunque, nullam invenimus

quae exſiſtentiam neceſſariam contineat, praeter illam ſolius Dei. Componamus, et v. g. ſit compoſitum ex lapide et exſiſtentiâ neceſſariâ ipſius lapidis: idea nulla; corruit enim, et clariſſime întelligimus hoc nihil eſſe, ſeu lapidi talem exſiſtentiam competere non poſſe. Diſjungamus etiam, et forte exſiſtentiam neceſſariam diſjungendo inveniemus, qualis eſt in *albo vel non albo;* hoc enim diſjunctum neceſſario exſiſtit (neceſſum enim eſt *aut album aut non album eſſe*). Videmus clare, hîc non ideam nos, ſed ſpeciem arripuiſſe; diſjunctio enim illa, quae neceſſitatem illam inducit, pertinet ad modum cogitationis noſtrae. Sic ergo quocunque mentem vertamus, nullam ullibi ideam invenimus, in qua exſiſtentia neceſſaria contineatur, praeter ideam Entis perfectiſſimi.

*Ex hoc enim intelliget etc.*] Cum enim idea aliqua a nobis conficta eſt, id quod continet, facile etiam invenitur in aliis: ut alae quae in pegaſo ſeu in equo volante, illae etiam in aſino volante, imo ſi velis in pariete volante; quae omnes ſunt ideae a nobis confictae. Neceſſaria autem exſiſtentia tantum in una idea reperitur; ſignum eſt hanc ideam non eſſe fictam.

*Nec exhibere chimaericam*] Chimaerica vocantur in Scholis impoſſibilia illa, mons ſine valle, circulus ſine area, etc. Haec omnia nihil ſunt, et *impoſſibile* ac *nihil* idem ſunt; *nihil* autem nulla eſt idea, nulla enim affectio quae per ideam attingi poſſit. Ex quo clare patet, ideam Entis ſumme perfecti non exhibere chimaericam aliquam naturam; alioqui enim ipſa idea nulla eſſet; eſt vero aliqua idea Entis ſumme perfecti, et aliquid mente apprehendimus, cum Ens ſumme perfectum dicimus. Igitur Ens ſumme perfectum eſt res; adeoque et exſiſtit, cum neceſſaria exſiſtentia pertineat ad ejus naturam.

Art. 16. *Si ſe prius omnino praejudiciis, etc.*] Subnectit autem duo praejudicia, quae notari ſuper omnia notabilia debent; ſunt enim haec duo praejudicia ſola fere, quae Dei ideam nobis obſcuram reddunt.

Primum praejudicium pertinet ad irreverentiam in Deum, quod eodem pede metiri eum velimus, quo creaturas ejus; incipit hoc praejudicium cum illis verbis: *Sed quia ſumus aſſueti, etc.*

Nimirum in rebus creatis aliud eſt *eas quid eſſe*, aliud eſt *eas eſſe*, ſeu aliud eſt, *eas eſſe quod ſunt*, aliud eſt, *eas eſſe ſeu exſiſtere* (ſic

aliud eſt lapidem quid eſſe, ſeu lapidem eſſe lapidem, aliud longe, lapidem exſiſtere). Hoc jam pede Deum irreverentes etiam metimur: cogitamus aliud eſſe, Deum quid eſſe, et Deum eſſe; in quo magnopere fallimur, cum Dei *quid eſſe* ſit etiam ejus *eſſe* ſeu exſiſtere.

Secundum praejudicium incipit cum illis verbis: *atque etiam varias etc.*, et continet diffidentiam et ſuſpectationem donorum Dei. Ex eo enim, quod tam multas pro libidine noſtra ideas fingamus, ſuſpectamus etiam illam quam a Deo habemus, dubitamuſque, num forte etiam illa ficta ſit a nobis. Sed etiamſi per impoſſibile ficta eſſet a nobis, eſſet tamen veri Entis idea, et quidem talis entis, quod neceſſario exſiſtere debet. Nota enim, etiam cum ideas fingimus rerum, quae nuſquam ſunt aut fuerunt, ſaepe tamen veram et veri Entis ideam nos formare, ad cujus eſſentiam poſſibilis exſiſtentia pertineat; ut cum Poëtae pegaſum fingunt, ſeu equum volantem, forte rem quae nuſquam eſt, ex variis ideis componunt, ſed tamen rem veram, et quae eſſe poſſit. Non eſt enim cur minus pegaſum, quam piſcem volantem (quem majores noſtri etiam pro phantaſmate poëtico habebant) poſſe eſſe exiſtimemus. Deinde pereruditi mechanici ſaepe fingunt ideas machinarum (puta molarum quibus ligna ſecantur, etc.), quae nuſquam ſunt aut fuerunt antehac; quae tamen ideae ſunt verae et verarum rerum, ut ſatis patet quando res illae ex idea artificis in lucem producuntur. Itaque ſi etiam (quod quidem impoſſibile eſt) nos Dei ideam aut finxiſſemus ipſi, aut ab aliis hominibus accepiſſemus tantum; tamen ex hac idea ſic fictâ acceptâve, neceſſario equidem ſequeretur, Deum exſiſtere; non minus ſane, quam ex idea machinae, in mente mechanices periti exſiſtente, neceſſario ſequitur, machinam illam poſſe exſiſtere.

His praejudiciis duobus, tam opportune a Carteſio detectis, adjungamus remoram aliquam, quae Philoſophum etiam remorari nonnihil poſſet; nempe non tantum ideas (quae referuntur ad res), ſed etiam ſpecies (qua referuntur ad modos cogitationum noſtrarum) habemus in nobis; et quidem ſpecies neceſſarias ſine idea ſeu re repraeſentatâ objectâ neceſſariâ. V. g. *Petrum currere vel non currere*, neceſſaria ſpecies eſt, idea vero ſeu res hîc apprehenſa nihil habet neceſſitatis; nam nec *currere* neceſſarium eſt, nec *non currere*. Tota igitur res apprehenſa hîc (quae ſola ad ideam pertinet) contingens eſt; diſ-

iunctione vero feu ipfo *vel* (quod ad fpeciem modumque cogitationis noftrae pertinet) neceffitatur. Poffet ergo quis fufpicari, num forte quam Dei ideam dicimus, non fit fimilis aliqua fpecies; et multi jam talem fpeciem pro Deo obtrudunt etiam hodie, vel incauti vel impii. Dicunt enim quidam, Ens in genere effe Deum; quod non eft aliud quam fpecies, ut Philofophus nofter bene agnofcit art. 48. et 49.; fed de his alias. Quantum ad praefens, cum in Entis fumme perfecti contemplatione penitus defigimur, clariffime videmus, non fpeciem, fed veram ideam habere nos prae manibus, in qua modi noftrarum cogitationum nihil loci fibi vindicent. Nam idea Dei non formatur a nobis componendo aut dividendo, fed relinquendo rem ut eft, id eft, auferendo tantum limitationes; limitibus autem ablatis res non componitur aut dividitur, fed finitur ut eft, feu relinquitur fibi. Sic a cogitatione auferendo eas limitationes, quas in nobis habet (v. g. quod non extendatur ad futura, etc.), deprehenditur ipfa Dei cogitatio, ipfe Deus.

Art. 17. *Non multum a fe differre*] Sicut nimirum imagines et picturae fecundum lineamenta et colores confideratae non multum differunt; nam fic confideratae, una quidem non eft aliud quam lineamenta fic ducta, aut maculae tali ordine afperfae ad tabulam, alia vero lineamenta aliter ducta, aliove ordine difpofitae maculae.

*Effe valde diverfas*] Sicut imagines et picturae; nam quatenus una v. g. arborem repraefentat, alia vero corpus humanum, fic admodum inter fe differunt.

*Eo perfectiorem ipfarum caufam*] Sicut in picturis et imaginibus ufu venit; nam quo excellentius eft exemplar (in quantum exemplar, et in quantum fub picturam cadit), eo pictor, qui illud expreffit et bene imitatus eft, eft praeftantior. Patet etiam hoc fatis in ideis machinarum (quo exemplo auctor utitur); fi enim habeas ideam vertumni (feu illius machinae, qua in domorum et turrium apicibus oftenditur, qua ex parte mundi fpiret ventus), vides ad formandam talem ideam, penitufque penetrandam, non magnam requiri ingenii aut artis excellentiam; fed vero ut formes ideam horologii, et penitus penetres rotularum quibus conftat rationem, majori vides opus effe ingenio aut arte.

*Formaliter*] Ut cum quis ideam machinae artificiofae habens, illam

alibi vidit, et ex illa visione ideam suam concepit; nam machina illa quam vidit, quaeque est causa ideae in ipso, continet formaliter omnem illam perfectionem, quam idea ejus repraesentative continet.

*Eminenter*] Ut cum tanta in eo ingenii vis est, aut mechanicas scientias tam accurate didicit, ut illam machinam nullibi unquam visam per se excogitare potuerit. Jam enim intellectus ejus sic instructus, eminenter continet omnem perfectionem istius machinae; suntque hîc jam recensita duo clara exempla formalis et eminentis continentiae.

Art. 18. *Entis summi ideam*] Quae quidem, quatenus est quidam modus cogitandi noster, non multum differt ab aliis ideis, repraesentative vero infinite differt; ideoque requirit causam infinities perfectiorem, a qua ponatur, juxta art. 17. Ex quo facile sequitur, illam a Deo esse, et per consequens Deum esse seu exsistere. Dices forte: est modus quidam cogitandi meus, ergo a me est. Respondeo: verum est, quatenus idea ista est modus cogitandi tuus, a te est; sed quatenus idea est, seu repraesentat, eatenus a te esse non potest, cum infinita contineat ista idea, ad quae vides clare te nunquam posse pertingere, v. g. infinitam scientiam, infinitam bonitatem, etc.

*A nihilo nihil fieri*] Praeclarum axioma et Scholis etiam decantatum; ex quo sequitur, id quod statim subjungit auctor, perfectius a minus perfecto esse non posse. Deberet enim perfectionem illam qua superat habere a nihilo, cum illam ab imperfectiori, quod superatur, habere non possit.

*Archetypus aliquis*] Probavit hoc articulo, Deum esse, eo quod ipse sit causa efficiens ideae suae in nobis; jam probat etiam ex eo quod sit causa exemplaris ejusdem ideae; non potest enim esse idea sine Archetypo, seu sine exemplari. Etiamsi enim compositae ideae nostrae saepe repraesentent rem quae nusquam forte est aut fuit; simplices tamen, ex quibus hae coaluerunt, non possunt non a rebus exsistentibus jam, aut quae olim exstiterunt, ac memoriae mandatae sunt, desumptae esse. V. g. pegasus nusquam est aut fuit; esto, saltem partes ejus (nempe equus et alae) sunt alicubi. Aut si ne hae quidem alicubi esse fingantur aut fuisse; certe partes partium, ex quibus idea illa ultimo constat, et quas nos certo ordine aggregavimus, alicubi esse vel fuisse debent; quomodo enim exemplar alias nobis esse possent ad formandam ideam? Si igitur oportet Archetypum ideae divinae

eſſe vel fuiſſe (nam ſimplex eſt ille Archetypus), oportet ut neceſſario ſit, et aeternum ſit.

*Eas in aliquo a nobis diverſo*] Dices: multas ego perfectiones cogitare poſſum, quae nec in me nec in aliquo a me diverſo ſunt aut fuerunt unquam. Numquid enim poſſum cogitare hominem praeditum facultate ad proſpiciendum in futurum, ſimili fere pacto et limitatione, ſicut nos reſpicimus in praeteritum? ubinam autem talis homo aut eſt aut fuit unquam? Reſpondeo, talem ſeu imaginem ſeu ideam formatam omnino eſſe ex ideis rerum exſiſtentium; quoniam enim habemus ideam Dei, in qua ſunt omnes perfectiones, poſſumus ad arbitrium noſtrum varias perfectiones ex illa deſumere, varieque illas reſtringere et limitare, ut patet in idea quae ſtatim objiciebatur; ſed ſi perfectiones illae nuſquam eſſent integrae et illimitatae, eſſet etiam nobis impoſſibile tales ideas ad arbitrium noſtrum confingere.

Art. 19. *Manifeſtum eſt iis*] Hi enim nec praejudicîo irreverentiae, nec praejudicio diffidentiae amplius laborant; hi etiam in cogitationibus ſuis, quae neceſſitas ad ſpeciem, quae ad ideam referenda ſit, interſtinguere et internoſcere ſatis didicerunt. Vide Annot. ad art. 16.

*Non comprehendamus*] Operae pretium eſt hîc indicare diſcrimen, quod eſt inter apprehenſionem intellectus et comprehenſionem. Tunc intellectus dicitur rem aliquam comprehendere, quando ſic ſe habent res extra intellectum, et idea in intellectu, ut ſingula ſingulis quadrent; ſeu ſingulis, quae în re formaliter ſeu a parte rei ſunt, reſpondent ſingula, quae repraeſentative ſunt in idea. Exemplo picturae utamur: facies humana, quatenus ordinario modo ſub aſpectum noſtrum cadit, poteſt comprehenſive per picturam aliquam repraeſentari, eo quod ſingula quae ſunt in facie, habeant ſibi ſingula reſpondentia in pictura, quae repraeſentent illa priora. Dixi autem *facies quatenus ſub aſpectum etc.*, quia facies ipſa non poteſt humanâ picturâ comprehendi; deſunt enim in pictura repraeſentative multa, quae in facie ipſa formaliter ſunt, ut poruli et piluli in porulis, et ſimilia, quae ope microſcopii deteguntur, aliaque infinita, quae ne quidem ope iſtius detegi poſſunt. Apprehendere autem intellectus rem aliquam dicitur, quando idea intellectus rem quidem repraeſentat, ſed ſingula ſingulis non quadrant, et plura ſunt in re formaliter quam in idea repraeſentative. Exemplo picturae ſi uti voluerimus: poteſt in exigua

tabula ingens exercitus depingi, aut pratum aliquod cum arboribus; quo cafu pictura quidem apprehendit exemplar fuum, fed non comprehendit; vere enim ibi exercitus aut pratum depictum eft, ut omnes qui picturam vident, fatentur. Dicimus quidem aliquando etiam in parva illa pictura comprehendi exemplar magnum; fed id de proportione potius exemplaris et partium ejus, quam de ipfo exemplari accipiendum eft.

*De natura infiniti, etc.*] Intellectus igitur finitus apprehendere quidem rem infinitam, comprehendere nequaquam poteft; quo enim majus eft exemplar, eo major debet effe pictura quae exemplar illud comprehendit. Etiamfi enim elephantem exigua tabula aliquando comprehendere elegantiffime videatur, tamen hoc non eft ita, quando accurate loqui volumus. Ideo enim vulgo comprehendere dicitur, quia comprehendit proportionem partium elephantis, non vero quia comprehendit ipfas omnes partes; certum enim eft, multas deeffe partes in hac parva pictura repraefentative, quae in elephante (id eft, in exteriori ejus latere; hoc enim folum depingitur) reperiuntur formaliter et realiter. Magna ergo res magnâ ideâ, infinita non nifi infinitâ comprehendi poteft.

*Qui fumus finiti*] Nos finitos effe maxime patet in intellectu (nam voluntas noftra quodammodo infinita eft, art. 35.): de multis dubitamus, ignoramus multa, fi non quam plurima. Ad haec limes et obex eft intellectui noftro, hîc finitur et circumfcribitur.

*Nihilominus tamen ipfas*] Certum eft, quod idea comprehenfiva caeteris paribus perfectior fit, clarior ac diftinctior, quam idea apprehenfiva. Apprehenfio tamen rerum admodum magnarum, et praecipue infinitarum, quando nonnihil ad comprehenfionem accedit, diftinctior clariorque eft, quam idea etiam comprehenfiva parvarum rerum. Et ratio ftatim fubjungitur.

*Quia cogitationem magis implent*] Confufio cogitationum noftrarum provenit ex eo, quod plures fimul ideas mente noftra attingamus (hoc ipfum enim vel eft confufio, vel condicio quaedam confufionis, ut infra art. 45. et 46. notabimus). Si igitur res admodum magna fit, magnopere etiam implet idea ejus intellectum noftrum, nec finit illum ad alias ideas attendere, et fic aufert bonam partem periculum confufionis. Sic experientiâ feu confcientiâ etiam fentimus, clariorem

nobis effe ideam extenfionis fimpliciter, feu fpatii univerfi, fi liceat fic loqui, quam extenfionis hujus chartae. Prior enim idea utpote rei majoris magis implet intellectum noftrum, nec finit illum ad alia divagari, ut illa pofterior. Applicentur haec ad ideam Dei, et videbimus, ubi illam pro modulo noftro ad comprehenfivam frequenti meditatione, quantum nobis datum eft, fubvexerimus, omnium aliarum noftrarum idearum longe clariffimam et diftinctiffimam fore.

Art. 20. *Ita etiam recordamur*] Occurrit alicui objectioni, quam hic obiter ingefferat. Nimirum cum art. 17. et 18. demonftratum effet, Deum dediffe nobis ideam fui, objicere aliquis poterat: unde ergo fit, ut non recorder me illam aliquando accepiffe a Deo? Et refpondet Cartefius: facile poffe fieri ut ideam aliquam habeamus, et tamen obliti fimus, a quo primum acceperimus illam. Quod oftendit exemplo mechanicorum, qui faepe ideam habent artificiofae machinae, obliti tamen undenam illam primum hauferint. Secundo refpondet, ideo non meminiffe nos, quando idea Dei nobis primum advenerit, quia femper illam habuimus. Cui et tertia refponfio adjungi poffet, nempe: recordationem proprie dictam, atque omnem memoriam (cum nihil aliud fit quam fenfus quidam), pertinere ad conjunctionem mentis cum corpore; ad quam nullatenus idea Dei pertinet, fed illa nobis independenter omnino a corpore indita eft. Unde fi loquamur de recordatione intellectûs, quae nihil aliud hîc effe poteft quam agnitio, qua clare agnofcimus ideam Dei a Deo nobis inditam effe; fatendum erit, clariffime nos recordari et fcire, ideam illam a Deo nobis inditam effe aut potius indi.

*Quae novit aliquid fe perfectius*] Certum eft, noviffe nos aliquid perfectius nobis. Nos enim dubitamus de multis (v. g. an arenae maris fint numero pari), novimus autem feu concipimus facile aliquem hoc fcientem et intelligentem. Idem eft de imbecillitate et impotentiâ noftrâ circa multa; novimus enim feu cogitamus potentem aliquem cogitari a nobis, qui proinde et res fit et effe poffit.

*A fe non effe*] Eft etiam evidentiffimum confcientiâ, nos a nobis non effe; nullam enim talem vim experimur in nobis, qua poffimus nos ipfos facere (aut etiam deftruere), imo clariffime fentimus nos talem vim non habere. Sed de illa confequentia, feu potius ratione ftius confequentiae, quae fubfequitur, difpiciendum eft.

*Dedisset enim ipsa sibi etc.*] Quidam referunt hoc ad Philautiam. Nempe quia unum quodque sibi amicissimum esse videtur; hinc, si quae res se ipsam faceret, utique se ipsam perfectissimam faceret. Quod et Belgis in adagium abiit; nam videntes forte quem vitio corporis aut hebetudine mentis laborantem, *Non fecit*, inquiunt, *se ipsum.* Sed altius quiddam spirat haec ratio Cartesii: nam si fingamus hominem aliquem tali praeditum potestate, ut se ipsum faciat, is si plures sibi perfectiones sumpserit quam humanae naturae conveniant, et injustus fuerit, et frustra etiam fuerit. Cum enim humana natura limitata sit in perfectionibus suis essentialibus, ponamus eam habere gradus quatuor. Si ergo is homo quem fingebamus, quinque gradus sibi sumpserit, non se sed aliquid aliud fecerit. Ex quo apparet, impossibile esse ut res in perfectionibus suis limitata (seu res quae novit aliquid se perfectius) sibi essentiam et naturam largiatur; ad summum enim sumet illam jam ante ab alio limitatam. Si vero cogitemus rem aliquam dare sibi esse ante omnem naturae limitationem, necessum est ut res illa sibi omnem perfectionem largiatur; conveniet enim ei natura illimitata, cum nulla adhuc supponatur esse limitatio (quam proinde merito sibi vindicavit). Jam autem natura illimitata, et natura omnes perfectiones habens, idem sunt; omnisque imperfectio ad limitationem aliquam pertinet. In eo igitur consistit vis istius consequentiae: si dedissemus nobis esse, essemus illimitati (nam quamdiu limitati sumus, tamdiu esse ab alio paratum nobis et limitatum habere intelligimur, cum esse se ipsum non limitet); si illimitati, ergo dedissemus nobis omnes perfectiones.

Art. 22. *Quod simul quisnam sit*] Idea rei ostendit nobis quid sit res; conclusiones quas inde deducimus, ostendunt nobis, quaenam et qualisnam sit res. *Quaenam* refertur ad attributa rei; *qualisnam* ad qualitates. Quia vero qualitates in Deo non recte dicuntur (art 56.), hinc dixit Auctor *quisnam*, non autem *qualisnam.* Exemplo illustremus: V. g. idea trianguli (quae non est aliud quam trium rectarum linearum extremis punctis cohaerentium, et aream seu spatium continentium complexio; seu tres lineae rectae in plano spatium complexae) ostendit nobis *quid* sit triangulus; cum vero inde deducimus, tres ejus angulos simul sumptos aequales esse duobus rectis, haec conclusio, quia attributum continet, indicat nobis, *qualisnam* seu

*quisnam* sit trangulus. Similiter idea Dei (quae non est aliud quam Ens summe perfectum) ostendet nobis *quid* sit Deus; dum vero indė concludimus, ipsum omniscium esse, omnipotentem, exsistentem, etc., haec conclusio, *qualisnam* seu potius *quisnam* Deus sit, ostendit.

*Illum esse aeternum*] Aeternus non est aliud quam primus in natura; non autem primus in tempore, quia Deus non est in tempore. Unde in hac propositione: *Deus est*, seu *Deus est exsistens*, verbum seu copula absolvitur a tempore (ut Logici loquuntur), seu nullum omnino tempus significat, sed est similis prorsus significationis sicut in hac: *duo et tria sunt quinque*, ubi *sunt* nec praesens nec praeteritum, etc. significat, sed tantum vim talem habet, ut quocunque tempore pronuncietur illa propositio, et etiamsi nullo tempore pronuncietur, vera tamen semper sit. Sequitur autem ex eo quod Deus aeternus sit, ipsum esse perfectissimum, seu habere omnes perfectiones; quia enim aeternus est seu primus in natura, venit (ita balbutiamus) in naturam illimitatam. Prius enim est naturam esse, quam limitatam esse; qui igitur primus in illam venit, in illimitatam venit. Illimitata autem natura idem est quod natura perfectissima; nam imperfectio non est aliud quam limitatio; ut corpus omnisque res bruta imperfecta est, quia limitatur ad cognitionem; ibi limes ejus est, ultra quem se non extendit. Nec enim in cognitionem ingreditur, seu non cognoscit. Nos ipsi imperfecti sumus; etiamsi enim non bruti simus, nec ad cognitionem terminemur, sed et in illam intromittamur, limitamur tamen ad cognitionem futuri, multasque alias cognitiones. Proinde clarissimum est, perfectum et illimitatum idem esse; etiamsi ex aeternitate Dei sequantur omnes ejus perfectiones, illa tamen non tam ad ideam, seu ad *quidnam*, quam ad attributum seu ad *quisnam* referenda est; eo quod *primum esse* (in quo ratio aeternitatis versatur) supponat *quid esse*.

*Omniscium*] Omnis scientia est res vera, adeoque et esse potest (nam omnis res vera includit essentialiter exsistentiam possibilem); sed et conjunctim omniscientia est res possibilis. Nec enim una scientia aliam excludit aut impedit; potius contra (quod in nobis evidentissime experimur) una scientia aliam scientiam juvat; igitur si non posset esse omniscientia, deberet hoc provenire ex parte subjecti incapacis ad continendum omnes scientias. Sed contrarium liquet; nam quo nos ipsi plures scientias hauserimus, eo capaciores sumus

ad plures alias hauriendum. Eſt igitur omniſcientia res prorſus poſſibilis.

*Omnipotentem*] Omnis potentia etiam eſt poſſibilis, hoc ipſo enim quo res omnis eſſe poteſt (alioqui enim res non erit, ſi eſſe non poteſt, ſed merum nihil); oportet ergo etiam poſſe eſſe potentiam, qua ponatur (nam ſine hac eſſe non poſſet). Et quod hîc ſpeciale eſt, ex eo quod poſſit eſſe omnis potentia, ſtatim ſequitur et illam eſſe. In potentiis enim valet conſequentia, quae alibi non ita valet, a poſſe ad eſſe; ſequitur enim *poteſt poſſe, ergo ſimpliciter poteſt;* et ſi poſſit eſſe potentia ad ambulandum, ergo eſt potentia ad ambulandum; intelligendo ſcilicet de potentia vera et abſoluta. Non ſic proxime ſequitur *omnis ſcientia poteſt eſſe, ergo omnis ſcientia eſt.* Porro non tantum omnis potentia, ſed conjunctim etiam omnipotentia eſſe poteſt; una enim potentia non repugnat aut officit unquam alteri potentiae, ſed contra ſe mutuo juvant atque perficiunt potius; unde et in eadem re limitatâ ſimul conſiſtant potentiae ad diverſiſſima (v. g. ad currendum et non currendum). Deberet ergo ex parte ſubjecti provenire, ſi omnipotentia eſſe non poſſet; et quidem in ſubjectis limitatis facile videmus illam quadrare non poſſe (ut in corpore potentia quidem eſt ut moveatur, ſed non ut intelligat), ſed in ſubjecto illimitato nihil eſt cur reſidere non poſſit. Magnopere autem conſiderandum eſt, quod ante adhuc diximus, limites auferendo ex ideis noſtris, nos non novam ideam fingere, ſed prorſus veterem, et quae nobiſcum ſemper fuit, contemplari.

*Veritatiſque*] Plurimae ſunt veritates aeternae, ut patet ex communibus noſtris notionibus, et concluſionibus inde per bonam conſequentiam deductis. Hae veritates ſicut aeternae ſunt, non niſi in aeterna mente reſidere poſſunt; noſtra autem mens non eſt aeterna, igitur in alia mente ſunt, nam extra mentem veritates ſententiaeque eſſe non poſſunt. Quod nos illas attingamus, inde eſt, quia cum illa mente communionem aliquam habemus, et tantum quatenus limitati imperfectique ab illa differimus.

*Bonitatis*] Sunt praeterea multae veritates contingentes, ut ſolem eſſe, viciſſitudinem dierum ac noctium nobis eſſe, etc. Hae veritates cum eſſe non debeant, ſint tamen neceſſum eſt, ſc. cauſam aliquam ſui juris atque arbitrii, et proinde immenſa bonitate praeditam, illas

determinare ut sint. Est enim in omnibus illis veritatibus determinandis et elucet immensa bonitas. Etiamsi enim multae sint tales veritates, quae relate ad quaedam potius aliquid mali quam boni dicant, ut errare, peccare, imperfectum esse, etc., semper tamen, quando absolute considerantur, et tantum relate ad eum qui eas determinat, et quatenus eas determinat, non possumus non immensam in illis intelligere bonitatem.

*Rerum omnium creatorem*] Quod Deus creare possit, ab aeternitate sua habet; cum enim inde primus sit, atque ideo etiam illimitatus, potest etiam ille aliis quibusdam, quod in se eminentissime et illimitate habet, limitate communicare, dando illis portionem istius naturae, quam ille sibi totam et illimitatam vindicaverat. Limites enim ponendo certis suis perfectionibus, eas quodammodo alienat et extra se ponit, easdem tamen sibi retinens quatenus illimitatae sunt. Et nulla potest esse hac in re difficultas, si modo diligenter caveamus, ne ideam actionis confundamus cum schemate, quod sensus nobis suggerit. Nimirum sensibus nostris inducti, solemus agentem ut motorem aliquem considerare, instrumentis instructum, quae varie inter agendum moveat (ut fabrum, sartorem, pictorem, etc.). Hoc schemate cum circa Deum versari volumus (ex tertia causa errorum nostrorum art. 73.), non mirum, nos infinitis difficultatibus circa creationem et creaturas ejus intricari. Imprimis nullam rectam considerationem (hoc schemate inescati) possumus habere istius creatonis, qua Deus ipsum corpus, ipsumque spatium creat. Cum enim ipsum, jam ante creationem spatii seu corporis, imaginemur nobis ut motu et instrumentis accinctum ad cudendum hoc opus, jam ante spatium ponendum, spatium imaginatione nostra posuimus, cum motus sine spatio cogitari non possit. Rejecto igitur hoc puerili actionis schemate, facile intelligemus spatium a Deo creatum esse, hoc ipso quo limes positus est ejus essentiae, hoc ipso quo regulas aliquas sequitur, quae non nisi in mente dictante, easdemque exsequente, et ratas esse jubente (adeoque totam spatii essentiam efficiente), inveniri possunt. Et bene cave illud schema; fuit enim quibusdam etiam magnis ingeniis non levis impietatis causa, dum spatium et corpus seu materiam, Deo coaevam seu coaeternam ponunt.

*Ac denique etc.*] Omnia haec Dei attributa, ut vidimus, possibilia

ſunt, ſeu eſſe poſſunt. Jam etiam oſtendamus, compoſſibilia eſſe, ſeu unum non repugnare cum altero. Imprimis aeternitas non repugnat cum omniſcientia; imo hae duae neceſſario ſe mutuo inferunt in eodem ſubjecto. Nam ſi quid aeternum eſt, id omniſcium ſit neceſſe eſt, et contra. Aeternum enim eſt primum in natura; primum in natura, illimitatum eſt (ut ſupra demonſtravi); corpus ergo vel ſpatium non poteſt eſſe ab aeterno (clare enim in eſſentia ſua limitatum eſt, nec in cognitionem ſe ingerit, ſeu non cognoſcit); ergo mens erit, quod ab aeterno erit. Et haec quidem illimitata in cognitione, ergo omniſcia (nam mens illimitata, ſeu intellectus illimitatus, idem eſt ac intellectus omniſcius, ſeu ad omnem ſcientiam ſe extendens). Etiamſi autem mens etiam limitari videatur ad extenſionem (nec enim in extenſionem incurrit, ſeu non eſt extenſa), tamen hoc tantum verum eſt formaliter; eminenter enim mens etiam in extenſionem admittitur. Et nota proprium eſſe menti, eminenter aliquid continere (nam corpis nihil eminenter continet, cum nihil efficere poſſit, ſed tantum pati). Exemplum eminentis continentiae etiam in mente noſtra habes art. 16.; vide annotata ibi. Igitur neceſſario ſequitur *eſt aeternum, ergo eſt omniſcium.* Sequitur etiam vice verſa, *eſt omniſcium, ergo eſt aeternum.* Omniſcium enim non poteſt eſſe niſi mens illimitata (ut illa clare intelliguntur prorſus eadem eſſe), et praeter mentem nulla alia res illimitata eſſe poteſt, et debet tamen quod ab aeterno eſt illimitatum eſſe (quae omnia ex ſupra dictis planiſſime conſtant); igitur ſi omniſcium eſt, ab aeterno eſt; quod erat demonſtrandum.

Non repugnant etiam omniſcientia et omnipotentia, quia omnipotentia neceſſario praeſupponit omniſcientiam. Nulla enim eſt potentia quae non poſſit exire in actum (nam ſi exire in actum non poſſit, non potentia illa, ſed impotentia fuerit); exire autem in actum ſine cognitione ſcientiaque non poteſt, nam lumine naturae clariſſimum eſt: *Qui neſcit quomodo fiat, is non facit.* Similiter Bonitatem, Veritatemque et Creationem bene inter ſe et cum aliis attributis compati, clariſſimum eſt bene conſideranti, et longiuſculum foret omnia ſingulatim deducere.

Igitur totus Deus cum omnibus iſtis attributis ſuis, ut jam vidimus, res vera, res poſſibilis eſt, res quae eſſe poteſt; ex quo clariſſime ſequitur, eam et eſſe. Nam imprimis cum ab aeterno ſit ſeu illimitatus,

neceffum eft ut adhuc exfiftat; etiamfi enim jam varii limites in natura fint, hi tamen ad illum non pertinent, nec his ille fublatus effe poteft; non magis certe quam campus terrae, cum una pars ejus fatis, altera arbufculis, tertia flofculis quibufdam aut pratis deputata circumfcriptaque eft, ablatus effe intelligi poteft. Quantum ad omnipotentiam, ex hac etiam fequitur clare Deum effe; cum enim fit omnipotens, poteft omnia ponere quae poni poffunt, feu omnes res veras; ipfe autem eft res vera (ut jam fatis demonftravimus), poterit ergo fe ponere feu fuae exfiftentiae auctor effe; et omnino faciet, quia optimus fimul eft, nec finere poteft ut res tam bona (qualis ipfemet eft) non fit.

Art. 23. *Imperfectionis five limitationis*] Haec enim prorfus funt eadem, nec aliud eft imperfectum effe, quam limitatum effe. Hoc ipfo enim quo res aliqua non excurrit in omnem effentiam totamque naturam, hoc ipfo deeft ei aliquid de natura (nam integra natura fola abfolute natura eft, ficut integra domus fola abfolute domus eft); hoc ipfo autem quo deeft aliquid in natura, hoc ipfo imperfecta natura intelligitur. Et quamvis res omnes creatae fint imperfectae atque limitatae, hoc ipfo quo non funt aeternae; Deus tamen non auctor imperfectionum, fed tantum auctor naturae; ficut pius amicus qui in neceffitate bonam fummam (puta mille florenos) mutuo vel potius dono dedit, auctor iftius doni effe intelligitur, non vero auctor limitationis, qua fumma limitata eft ad mille, nec excurrit ad plura millia; haec enim limitatio per accidens advenit, hoc ipfo quo non plus dedit. Unde gratiae debentur pro eo quod dedit; quod non plus dederit, ei vitio verti non poteft, qui nihil dare poterat. Imperfectiones rerum creatarum comparatione factâ ad Deum tantum funt negationes, perfectiones vero rerum creatarum funt ejus dona; has dedit, illae fupervenerunt hoc ipfo quo non plus dedit.

*Eftque imperfectio effe divifibilem*] Corpus univerfe fumptum, id eft corpus fimpliciter, non eft divifibile, fed divifibilitas tantum competit particularibus corporibus, ut infra part. 2. demonftrabimus. Reftat igitur videndum, cur natura corporea feu fpatii non poffit ad divinam naturam pertinere (funt enim qui hîc errant, et cum Auctor tantum demonftret hîc expreffe, particularia corpora ad divinitatem non pertinere, putant hoc ipfo liberum relinqui, corpus univerfe

ſumptum ad illam reducere). Corpus etiam univerſum eſt res bruta, omni deſtituta cognitione; hîc limitatio, hîc imperfectio ejus eſt; et quidem ſumma imperfectio brutalitas eſt. Quod etiam quaſi per nebulam vidiſſe videntur Scholae, quae materiam (id eſt, naturam corpoream) in infimo gradu perfectionis collocaverunt, et proximam nihilo eſſe voluerunt.

*Nullo modo Deum ſentire putandum eſt*] Senſus eſt modus quidam cognoſcendi; modus autem (ut et ipſum illud nomen innuit) ſemper importat aliquam limitationem. Nam modus ſemper terminatur ad alium modum ejuſdem ſubjecti, ſeu ad commodum; nunquam enim modus eſt ſine correſpondente alio modo. Si ergo Deus ſentiret, eſſet aliquid in ipſo limitatum; cum tamen ex aeternitate ejus clariſſime demonſtratum ſit, nullos limites ad ipſum poſſe pertinere, hinc non tantum ſequitur, non eſſe ſenſum in Deo, ſed nec ullum alium verum ac realem modum.

*Intelligere*] Non ut nos, nam et hoc ad modum pertinet, et clare intellectus noſter ad ſenſum terminatur. Intelligit igitur Deus, ſed ſine modo; atque hinc etiam intellectus analogice tantum de ipſo ac nobis dicitur.

*Velle*] Vult etiam Deus ſine modo, neque voluntas ejus ad intellectum ejus terminatur, aut contra; cumque nos intellectum et voluntatem in Deo diſtinguimus, pertinet haec diſtinctio ad modos conſiderandi noſtros; vide art. 62.

*Operationes diſtinctas*] In Deo enim nulla poſſunt eſſe inter ſe diſtincta, quae ad eſſentiam ſeu naturam ejus pertineant. Nam diſtincta ad ſe invicem limitantur, ac ſic imperfectionem aliquam involvunt; licet autem Deus a creaturis diſtinguatur, non tamen ad illas limitari intelligitur, cum quidquid hae in ſe habent verae et perfectae naturae, totum id ille ſibi formaliter aut eminenter vindicet.

*Neque enim vult malitiam peccati, quia non eſt res*] Demonſtravimus paulo ante, Deum non eſſe cauſam moralem imperfectionum; hic uno verbo oſtenditur, ipſum non eſſe cauſam phyſicam earundem; quia non ſunt res, ſed tantum limites atque negationes. Imperfectio enim in genere non aliud dicit quam *non ultra;* in creaturis omnibus habetur *huc uſque;* hoc ad eſſentiam pertinet, et hoc Deus dedit; inſuper habetur *non ultra* (v. g. corpus extenſum eſt, nec ultra

quicquam); hoc autem caufam phyficam et realem non agnofcit, cum fit mera negatio. Quod de imperfectione in genere, facile etiam de peccato intelligitur, quod et ex imperfectione nafcitur, et imperfectio non minima eft.

Art. 24. *Jam vero, etc.*] Hactenus Deum, ejus attributa, et inter haec exfiftentiam ejus deprehendimus; poteft, fi cui hoc arridet, idem expediri. Nempe: dubito, cogito, fum; adeoque fum mens limitata; limites per intellectum tollo, non fingo, non facio rem novam, fed veterem detego, invenioque mentem illimitatam; ex qua facile, primo quidem aeternitas, deinde reliqua Dei attributa fequuntur.

*Optimam philofophandi viam*] Hactenus ergo de Deo ut in fe eft; nunc, quo pacto veram Philofophiam ex ipfo deducere poffimus, difpiciendum eft.

*Conemur*] Conatus eft Auctor, et feliciter etiam affecutus; primum detegendo regulas Philofophiae, et limites humani intellectus, quos ex effentia divina colligit quatuor fequentibus artt. Secundo, ex eadem effentia deducendo, in clare et diftincte perceptis nos falli non poffe, artt. 29. 30. etc.; hinc omnem operam adhibendam, ut clara ab obfcuris in noftris cogitationibus diftinguamus, quod egregie exfequitur art. 47. et plufculis fequentibus. Tertio, regulas motûs deducendo ex natura Dei, adeoque totum hunc mundum, omnefque ejus partes ex eodem fonte derivando, quod videbimus parte fecunda circa §. 36. et fequentes. Ita ut merito Philofophia ejus (et omnis vera Philofophia talis effe debet) non nifi Theologia fit, quae Deum pro fundamento habens inde res omnes creatas deducit.

*Deum auctorem rerum effe, etc.*] Haec eft capitalis regula philofophandi, ex qua tres fequentes facile deducuntur. Primo, Revelationem et effe poffe, et quod revelatum fuerit, accipiendum effe. Secundo, Infinitum, et indefinitum, qua infinitum eft, non poffe comprehendi a nobis, nihilque curandum de iis quae comprehenfionem illam fupponunt. Tertio, Participium confiliorum divinorum, finiumque quos fibi praeftituit, non debere nos arrogare nobis.

Art. 25. *Aliquid revelet*] Revelatio pertinet ad res quae naturales ingenii noftri vires excedunt. Excedere vero illas vires dicitur, quod a nobis clare diftincteque apprehendi non poteft; et dico *apprehendi*, quia etiamfi forte fic comprehendi non poffit, non ideo vires ingenii

noſtri ita excedere dicetur, ut ad revelationem revocandum ſit. Sic Deus ipſe pertinet ad lumen naturae, et non proprie ad revelationem; etiamſi enim a nobis comprehendi non poſſit, ut ad art. 19. demonſtrabamus, poteſt tamen a nobis clare diſtincteque apprehendi, ut ibidem. Eorum vero, quae vires ingenii noſtri excedunt, quaedam quoad modum tantum, quaedam quoad ſubſtantiam ſuam excedunt eas vires. Sic humana noſtra condicio (quae in eo verſatur, quod in corpus agamus et viciſſim ab illo patiamur, vide Ethicam noſtram de Inſpectione ſui), quoad ſubſtantiam ſuam, non egreditur vires noſtri ingenii, ſatiſque novimus nos homines eſſe; ſed quoad modum, quo et mens in corpus et corpus in mentem noſtram agat, plane excedit vires noſtri ingenii, et neutiquam poteſt a nobis clare diſtincteque apprehendi, vide Ethicam ibidem. Sed vero myſterium Incarnationis non tantum quoad modum, ſed etiam quoad ſubſtantiam excedit vires noſtri ingenii. Haec igitur tantum pertinent proprie ad revelationem; nam quae quoad modum ſuum tantum excedunt ingenium, illa pertinent ad lumen naturae; nec enim ſub revelatione divina credimus nos homines eſſe, ſed id lumine naturali manifeſtiſſime intelligimus.

*Non recuſabimus illa credere*] Poteſt ergo eſſe revelatio hoc ipſo, quo poteſt eſſe res quae non tantum quoad modum (quales eſſe plures conſtat evidenter ipſa noſtrâ conſcientiâ), ſed etiam quoad ſubſtantiam ſuam vires excedit ingenii humani. Quae res, ſi Deus illam eſſe dixerit, non recuſabimus illam firmâ fide accipere: plus enim ille quam nos de rebus illis ſcire poteſt et debet, nec fallere nos unquam poteſt.

*Quamvis non clare intelligamus*] Etiam, cum Deus revelavit rem aliquam, non facit illam revelatione ſua claram, ſed tantum certam. Non enim revelatur res per hoc, quod ex ſerie revelationis tranſferatur in lumen naturae, ſed mere per hoc, quod etiamſi obſcura nobis ſit, nec illam apprehendere clare et diſtincte poſſimus, eſſe tamen ſciri poſſit et firmiter credi debeat, eo quod Deus eſſe dixerit.

Art. 26. *Diſputationibus de infinito*] Vetantur diſputationes de infinito, tales nempe quae comprehenſionem infiniti ſupponant vel inferant (ut manifeſte evincit ratio quam Philoſophus ſubjungit, et exempla quae ſubjicit); alioqui enim de infinito, ut apprehendi a

nobis potest, et merito disputatur, et ipse jam de Deo agens, nosque in annotatis ad ipsum multa de infinito disputavimus.

*Ac comprehendere conari*] Ibi diserte, mentem suam hanc esse quam diximus, ostendit.

*Esset etiam infinita*] Clare haec quaestio supponit comprehensionem infiniti; nemo enim medium determinare potest istius rei, quam non totam comprehendit.

*Sit par vel impar*] Haec etiam determinatio clare supponit comprehensionem numeri infiniti; de numero enim dici nequit, par ne sit an impar, nisi totum mente pervolveris et comprehenderis, ut notissimum est bene consideranti.

*Et talia*] Si constituerimus spatium sive corpus quaquaversum indefinite extendi (ut omnino constituendum hoc est), non curabimus respondere iis, qui redarguere nos volentes, petent: an in linea hinc in orientem in infinitum procurrente plures sint partes determinatae (puta cubitales) priores quam posteriores. (Plures debere agnosci priores quam posteriores, sic videbuntur evincere: quae prima est, et hîc est in istâ lineâ pars cubitalis, illa quidem prior, et nullâ aliâ posterior est in hac linea; reliquae quae sequuntur, posteriores quidem hac, sed priores aliâ aliqua, nisi velis fateri ultimam aliquam, adeoque et finem in istâ lineâ, quam infinitam esse praedicaveras). Si plures priores quam posteriores esse dixeris, absurdum arguent, et prius aliquod sine posteriori concedendum tibi esse convincent; sin vero non plures priores quam posteriores partes esse dixeris, evincent, sicut aliqua est prior et non posterior in hac linea, ita debere aliquam esse posteriorem et non priorem, id est, postremam seu ultimam, qua agnitâ finis habebitur in istâ lineâ infinitâ. Hi atque similes, quibus Scholae tam delectantur, discursus omnes peccant contra hanc verae Philosophiae regulam: supponunt comprehensionem infiniti, quae nobis, utpote finitis, prorsum impossibilis est. Ut interim sophismatis istis, quando iis urgeri te contingit, expedire te etiam cum bona populi gratia possis, noli sophistae tuo unquam permittere illas in infinito nomenclaturas: *omne*, *totum*, *reliquum;* hae enim manifeste supponunt (quod rudes etiam non difficulter intelligent) finem ab intellectu nostro circumscriptum rei cui tribuuntur. His ei denegatis nomenclaturis, necessum est ut obmutescat, incipiatque hoc videre, quod

vera Philoſophia hîc docet, non eſſe diſputandum de infinito tali diſputatione, quae comprehenſionem infiniti importet.

Art. 28. *Nullas unquam rationes a fine*] Contra quam verae Philoſophiae regulam ſaepiſſime peccant Scholae, quibus nihil decantatius, quam *hoc ſpectat ad ornatum univerſi*, item *hoc ſpectat ad commoditatem humani generis*. His enim duabus rationibus a fine petitis, utuntur ad probandam exſiſtentiam multarum rerum. Sic probant, elementum ignis exſiſtere ſub concavâ coeli Lunae; nam ſpectat ad ornatum et complementum hujus mundi, ut ſicut reliqua elementa ſingula ſe congregant in locum aliquem ſublunarem, in quo vaſta mole et numero ſuarum partium conſiſtant, ita et ignis, qui et ipſe elementum eſt, hoc etiam agat. Sic etiam, cur noctium et dierum viciſſitudines ſint, non dubitant hanc afferre rationem: ut commoditas ſit humano generi, dum quietis ac laborum, ſomnii atque vigiliae alterna ſunt tempora. In quibus omnibus rationibus nihil eſt Philoſophi; Philoſophus enim petit, unde res ſint, ex quo bene intellecto facile deinde colligit, quem uſum praeſtent, quod ultimum ad finem pertinet. Sic noctium atque dierum viciſſitudimes docebit a motu eſſe, quo vel terra convertatur, vel coeleſtia circa ipſam; ex quo quae commoditas, aut ſaepe etiam quod incommodum nobis oriatur, in parvo habet; hoc enim extra philoſophiam eſt. Similiter, ſi elementum ignis ibi exſiſtere deprehenderit, petet *unde;* non autem concludet, ipſum ibi exſiſtere, ex ratione tam frivola.

*Ut ejus conſiliorum participes*] Summum ejus conſilium ſeu ultimam intentionem Dei non ignoramus; nempe Deus omnia facit propter ſe. Faciendum enim eſt in gratiam ejus quod bonum eſt (nam in gratiam mali, qua ſic, ne agere quidem poſſumus; tantum abeſt ut hoc liceat); Deus autem eſt bonus, imo ipſe ſolus bonus eſt ſeu perfectus (ut ex idea ejus ſatis vidimus), facitque id ſemper quod faciendum eſt (alioqui quo modo bonus?); igitur neceſſariâ conſequentiâ agit ſemper propter ſe et ſui gratia. Ex quo ipſo ſatis apparet illa ſcholaſtica ineptia (ut leviſſime dicam, impietas enim etiam hic latet aliqua), philoſophemata ſua circa res naturales a fine deducentium, et praeſertim a commoditate hominum aliarumve creaturarum. Deus enim hanc proprie nunquam intendit (cum ſolus finis ultimus proprie ſub intentionem cadat), itaque per accidens ſe

habet illa commoditas ad Dei summam ac ultimam intentionem; adeoque nec ex illa intentione unquam deduci aliquid circa res naturales earumve exsistentiam potest.

*Quamdiu nihil contrarium*] Nihil, inquam, alienum (nam sic saepe sumitur illa vox *contrarium*, praesertim in linguis vernaculis), seu nihil excedens illud lumen, ut art. 25. Auctor dixerat; impossibile enim est lumini naturali divinam revelationem contrariari. Nam contrariorum alterum necessario falsum est; jam vero nec Deus revelare falsum aliquid, nec lumen naturae ullum unquam objectum attingere potest, quod non sit verum, quatenus ab ipsa attingitur, ut Auctor mox dicet art. 30.

Art. 29. *Nisi ex malitia vel metu etc.*] Ex malitia in iis, qui ipsâ fallaciâ et aliorum deceptione gaudent; ex metu et imbecillitate in iis, qui vel sibi vel aliis, vel iis etiam subinde ipsis quos decipiunt, consulere, nisi decipiant, non possunt. In quo postremo gradu (qui proxime ad veritatem et perfectionem accedit) sunt medici, parentes, paedagogi, ad aegros suos, filios, alumnos, quos saepe tali pacto decipiunt, comparati. Atque hinc merito dictum est: *Deo proximus est, qui novit per imposturam dare beneficium.* Sed equidem in his omnibus absolute imperfectio, ad minus imbecillitas; et si satis potentes essent, possentque aperto marte, id quod fraudibus et deceptione jam consequuntur, obtinere, utique fraudibus abstinerent. Deus igitur non decipit, non ut vafri (non est malus), non ut medici, ut parentes, etc. qui decipiendo bene consulunt (ipse non est imbecillus).

Art. 30. *Quatenus ab ipsa attingitur*] Implicat plane etiam sine aperta illa relatione ad Deum, ut cognitio nostra attingat aliquid non verum, seu aliquid quod non est vera res; nam esset *nihil*, et hoc ipso non attingeretur. *Nihil* enim non attingitur, ne quidem mente, seu (ut loqui aliqui solent) attingitur non attingendo; sicuti nullum in aëre puro nos colorem aut lumen videre, seu nihil nos ibi videre, non videndo videmus. Exemplo etiam picturae res illustrari aut certe familiarior reddi poterit; haec comparata mere ad id quod repraesentat, nunquam falsa est; nam v. g. si pictor Caesarem depinxerit, seu ex intuitu ejus picturam suam confecerit, haec pictura per se et suapte naturâ referetur ad Caesarem, si pictor bene assecutus fuerit suam exemplar, aut alium aliquem hominem si aberraverit, aut forte

ad monſtrum aliquod humanum, ſi valde imperitus fuerit pictor (nec refert, uſquam gentium ſit fueritve id ad quod pictura iſta ſic naturaliter refertur; nam ſaltem eſſe poteſt hoc ipſo quo repraeſentative attingitur, cum *nihil* attingi nullo modo poſitivo poſſit). Haec igitur pictura ſic relata decipere non poteſt, refertur enim ad id quod vere repraeſentat.

*Quin et aliae omnes dubitandi cauſae*] Nimirum nec intellectus nos decipiet, nec ſenſus (qui art. 4. et 5. ſuſpectati). Cum enim hi non ſint aliud quam repraeſentationes, dummodo referantur ad id, ad quod per ſe et ſuapte natura referuntur, nullum erit errandi periculum; ſicut patet exemplo picturae, quod modo adferebamus.

Art. 31. *Non tam illos ab intellectu*] Intellectus inſtar picturae eſt, quae ſemper vera eſt, quamdiu ſibi relinquitur, aut tantum refertur ad illud, ad quod illa ſuapte natura refertur.

*Quam a voluntate*] Voluntas habet ſe inſtar pictoris, qui picturam ſuam ſubinde refert ad aliud, quam ad quod ipſâ naturâ ſuâ refertur. Ut Caeſarem depingere volens, alium quem depinxit; ad quem alium ſi ipſe picturam ſuam referret, ſicut illa ſuapte natura refertur ad alium illum, utique non erraret; jam vero errare dicitur, quia ad Caeſarem refert. Unde error omnis in pictore, in pictura ipſa tantum veritas.

Art. 32. *Affirmare, negare*] Haec Scholae ſemper dederunt intellectui; Carteſius reſtituit voluntati, cui et debentur. Nam ultra perceptionem repraeſentationemve reperitur in his modus aliquis tendendi in objectum, in affirmatione quidem anniſus, in negatione vero reniſus (ut totidem verbis Scholae antehac docuerunt); qui modi manifeſte non pertinent ad repraeſentationem aliquam (ut ipſi male tribuebantur), ſed ad voluntatem, cujus eſt tendere, ut vel ipſo verbo admoneri debebant Scholae.

*Dubitare*] Dubitare formaliter non eſt aliud quam, re aliqua propoſita, duplicis ignorantiae conſcientiam habere circa utramque partem contradictionis. Propoſita v. g. hac: *arenae maris ſunt numero pari*, hoc ipſo dubito, quo conſcius mihi ſum neſcire me an ſint, et neſcire me an non ſint numero pari. Ex quo clare patet, dubitationem formaliter pertinere ad intellectum. Sed loquitur Carteſius de dubitatione illa, quam populus magis intelligit, quae in animi pendentiâ conſiſtit,

quae dubitationem proprie dictam ſaepe conſequitur; haec enim clare ad voluntatem pertinet.

Art. 33. *Modo tantum nihil plane de ipſo affirmemus vel negemus*] Ut picturam intuentes, nec referentes illam aliquo, ſed contenti relatione quam ſuapte natura habet pictura, non errant.

*Cum id tantum affirmamus etc.*] Sicuti qui in caſu poſito ad id ipſum referunt picturam, ad quod ipſam vident ſuapte natura referri.

*Sed tantummodo cum etc.*] V. g. videntes domi alicujus picturam, referamus illam ad herum (exiſtimantes ipſum repraeſentari), quem tamen de facie non ſatis novimus, aut aliter obſcura nobis ſit iſta relatio.

Art. 34. *Judicandum*] Judicium, ſeu ſecunda mentis operatio (ut in Scholis vocatur), differt a prima mentis operatione, relatione voluntatis (quae affirmatio negatiove vocatur). In prima enim mentis operatione ſolum eſt repraeſentatio et naturalis relatio iſtius repraeſentationis ad objectum ſeu repraeſentatum; huic ſuccedens ſecunda mentis operatio habet inſuper relationem, qua voluntas refert repraeſentationem ad aliquid, quod vel idem eſt cum eo, ad quod naturaliter referebatur repraeſentatio, vel diverſum; et ſiquidem diverſum, error eſt hoc ipſo in judicio.

*Multis enim poſſumus aſſentiri*] Exemplum habes art. praecedenti.

Art. 35. *Eſtque ſemper valde finita*] Comprehenſio intellectus noſtri admodum finita eſt; nunquam extendit ſe ad rem infinitam; clara apprehenſio noſtri intellectus etiam valde finita eſt. Multa ſunt quae quoad ſubſtantiam non clare apprehendimus, vide annot. ad art. 25. Tandem apprehenſio confuſa et obſcura noſtri intellectus infinita quidem eſt, ſed bene notandum eſt, id quod obſcure tantum et confuſe apprehenditur ſeu repraeſentatur, revera et proprie loquendo non repraeſentari. Sicut pictura quae ſilvam repraeſentat, aliquatenus arbores, confuſius folia, et adhuc confuſius horum venulas repraeſentat; quae vero ſic confuſe repraeſentat, proprie non repraeſentat. Et notandum eſt, obſcuritatem cognitionis non pertinere ad ipſam cognitionem, ſed tantum eſſe denominationem externam, ei a relatione voluntatis noſtrae ſuperadditam. Omnis enim cognitio ſibi relicta et ſecundum ſe nude ſpectata, eſt clara; quod exemplo picturae iterum explicare conabimur. Nam in pictura illa ſilvae, quod confuſum et

obſcurum dicebamus (nempe ramos, folia, etc.), id tantum eſt obſcurum, cum ad certa iſta objecta refertur; cum vero refertur ad id quod vere attingit et repraeſentat pictura (v. g. miſcellam aliquam viridium et ſubnigrarum rerum), eſt omnino clara, nam clare illa repraeſentat.

*Voluntas vero infinita*] Voluntatem noſtram extendere ſe ultra intellectum (id eſt, ultra clare cognita; nam obſcuritas, ut jam vidimus, non pertinet ad ipſum intellectum ſeu cognitionem), tam eſt manifeſtum quam, cognitiones aliquas noſtras obſcuras eſſe. Fiunt enim obſcurae, non relatione intrinſeca et eſſentiali, ſed externâ, et quidem a voluntate noſtra dependente, cum illa refert cognitionem ad id, quod ipſa revera non attingit. Ex quo etiam patet, in omni obſcuritate quodammodo errorem aliquem eſſe.

*Vel immenſae illius quae in Deo eſt*] Poſſumus enim voluntatem noſtram cum divina voluntate conformare; quo facto, idem velle quod Deus vult intelligimur. Non perinde poſſumus intellectum noſtrum cum divino intellectu quadrare, ut perinde idem quod Deus intelligit intelligere, et omniſcii eſſe videamur.

Art. 36. *De ratione intellectus creati, ut ſit finitus*] Itaque ſi per impoſſibile Deus alicui creaturae intellectum infinitum daret, non daret, ſed retineret ſibi. Quamdiu enim limes non eſt, tamdiu ſolus Deus agnoſcitur; voluntas vero noſtra infinita quodammodo eſt; et recte *quodammodo*, non enim abſolute; cum voluntas abſolute infinita neceſſario ſupponat intellectum infinitum.

Art. 37. *Ac ſumma quaedam in homine perfectio eſt*] Innuit Philoſophus, quod ſi voluntas noſtra non pateret tam late, nec extendere ſe ultra intellectum noſtrum poſſet, voluntatem noſtram non fore liberam; et merito. Cum enim intellectus noſter reſtrictus et finitus ſit, ſi voluntas non pateret latius, eſſet etiam ipſa reſtricta; nihil autem tam libertati officit quam reſtrictio. Etiamſi vero voluntas divina non exſerat ſe ultra intellectum ſuum, non poteſt tamen ideo aut reſtricta aut minus libera cogitari, eo quod intellectus ille pariter ſit infinitus.

Art. 38. *Et quamvis tantum Deus perſpicacitatem etc.*] Unus ſupererat modus, quo voluntas creata, id eſt, cum intellectu limitato conjugata, efferatur extra aleam errandi: ſi nimirum tanta perſpicacitas

a Deo indita ſit iſti intellectui, ut quotieſcunque ad limites ſuos appellit, eos ſtatim agnoſcat clariſſime. Tunc enim voluntas nunquam eos poterit tranſilire, cum impoſſibile ſit de eo judicare aliquid, quod clariſſime agnoſcimus nos ignorare. Si quae ergo rationalis creatura hoc lumine gaudeat, cum ſumma libertate evaſit omne erroris periculum; poteſt enim talis voluntas abſolute ſe efferre ultra intellectum (in quo conſiſtit eſſentialis creaturae libertas), ſed nunquam ſe efferet, et conſtantiſſime nolet unquam ſe efferre ultra limites, quos intellectus ſibi circumdatos habet.

*Nec quemadmodum inter nos homines etc.*] Poterat ergo Deus nos, ſi voluiſſet, erroribus omnibus eripere, ſi tale lumen intellectui noſtro indidiſſet (et fors eripiet nos aliquando, et eximet erroribus tali pacto ut pie Chriſtiani). Id tamen non fecit; cur non? Nihil reſpondeo, per legem tertiam ſupra art. 28. Non, inquam, arrogo mihi participium conſiliorum Dei.

Art. 40. *Quod non ante etc. praeordinatum*] Reſpectu noſtrum praeſcientia et praeordinatio in Deo dicuntur, nam reſpectu ipſius Dei tantum ſcire et ordinare eſt; omnia enim ſunt ei praeſentia. Quod mancâ aliqua ſimilitudine conabimur explanare. Sit ſpeculator in turri; infra viator ex hoſpitio ſuo diſcedat; e porta exeat, paulum progreſſus in latrones incidat poſt maceriam aliquam latentes. Haec omnia viatori ſucceſſiva aliaque ei ex aliis obtingunt, ſpeculatori quodammodo unum omnia et ſimul. Sic Deus omnia ſimul et videt et ordinat et exſequitur, etiam quaecunque nos ipſi agere dicimur, quando mere reſpectus fit ad ipſum Deum et non ad nos. Cum enim nos reſpicimus, praeſcit et praeordinat, et in tempore exſequitur quae praeordinaverat.

Art. 41. *Illis vero nos expediemus*] Non aliter quam nolendo nos expedire, juxta regulam ſecundam verae philoſophiae art. 26. Si enim aliter expedire nos vellemus, manifeſte in hanc regulam peccaremus, cum illa conciliatio libertatis noſtrae cum divina praeordinatione manifeſte ſupponat comprehenſionem omnipotentiae ejus. Quomodo enim et nos liberi eſſe poſſimus, et Deus nihilominus independenter a nobis actiones omnes noſtras, etiam quoad omnem earum modum poſitivum ac realem, decernere, ſtatuere, et praeordinare poſſit ac debeat (quorum illud conſcientiâ nobis notiſſimum, hoc ſcientiâ ex idea Dei

pariter notiſſimum), ille tantum novit, qui utrumque extremum hujus conciliationis, et penetrat intime, et comprehendit plene. Vide hîc incidenter, quanta ſit regularum iſtarum inter philoſophandum utilitas, quae nos tot vanis ſtudiis et ſpeculationibus, in quibus fruſtra deſudaremus, liberant. Hîc ſane obtinet illud divinum: *Magna pars ſapientiae eſt*, *quaedam* aequo animo *velle ignorare.*

Art. 42. *Sed longe aliud eſt etc.*] Aliud eſt velle errare, aliud cauſam errandi velle aut periculum. Sicut aliud eſt morbum velle (quem equidem nemo ſanae mentis vult), aliud ingluviem et vagas libidines velle, in quibus cauſa vel periculum morbi eſt; ſic ergo etiam errare certe non volumus, volumus autem ſaepe aſſentiri iis quae non abunde percipimus, quae non ſatis bene intelligimus; in quo manifeſte conſiſtit cauſa et periculum erroris.

Art. 43. *Et quamvis hoc nulla ratione probaretur, etc.*] Verum eſt, et ipſi experimur, cum clare aliquid apprehendimus, nos ſponte ferri in aſſenſum, nec poſſe dubitare quin ita faciendum ſit; jam vero id non ſolum impetu illo animi (cui forte error aliquis ſubeſſe poſſet) conſtat, ſed ratione duplici, utraque invicta. Primum quod Deus decipere non poſſit; ſecundo, quod cognitio relata ad objectum ſuum, quod naturaliter reſpicit, erroris particeps eſſe non poſſit. Vide annotata ad art. 30.

Art. 44. *Vel caſu tantum incidere in veritatem*] Quo caſu moraliter aeque turpes ſumus, ac ſi erraſſemus; nam irrefragibilis eſt haec Ethicae regula: *caſu bene facere eſt peccare, et caſu bene dicere eſt errare.* Debet enim eſſe ex ratione, quicquid apud nos boni eſt, non ex caſu.

*Sed ſane raro contingit etc.*] Cum intellectus noſter, re aliqua propoſitâ, limites ſuos clare agnoſcit, impoſſibile eſt ut voluntas illos tranſiliat, adeoque ut erret. V. g. hac propoſita: *arenae maris ſunt numero pari,* quia intellectus hîc clare agnoſcit ſuos limites ſeu ſuam ignorantiam, impoſſibile eſſe ipſi in nobis ſentimus, ut voluntas aſſentiendo diſſentiendove in rem illam propoſitam feratur. Nec aſſentiri enim, nec diſſentiri iſti propoſitioni poſſumus, quamdiu eſt in eo ſtatu, quo jam apud nos eſt.

*In hoc autem frequentiſſime erramus etc.*] Erramus igitur quia erravimus; quae quidem bona ac vera cauſa eſt, cur nunc erremus,

non autem ſimpliciter, cur erremus. Et forte Philoſophiae limites hoc egreditur, quod infra videbimus, ubi de cauſa errorum ad art. 71.

Art. 45. *Nihil in vita percipiunt ſatis recte*] Non quod vitium ſit in perceptione intellectus, ſed in relatione voluntatis, alio referentis cognitionem, quam quo illa naturaliter refertur.

*Ut nihil plane aliud quam quod clarum*] Patet hinc, quod rigoroſe et philoſophice loquendo *clara* et *diſtincta* cognitio idem ſint. Nam quae clara et non diſtincta eſt, ne quidem clara eſt abſolute loquendo, licet pro parte ſaepe admodum etiam clara ſit; ſed quod pro parte tantum clarum eſt, non eſt abſolute clarum, ſicut quod pro parte tantum rectum eſt (etiamſi enim pars illa maxima ſit), rectum eſſe non intelligitur. Sit igitur totum clarum neceſſe eſt, ſi quid abſolute clarum dicendum ſit; adeoque et diſtinctum. Similiter obſcura et confuſa cognitio juxta eandem ἀκρίβειαν eadem ſunt; quamvis enim ad confuſam notitiam etiam claritas aliqua requiratur, illa ſemper adeſt, neque ulla tam obſcura cognitio eſt, quae non habeat aliquid claritatis; imo quae non ſit clariſſima, relata ad id, ad quod ſuapte natura refertur. Obſcuritatem enim ſuam ſemper extrinſecus ſortitur a relatione voluntatis, ut ſupra annotavimus.

Art. 46. *Cum obſcuro ſuo judicio*] Judicium (id eſt, affirmatio vel negatio) pertinet ad voluntatem, ut patet ex art. 32. Quo confirmatur illud quod ante diximus, nempe obſcuritatem omnem referendam eſſe ad voluntatem, et tantum eſſe extrinſecam denominationem (ut Scholae loquuntur), dum ad cognitionem et intellectum refertur. Eſt igitur illa perceptio doloris, quamdiu ad nihil aliud refertur, clariſſima; obſcuratur vero, dum refertur a voluntate ad partem affectam tanquam ſedem vel cauſam; adeoque jam et confuſa eſt, ſeu ex clarâ obſcurâque commixta.

*Poteſt eſſe clara, quae non ſit diſtincta*] Vulgariter ſcilicet loquendo. Et merito hîc Philoſophus ſic loquitur; admonendi enim eramus magnopere, ne quam vulgo claram vocare ſolemus cognitionem, ſufficere putaremus (quam ſufficere tam perſuaſi eramus) ut ei certum et indubitatum judicium poſſet inniti.

Art. 47. *Quamvis multa clare, nihil tamen diſtincte*] Nempe vacabamus toti ſenſibus noſtris, nihil aut parum puro intellectui intenti; ſenſus autem admodum vivaces ſunt et clari, praeſertim cum illis toti

vacamus (nam alioqui omnis cognitio de ſe clariſſima eſt, ut proinde qua talis non poſſit in excellentiorem gradum elevari, niſi addictione mentis, qua ſe plus uni quam alteri cognitioni impendit); hos vero ſenſus confundebamus, referendo eos ad eorum cauſas externas, ut înfra art. 71. patebit.

Art. 48. *Vel tanquam res etc.*] Pertinent igitur haec omnia ad modos noſtrae cogitationis, omniaque aliquo horum modorum (ut res, ut affectiones, ut ſententias) cognoſcimus; et ſine modo nihil cognoſcimus. Hoc proprium eſt ſupremae mentis, ſine modo cognoſcere; illa proinde ſola cognoſcit res ut ſunt; creatura nunquam ut ſunt, ſed ſemper pro modo ſuo.

Art. 49. *Quae in mente noſtra ſedem habet*] Quatenus ſcilicet mens noſtra cum ſuprema mente communicat; non pertinent enim hae veritates aeternae ad mentem noſtram, quatenus noſtra eſt, ſeu limitata creataque, cum clariſſime intelligamus, illas nullam habere a mente noſtra dependentiam, ſed ſive haec ſit, ſive non ſit, illas perinde neceſſario eſſe, imo fuiſſe in natura, cum mens noſtra necdum eſſet. Ante enim omnem limitationem intelliguntur iſtae veritates; tunc tamen mens noſtra nondum eſſe intelligitur.

Art. 50. *Non aeque apud omnes iſto nomine dignae*] Haec v. g.: *quod longum eſt non eſt nihil*, communis notio eſt apud omnem hominem non nimis praejudiciis ſuis occoecatum. Apud multos nihilominus non eſt communis notio, nec propoſitionem illam ſatis clare et diſtincte percipiunt; unde et quidam de illa dubitant, quidam etiam abſolute falſam eſſe pronunciant.

*Quia forte adverſantur etc.*] Sicut illa communis notio, quam adferebamus modo, adverſatur praejudicatis opinionibus de vacuo.

Art. 51. *Alias vero omnes non niſi ope concurſus Dei etc.*] Aliae enim omnes ſunt limitatae; limites autem etiamſi rem finitam faciant, neceſſario tamen praeſupponunt rem infinitam. Limes enim (quod Scholae parum videntur obſervaſſe) tam neceſſario excludit aliquid, quam includat et finiat aliquid; quod fieri non poteſt ſine infinitudine. Neceſſum eſt enim, aut in limitibus ipſis hoc poſito in infinitum progredi (ſi nempe quod excluſum eſt, rurſum ſemper atque ſemper limitatum ſit), aut ſimpliciter rem illimitatam ſeu infinitam eſſe; et ſiquidem prius illud ſupponatur, equidem poſterius hoc conſequetur;

nam ablatis limitibus, res manere intelligitur utique illimitata. Ita ut majus argumentum Infinitudinis vix eſſe poſſit, quam ipſe limes ſeu finis.

Art. 52. *Non poteſt ſubſtantia primum animadverti ex hoc ſolo*] Ratio ſubſtantiae in re aliqua pertinet ad rei iſtius proprietatem; nam ſufficere ſe ſolo, vel non indigere alio ad exſiſtendum, non eſt primum attributum rei, ſed ſequitur ex attributo anteriori, puta quod cogitet, vel quod extenſa ſit; inde enim ſequitur: ergo non indiget alio ad exſiſtendum. Ex quo patet, ſubſtantiam non eſſe genus ad mentem et corpus, ſeu ad ſpiritum et corpus (ut Scholis viſum eſt), adeoque illam vocem non eſſe *abſtractam*, ut loquuntur, ſed *denominativam*. Nec refert quod utrique commune ſit, quia hoc etiam obtinet in illa voce *diverſum*, quam tamen nemo Logicorum ad genus retulerit. Ex quo ſequitur praeclarum hoc monitum, non eſſe Philoſopho agendum primo de Ente, de ſubſtantia, et ſimilibus univerſalium gradibus (ad ſummum enim ſunt proprietates, de quibus poſt agendum eſt, cum ſcilicet de Eſſentia dictum eſt; aliquando etiam merae denominatioues externae ab intellectu noſtro et ejus modis deſumptae). Primum igitur de corpore et de mente agendum erat, etiam ubi methodo ſcholaſticâ rem conficere decreverant.

Art. 53. *Praecipua proprietas, quae etc. conſtituit*] Proprietas late dicta; nam Scholae alioqui diſtinguunt inter eſſentiam et proprietatem. *Eſſentia* eſt attributum neceſſarium et primum; *proprietas*, neceſſarium et ſecundum. *Accidens* eſt attributum non neceſſarium ſed contingens ſubjecto ſuo. *Primum* vocatur illud attributum, cujus non datur ratîo per aliud attributum ejuſdem ſubjecti. Unde *rotunditas* eſt eſſentia globi, nam et neceſſaria globo eſt, et non datur ratio ejus per aliud attributum globi; facile autem *mobile* eſt proprietas globi; etiamſi enim neceſſarium ſit attributum, datur tamen ejus ratio per rotunditatem, quae eſt aliud attributum globi. *Jacere* autem *in angulo* eſt accidens globi; etiamſi enim hoc attributum etiam primum ſit in globo (non datur enim ejus ratio per aliud attributum globi), tamen non eſt neceſſarium globo, ideoque nec ad eſſentiam, nec ad proprietatem ejus pertinet. Sic etiam *extenſio* eſt eſſentia *corporis*, *diviſibilitas* eſt ejus proprietas; *dividi hîc et nunc* eſt ejus accidens. Oportet enim in ſcientiis ſemper ad eſſentiam aſcendere, ſeu ad illud attributum,

quod ita neceſſarium eſt ſubjecto, ut non ſit ratio ejus aſſignabilis per aliud attributum ſubjecti; non vero aut in accidentibus aut in proprietatibus ſubſiſtere.

Art. 54. *Nec quicquam etiam in ea eſſe fingamus*] Fit hoc nimis quam ſaepe, ut divinae ideae quaedam affingantur aut detrahantur. Quia enim Deus eſt ſumme perfectus, multi ea Deo dederunt, quibus ipſi gaudebant, aut detraxerunt quibus ipſi dolebant. Ut Poëtarum fabulae per ſummam impudentiam atque blaſphemiam Deo libidinem et nefarias voluptates adſcripſerunt; Epicurus, quod libenter curis vacaret et ſibi viveret, Deo providentiam et praeordinationem abſtulit; et ſic hodieque in ſuperſtitionibus multa ſaepe ad aliorum terriculum et ſuum quaeſtum Deo affingunt multi.

Art. 57. *Alia ſunt in rebus ipſis*] V. g. extenſio, motus, figura, quies, in corpore; cogitatio, affirmatio, etc. in mente.

*Alia vero in noſtra tantum cogitatione*] Ut color, calor, et reliquae patibiles qualitates (hae enim ſunt in ſenſu et non in rebus, quas extrinſecus denominant), item genus, ſubjectum, praedicatum, proprietas (haec enim ſunt in intellectu, et non in rebus, quas extrinſecus denominant).

Art. 59. *Quae inter ſe ſimilia ſunt*] Utimur ergo eâdem ideâ, quia inter ſe ſimilia ſunt. Proinde univerſalitas prius videatur oriri ex re ipſa, quam ex noſtra idea; res enim ante ſimiles ſunt, quam eâdem a nobis ideâ repraeſententur.

*Eodemque modo cum ſpectamus etc.*] Nota haec exempla; ſunt enim pulchriora longe ac illuſtriora quam quibus Scholae utuntur, quibus hîc ſemper *animal* (genus), *homo* (ſpecies), *rationale* (differentia), *riſibile* (proprietas), *albus* (accidens). Sed aliquid dandum eſt Scholis; quaerunt enim pro Categoriis et Syllogiſmis ſuis apud rudem diſcipulum potius brevia et e trivio ac ſenſibus petita, longoque uſu jam recepta, quam vera exempla. Et alioquin ipſi ſaepe fatentur ſaepe, exempla ſua fere ſimilitudinaria eſſe, et in his veritatem non requiri, ſed tantum apparentiam.

*Hoc erit in iis accidens*] Accidens duplex eſt: internum (quod eſt modus ſui ſubjecti; ut motus aut quies corporis) et externum (quod etiam extrinſeca denominatio in Scholis appellatur; ut *palpari*, reſpectu corporis duri, *permeari*, reſpectu corporis fluidi). Fiuntque

accidentia proprietates dum potentialiter exprimuntur; ut *mobile* eft proprietas corporis, *palpabile* eft proprietas corporis duri, *permeabile*, fluidi. Ex quo patet, etiam inter proprietates alias internas effe, alias quodammodo externas. Sed hoc bene notandum eft, extrinfecam denominationem femper aliquid etiam interni importare, licet non tam principaliter; ut *palpabile* aut *palpari*, licet principaliter importet fenfum aliquem, tamen fecundario importat certam conftitutionem ipfius corporis, unde contingat ipfum palpabile effe. Senfus ille externus eft fubjecto ad quod ibi comparatur, difpofitio feu conftitutio illa interna. Sic etiam *cognofcibile* et *conceptibile* denominatio externa eft, quatenus cognitionem dicit; quatenus vero condicionem aliquam (id eft affectionem) ob quam fubjectum cognofcibile fit, importat, eatenus etiam aliquid internum dicit. Quod bene notandum eft; ufui enim nobis erit infra ubi de fenfibus agetur.

Art. 60. *Et has percipimus a fe mutuo realiter diftinctas ex hoc folo*] Aegre ferunt Scholae hunc modum procedendi noftri Philofophi, qui ex intellectu noftro et modis noftris intelligendi (ideis) multa concludit de rebus ipfis (ut fupra exfiftentiam Dei ad art. 14. et feqq., et parte 2. divifibilitatem corporis in infinitum ad art. 20., et alia alibi, tum vero etiam hîc diftinctionem rerum ab intellectu noftro deducit). Perverfum hoc effe dicunt, res ab intellectu noftro fufpendere, cum potius contra intellectus nofter et cognitio a rebus ipfis pendere debeat. Sed facilis eft refponfio. Etiamfi enim res extra nos non pendeant ab intellectu noftro, nec ideo fic funt, quia fic effe a nobis intelliguntur; tamen faepe ex intellectu et modo intelligendi noftro ducitur efficax et invictum argumentum, quo res ipfas fic aut aliter fe habere concludamus. Imprimis enim impoffibile eft, ut quod cognitione noftra attingimus (id eft, clare diftincteque percipimus), id nihil fit; itaque femper hoc eft aliquid, et hoc ipfo etiam effe poffe clariffime intelligitur. Proinde (quod hic proxime ad rem noftram facit), fi poffumus unam rem fine alia cognofcere, neceffum eft, ut fine alia illa fit aliquid, adeoque et fine alia illa exfiftere poffit, id eft, realiter diftincta fit ab illa. Nota enim, diftinctionem pertinere ad potentias (quod ipfi non videntur fatis obfervaffe); diftingui enim nihil aliud eft, quam poffe effe fine alio, a quo diftingui dicitur; jam autem poffe feu potentia hoc ipfo eft quo effe poteft (ut adhuc

ante annotatum nobis fuit), et hoc ipfo effe poteft, quo cognofci poteft. Quamvis autem in Theoria difficultatem moveant contra hoc Auctoris noftri principium: *quod cognofcere poffum fine alio, effe poteft fine alio;* Praxi tamen femper obfequuntur, quin imo latius faepe extendunt quam par eft, exiftimantes enim fubinde realiter diftingui, quod fine altero confiderari exiftimarique poteft, etiamfi fine illo cognofci non poffit. Nec enim alia de caufa atomos et lineas et fuperficies tanquam partes in corpore conftituerunt, quam quod obfervaverint, poffe fe ifta confiderare abftractim a corpore, quod non effe fatis animadvertere etiam debuerant ad diftinctionem, fed ulterius requiri, ut fine alio cognofci poffit.

*Ac etiamfi fupponamus Deum*] Unio feu conjunctio non tollit diverfitatem; clarum eft; fed cavendum ab ifto nomine unionis, quod unitatem aliquam fonare videtur. Erramus autem faepe propter nomina noftra, vide infra art. 74.

Art. 61. *Non poffumus vice verfa modum intelligere fine ipfa*] Sequitur quidem: *poffum A fine B intelligere, ergo poteft A fine B effe*, ut modo art. 60. videbamus; fed difficultas eft, ut apparet, non levis, an eodem modo fequatur: *non poffum intelligere B fine A, ergo B non poteft effe fine A.* Si enim ex data confequentia: *poffim A concipere fine B, ergo A poteft effe fine B*, velimus elicere hanc confequentiam: *ergo fi non poffum A concipere fine B, A non poteft effe fine B*, male et captiofe argumentabimur, committentes fallaciam antecedentis (ut Logici vocaverunt); perinde facientes, ac fi ex data confequentia: *cogitat, ergo eft*, inferremus: *non cogitat, ergo non eft.* Contra enim faciendum erat (ut Logici demonftrant): *fi cogitat, eft; ergo, fi non eft, non cogitat;* et fimiliter, *fi A poteft concipi fine B, A poteft effe fine B; ergo, fi A non poteft effe fine B, A non poteft concipi fine B.* Haec enim eft legitima deductio, non vero illa fuperior. Oportet igitur videre, num axioma illud per fe fubfiftat: *quod non poteft concipi fine alio, non poteft effe fine alio*, independenter fcilicet ab illo: *quod poteft concipi fine alio, poteft effe fine alio*, quod axioma ad art. 60. fatis demonftravimus. Et imprimis hic difficultas occurrit, quia non, ficut quod concipimus, eft, ita quod non concipimus, non eft. Nec enim hoc perfuadere nobis poffumus, nifi intellectum noftrum infinitum effe crediderimus; et alioqui multa funt, quae co-

gitatione nostra secundum se non attingimus (id est, clare distincteque non cognoscimus), ut satis patet ex annotatis ad art. 25. Igitur etiamsi unum sine alio concipere non possimus, non inde statim sequetur, unum illud sine hoc alio esse non posse. Adeoque fundamentum modalis distinctionis (quae in hoc cardine vertitur) infirmatum esse videbitur. Huic difficultati sic respondeo, inter modaliter distincta, nos modum agnoscere non mere privatione aut negatione cognitionis, qua non cognoscamus illum sine suo modificato, sed positivâ cognitione, qua clarissime videmus, illum sicut sine modificato suo concipi non potest a nobis, ita nec sine illo in se ipso esse posse. V. g. non tantum intelligimus, nos motum sine extensione seu longitudine aliqua cogitare non posse, sed simul etiam clarissime animadvertimus, sicut illum sine extensione excogitare non possumus, ita ipsum sine extensione seu spatio etiam esse non posse; in hac autem claritate nostra falli non possumus per art. 30. (Ita sc. ut in agnitione distinctionis modalis non tantum concurrat conscientia, qua conscii nobis sumus impotentiae nostrae ad cognoscendum modum sine suo modificato, sed insuper communis quaedam notio (in qua falli non possumus juxta art. 50.), qua clarissime videamus, modum illum sine suo modificato esse non posse. V. g. proposito motu et spatio, non tantum conscii nobis sumus, non posse nos motum sine spatio cognoscere, sed intervenit etiam haec communis notio: *motus sine longitudine, super qua fiat, esse non potest;* quae non minus communis notio est quam *duo et tria quinque esse.* Conscientia igitur illius impotentiae invalidum argumentum suppeditat, sed communis illa notio firmissimum.)

*Ut figura et motus, etc.*] Forte existimet aliquis, etiam inter haec exempla reponendum esse sensum, comparatione facta ad corpus. Nam lumen v. g. non possumus cogitare sine extensione, possumus autem extensionem cogitare sine lumine; videbitur ergo lumen modus corporis seu extensionis esse per definitionem modi hic implicite traditam. Huic objectioni occurrere incepi in annotatis ad art. 59. circa finem. Lumen enim (idem est de reliquis sensibus, seu patibilibus qualitatibus, ut in Scholis vocantur) spectat etiam ad extrinsecas denominationes; unde duo dicit, alterum quidem extrinsecum iis quae luminosa appellantur, nempe certam illam affectionem nostram seu speciem, qua cum perfundimur, lumen videre nos dicimus; alterum

autem intrinfecum, nempe condicionem illam affectionemque corporis, quae in ipfo requiritur, ut illum fenfum fpeciemque luminis in nobis excitet. Quoad pofteriorem illam partem, lumen ficut fine corpore cogitare non poteft, ita et revera corporis etiam modus eft; fed quoad priorem partem, quam principaliter dicit (hinc enim extrinfeca denominatio eft), et poteft effe fine corpore, et etiam cogitari.

*Pofterior vero etc.*] Haec pofterior diftinctio modalis non famofe intelligitur. Itaque dum fimpliciter de diftinctione modali loquimur, folet illa tantum intelligi, quae eft inter modum et modificatum ejus, id eft, inter id quod fine alio concipi non poteft, et id quod tamen fine ipfo concipi poteft.

Art. 62. *Vel inter duo talia attributa*] Scilicet inter duo attributa, quae folâ confideratione inter fe differunt, qualia funt *acclive* et *declive* in monte. Cum enim haec unum revera idemque fint attributum, differunt tamen confideratione noftrâ; nam acclive afcendenti fuperandum eft, defcendenti per declive iter eft; alioqui una eademque linea funt a pede montis ad vertîcem ducta, ficut eadem via eft Leidâ Hagam, et Hagâ Leidam. Operae pretium igitur videtur, ut dicamus in quo confiftat ifta confideratio; circa illam enim multi committuntur errores, dum facile exiftimant, ea quae confideratione multum differunt, revera inter fe diverfa effe et realiter diftincta. Ac fi exiftimarent, viam Haga Leidam aliam effe a via quae Leida Hagam ducit, eo quod illa Hagienfi Leidam petenti, haec Leidenfi Hagam petenti tenenda fit, et non contra. Equidem res ifta exemplis, et notis quibufdam, quibus inter loquendum utimur, felicius longe quam definitione aliqua logica clarefcit; res enim illae, quas non idealiter tantum, fed formaliter in nobis ipfis habemus, non indigent nifi agnitione mentis, et admonitione per notas et exempla, ut agnofcat impendatque fe iis, quae aliquando ipfamet fponte fua exercet. Exempla confiderationis jam aliquot attulimus; quibus et hoc adde, cum inter *profundum*, *altum*, et *craffum*, itemque inter *longum* et *latum*, etc. diftinguimus, dicentes v. g. mare naviganti profundum effe, urinatori altum, et fi ex adverfo fpectetur, craffum. Notae vero confiderationis funt *ut*, *quatenus*, *in quantum*, *qua*, etc.; his enim vocibus utimur, dum confideratione noftrâ quaedam diftinguimus. V. g. *longum qua longum* non habet latera; item moenia

ſunt contra hoſtem, ſed *moenia ut declivia* non ſunt contra hoſtem; *mons quatenus declivis* non difficulter ambulatur, etc. Hinc etiam ratione ſeu conſideratione diſtinguentes quaedam, dicimur *praeſcindere* et *abſtrahere* (unde etiam *praeciſe*, et conceptus *praeciſivus*, vulgo et in Scholis nota ſunt). V. g. cum dicimus: *longum qua ſic non habet latera*, praeſcindimus ſeu abſtrahimus longitudinem a latitudine: itemque *moenia quatenus declivia non faciunt contra hoſtem*, abſtrahimus declivitatem ab acclivitate, et ita porro. Bene autem hîc obſervandum eſt illud Philoſophorum axioma: *Abſtrahentium non eſt mendacium;* id eſt, abſtrahentes verſantur circa rem veram, quae revera in natura rerum ſubſiſtit, etiam non ſic limitata prout ad conſiderationem pertinet. Unde nec lineae, nec puncta, nec ſuperficies in corpore ſunt res fictae, ſed res veriſſimae, abſtractae tamen a corpore, et non tali pacto ut a conſideratione limitatae ſunt, exſiſtere valentes. Saepe quae conſideratione differunt, diverſos uſus habent; ut acclive moeniorum contra hoſtes, declive pro nobis et non contra illos facit; longum in ulna ad metiendum facit, latitudo huc non pertinet; punctum inter ſphaeram et planum ad tactum facit, linea, ſuperficies, craſſities, huc non conferunt. Quod cum ſit, magnopere cavendus eſt error; facile enim putantur diverſa eſſe realiter quae diverſos realiter praebent uſus, et in his frequentiſſime populus atque Scholae decipiuntur. Hunc igitur errorem ut caveamus, habendum hoc eſt in memoria, nunquam eſſe diſtinctionem realem, quando unum ſine altero cogitare non poſſumus. Intereſt enim multum inter cogitationem et conſiderationem; et ſaepe quidem, quae a mutuis conſiderationibus ſecludere poſſumus, non poſſumus a mutuo conceptu ſecludere; ut in exemplis jam allegatis manifeſtum eſt.

*Memini quidem me alibi*] Merito; nam diſtinctio rationis ſemper reſpicit aliquam diſtinctionem modalem. Oportet enim fundamentum eſſe in re hujus diſtinctionis (unde et Scholae diſtinguunt inter diſtinctionem rationis ratiocinatae, et diſtinctionem rationis ratiocinantis: quod illa cum fundamento in re ſit, haec ſine tali fundamento); hoc autem fundamentum ſumitur ex aliqua diſtinctione modali. Sic acclive atque declive diſtinguimus penes aſcenſum et deſcenſum; puncta, lineas, ſuperficies, etc. penes tactum terminationemque corporis, quae ſine motu non intelliguntur. Atque ita de reliquis ſemper

mentem ad modos aliquos reales reflectimus, quotiescunque distinctionem rationis ratiocinatae exercemus, seu quaedam consideratione nostra distinguimus.

Art. 63. *Ut constituentes naturas etc.*] Attributum essentiale seu essentia dicitur *constituere suum subjectum;* sic globum constituit materia et certa terminatio seu figura, quae rotunditas vocari potest; proprie tamen attributum essentiale ultimum, et quod a nullo alio essentiali supponitur, dicitur *constituere naturam subjecti*, et quia simul subjectum diversum facit ab aliis, vocatur in Scholis *differentia constitutiva.* Sic rotunditas proprie globum constituit; non ita materia, quia haec prior est; et prius est, extensum esse (quod ad materiam spectat), quam hoc aut illo modo terminatum esse, quod ad rotunditatem pertinet. Contingit autem subinde, ut attributum essentiale ultimum solum sit, et non habeat aliud se prius, adeoque et unicum sit; quo casu res constituta, *essentialiter simplex* dicitur: ut corpus, item mens essentialiter simplicia sunt; corpus enim unicum hoc habet attributum essentiale, extensum, et similiter unica essentia mentis est, nempe cogitatio. Ponunt quidem Logici etiam Ens et Substantiam inter attributa essentialia horum subjectorum; quod in illis forte reprehendi non debet; non enim considerant hasce res propter se, sed quatenus serviunt formulis quibusdam conficiendis, quae ipsis instrumenta sciendi vocantur. Hîc vero, ubi res eas secundum se consideramus, nihil tale admittendum est; nam revera et Ens et Substantia ipso corpore atque mente posteriora sunt; ut proinde nihil essentiale sit in corpore praeter extensionem, nihil in mente praeter cogitationem. Ex quo et illud notabile sequitur, corpus non proprie extensum (seu extensionem) *habere* dici, sed extensionem proprie dici debere; cum enim praeter extensionem nihil habeat, jam non tam habere extensionem, quam ipsam extensionem *esse* dicendum est. Et idem est de cogitatione respectu mentis; mens enim, cum rigide loquendum est, non tam cogitat, quam est ipsamet cogitatio.

*Nonnulla enim est difficultas in abstrahenda etc.*] Quando duo aliqua, quae consideratione differunt, naturâ simul sunt, tunc utrumvis ab altero abstrahi facile potest; ut declivitas ab acclivitate, et contra; profunditas ab altitudine, et contra. Quando vero alterum eorum prius, alterum natura posterius est, tunc prius quidem abstrahi a posteriori

poteſt, ſed non contra; ut eſſentia abſtrahitur a proprietatibus, non proprietates item ab eſſentia; et extenſio ſeu corpus abſtrahi poteſt a mobilitate ſeu diviſibilitate, ſed haec non poteſt abſtrahi a corpore. Participat enim haec rationis diſtinctio de natura diſtinctionis modalis, ubi modificatum ſeparari quidem poteſt a modo, ſed non modus a modificato. Quod autem ad praeſens negotium facit, ſubſtantia (ut patet art. 52.) poſterior eſt corpore atque mente; unde haec quidem poſſunt abſtrahi a ratione ſubſtantiae, ſed ratio ſubſtantiae non niſi admodum confuſe abſtrahi poteſt ab illis. Quod ut plane intelligas, nota: cum eorum quae conſideratione differunt, alterum prius, alterum poſterius eſt; ſi quidem quod poſterius eſt, ſimul etiam latius pateat; tunc poſterius illud, non quidem ratione ſui, ſed ratione tantum latitudinis ſuae abſtrahi confuſe poſſe a priori. Nam quatenus latius eſt, eatenus etiam prius eſt (cum prius ſit eſſe quam reſtringi); itaque ſecundum ſe, ſicut poſterius, ita non abſtrahitur, ſecundum latitudinem ſuum, ſicut prius eſt, ita etiam abſtrahitur; ſed hoc tantum eſt abſtrahi ſecundum quid, ſeu confuſe. Sic ergo ratio ſubſtantiae, ſic ratio entis, ratio diverſi, cogitabilis, etc., ſecundum ſe non abſtrahuntur a corpore et mente, ſed tantum per accidens, ſecundum latitudinem ſuam; quae proinde abſtractio admodum obſcura et confuſa eſt. Vide ergo, quibus conſiderationibus Scholae hactenus ita fuerint ineſcatae.

Art. *66. Quam id praeciſe quod in perceptione noſtra*] In perceptione autem noſtra, quantum ad ſenſus et affectus et appetitus pertinet, nihil aliud quam ipſa perceptio continetur, cum argumento cauſae a qua perceptio iſta extrinſecus ſuſcitatur. Sicut ergo picturae quaedam ſunt, quae ſe ipſas tantum repraeſentant (ut maeandri in veſtibus acu pictis, labyrinthi, laquei, et corollae circa margines ſcripturarum), arguunt tamen auctorem ſuum, licet hunc minime repraeſentent; ſic etiam ſenſus noſtri, cum perceptiones quaedam ſint, nihil praeter ſe ipſos nobis repraeſentant; arguunt tamen extenſionem extra nos, et hanc certo modo affectam, certiſque modis ſuis, qui in eam cadere poſſunt, inſtructam, ut auctorem et cauſam.

*Saltem circa ſenſus*] Non enim difficulter obſervatur circa affectus et appetitus; perceptionem enim illam ſeu ſpeciem, qua praedita ſumus dum iraſcimur, timemus, laetamur, aut aliis affectibus perturbamur, itemque dum eſurimus, ſitimus, et ſimilibus appetitibus

ferimur, non ſolemus in externam cauſam conjicere, putantes eam hac ſpecie infectam et quaſi pictam eſſe. Nemo enim tam ſtolidus eſt, ut, cum inimico occurrente vel iraſcitur vel timet, putet inimicum iſta ſpecie timoris aut irae infectum, quam in ſe conjiciat (ſicut putat ſolem infectum iſta ſpecie ſplendoris, quam in oculos noſtros conjicit); ſed inimicum conſiderat tantum ut cauſam (quae conſideratio vera eſt) iſtarum ſuarum paſſionum, irae ſcilicet vel timoris. Similiter cum maritimis in locis fame corripimur, non putamus, ipſum mare illa ſpecie famis imbutum eſſe, quam extra ſe diffundat, ac in nos et ventriculum noſtrum impingat.

*Idque ob conſuetudinem ita judicandi, tam clare etc.*] Magna eſt facilitas voluntatis referentis claram et diſtinctam cognitionem ad id, ad quod ipſa naturaliter refertur. Hinc omnis ſcientia, cum jam poſſidetur, incredibilem aliquam habet facilitatem, cujus nobis non ſine magna jucunditate (praeſertim cum ſcientiam aliquam primum adipiſcimur) conſcii ſumus. Cum vero quaqua de cauſa voluntas noſtra cognitionem noſtram retulit ad aliquid, ad quod ipſa naturaliter non refertur; adeoque errare incepit; ubi relationem iſtam frequentat et in conſuetudinem trahit; oritur inde habitus etiam atque facilitas (non ſpiritualis illa et menti propria, de qua ante, ſed corporalis quaedam et a corpore dependens). Cum igitur harum facilitatum quaedam ſimilitudo ſit, facile contingit ut temere confundamus illas, et aliam pro alia habeamus, aut ambas eodem gradu dignemur (maxime enim propter ſimilitudines decipimur, ut mox oſtendemus, ubi de cauſa errorum); hinc igitur fit, ut in quibus ſaepe et ſaepius jam erravimus, ea aequiparemus his quae quam optime ſcimus; par enim in utroque facilitas referendi cognitionem ad objectum (licet facilitas prorſus alterius rationis). Sic vulgus aequiparat errorem, quo exiſtimat majorem v. g. cingulum majorem indicare civitatem cingulo iſto contentam, cum ſcientia, qua novit duo et tria eſſe quinque, aut quid ſimile; nam relatio quae fit in iſto errore, per conſuetudinem incepit eſſe tam facilis, quam relatio quae eſt in hac ſcientia, per naturam facilis ſit. Hinc ſuſpectatio clarae etiam atque diſtinctae cognitionis; confundentes enim illam cum facili per conſuetudinem cognitione, ſicut hanc ſuſpectam merito habent, ſic non mirum, ſi hac ſtante confuſione, etiam illi diffidant. Admoneris hic graviter, ut caveas

tibi a conſuetudine, iiſque omnibus quibus aſſentiris quia tam conſuetus es.

Art. 67. *Sed ut in manu aut in pede, etc.*] Dolorem enim non ſolemus adſcribere aut cultro ſecanti, aut igni adurenti, etc. (ſicut tamen lumen et colores et ſonos, etc.), ac ſi haec iſta ſpecie ſint infecta, ſed reponimus in parte aliqua noſtri corporis, vulneratâ vel uſtâ, eamque quaſi hac ſpecie imbuta ſit conſideramus; idem eſt de titillatione. Hi ergo ſunt gradus earum, quae nobis occaſione corporis obveniunt, perceptionum: Species viſibiles, audibiles, etc. jactamus extra nos extraque corpus noſtrum in cauſas externas, quas putamus illis ſpeciebus depictas quaſi atque infectas eſſe; hic primus gradus. Secundus autem gradus eſt doloris et titillationis, quas ſpecies quidem non ita longe extra nos jactavimus, ſed ad corpus noſtrum certamve ejus partem retraximus, putantes hanc affectam eſſe, ſeu in hac reſidere ſpeciem illam doloris aut titillationis. Tertius denique gradus eſt paſſionum et famis atque ſitis, quas nobis ipſis reſervavimus; neque enim iraſcentes v. g. putamus ſpeciem iſtam qua tunc praediti ſumus, aut ad eum qui nos in iram concitavit, aut ad partem aliquam noſtri corporis pertinere (quamvis enim cor in iſtis paſſionibus certo modo afficiatur, hanc tamen affectionem potius ad ſenſum doloris vel commoditatis alicujus referimus, non autem ad ipſam paſſionem), ſed hanc totam reſervamus nobis, putamuſque eam in animo totam conſummari et abſolvi Quod et verum eſt, neque in hoc tertio gradu, quoad hoc, error aliquis eſt (etiamſi alius quidam error hîc ſit, quod confundere paſſiones noſtras ſoleamus cum certis animi inclinationibus ac propenſionibus ad agendum vel non agendum, quibus inter paſſiones illas urgeri nos conſcii nobis ſumus; qui error a nobis detectus eſt in dictatis noſtris Ethicis Tract. 4. de Paſſionibus; eſtque error admodum pernicioſus, ac totius Ethices everſivus; ſicut error ille circa ſenſus in primo et ſecundo gradu, totam Phyſicam evertit; vide ſis dictata iſta). Hîc inquirendum reſtaret, quae ſit ratio diverſitatis in iſtis gradibus; et cur, cum omnes iſtae perceptiones ad nos pertineant, quaſdam earum in res externas jactaverimus, quaſdam in corpus noſtrum, et quaſdam denique nobis ipſis reſervaverimus. Nec ſatiſfaceret qui diceret, errorem eſſe multiplicem et ſibi diſſentaneum; ſcientiam vero unam et ſibi ſemper conformem; nam quamvis hoc

verum ſit, quaerenda tamen eſt cauſa aliqua iſtius conformitatis in errore noſtro, et cur non quidam lumen v. g. tribuant corpori ſuo aut oculis, quidam dolorem tribuant cultro aut igni, etc., ſed omnes uniformiter mortales, et lumen ſoli, et dolorem ſuis corporibus tribuant. Sed quia de his pluſcula ſunt in dictatis meis de Metaphyſica Peripateticorum, ad titulum de propenſione humanae mentis ad modos cogitationum ſuarum affingendum rebus cogitatis, hinc ad illa lectorem remitto.

Art. 68. *Diligentiſſime eſt advertendum*] Ita eſt; et tu art. hunc cum ſequenti ſaepe et ſaepius revolve; ex ignorantia eorum quae hic dicuntur, totius Phyſicae in Scholis ruina eſt.

*Cum tantummodo ut ſenſus ſive cogitationes ſpectantur*] Cum ſenſu colorem, lumen, etc. percipimus, tunc certo modo affecti ſumus, ſeu certam ſpeciem obverſari nobis in mente noſtra experimur; quae quamdiu ut ibi tantum exſiſtens ſpectatur, clariſſima nobis eſt, intelligimuſque planiſſime, falli nos non poſſe, quamdiu ſic tantum conſideratur. Neque id mirum; nam hoc commune eſt omnibus noſtris perceptionibus, ut quamdiu tantum contemplamur eas, nihilque ipſis ſimile extra nos eſſe affirmamus aut negamus, falli non poſſimus, juxta art. 13.

*Cum autem quaedam eſſe judicantur extra mentem noſtram etc.*] Hoc intereſt inter ideas et ſpecies, quod referendo ideas ad res extra mentem noſtram exſiſtentes vel exſiſtere potentes, intelligere clare poſſimus quaenam res ibi ſint, vel eſſe poſſint, ſeu poſſimus de ipſis ut extra nos conſtitutis proprietates aliquas demonſtrare; ſpeciem vero referentes ad res extra mentem noſtram poſitas, nullo plane modo intelligere poſſimus, quaenam res ſint, ſeu nullas de iis demonſtrare proprietates. Quod hic in colore, in lumine, ſimilibuſque vulgo vocatis patibilibus qualitatibus, uſu venit; cum enim eſſe extra nos ſupponuntur, nihil profecto earum intelligitur; unde ſicut montem ſine valle nihil eſſe ſtatuimus, quia mentem eo convertentes nihil videre nos poſſe obſervamus, ſic etiam lumen atque colores, cum extra nos poſita fuerint fictione mentis, et relatione voluntatis errantis, nihil eſſe planiſſime intelliguntur. Unde nec proprietates ullas de ipſis ibi exſiſtentibus demonſtrare poſſumus (quod eſt maximum argumentum rei nullius, et non ideâ nobis repraeſentari ſed ſpecie;

ex idea enim, feu perceptione rei extra nos pofitae, femper fequuntur aliquae proprietates). Et quamvis in Scholis *difgregare vifum* et *congregare vifum* datae fint albedini atque nigredini tanquam proprietates earum refpective, tamen hae deduci intelligibiliter ex naturis earum non poffunt, quamdiu tantum ut tales fpecies extra nos pofitae effe fupponuntur; fed tantum fi motus aliquis pupillae, quo illa aut contrahitur aut dilatatur (ut contrahi eam, dum per nivem ambulamus, dilatari, dum per obfcuriora loca, ipfo fenfu comitantium manifeftum eft), intelligatur, qui motus plane alterius naturae quam ifta fpecies eft. Non fufficit ergo verbo fic affignare albedini et nigredini iftas proprietates; deducendae erant intelligibiliter ex naturis et intimâ effentiâ earum; quod nunquam facient Scholae, quamdiu fupponent, albedinem et nigredinem effe extra nos illas ipfas fpecies, quibus fe ingerunt menti noftrae. Unde et qui inter eos magis ingenuî funt, fatentur fe eas proprietates albedinis atque nigredinis tantum experientiâ didiciffe, nullatenus vero poffe fe eas ex naturis iftorum fubjectorum deducere.

*Si tamen examinet quidnam fit, etc.*] Nemo hominum eft, qui non aliquando naturae inftinctu id examinet; unde et idiotas videas, qui a fcholafticis Philofophis, quos plus quam par eft fapere exiftimant, petant quid fit ipfum lumen in fe, quid fint ipfi colores in fe. Intelligere fe fatis dicunt, quid fint prout videntur et oculis apprehenduntur, fed ignorare fe profundiffime, quid in fe ipfis extra nos ifta fint; lumine naturae fuae per dilucida illa intervalla clariffime edocti, non poffe lumen et colores fub tali fpecie extra fe effe, fub qua incurrunt in fenfum, ac proinde debere aliquid aliud in feipfis effe, quam fint in fpecie fua. Et certe Scholae, putantes illas qualitates fub tali fpecie extra nos effe, fub qua nos afficiunt, fi confentanea fibi ipfis ftatuere velint, nihil habent cur quaerant quid fit lumen, calor, color, etc.; fciunt enim jam hoc optime. Nihilominus non defiftunt nobis definire: *lumen eft actus perfpicui ut perfpicuum eft; color eft terminatio perfpicui*, etc., et fimiles definitiones, in quibus praeter conceptus logicos nihil eft; adeoque facile fibi ipfis contradicunt, dum et nihil effe praeter fpeciem ifta exiftimant, et tamen ad alia femper quaedam conantur referre.

Art. 69. *Philofophi enim alios quofdam motus etc.*] Nempe alte-

rationem, generationem, corruptionem, illuminationem, etc.; hos enim omnes a motu locali diſtinctos eſſe voluerunt. Nos infra parte 3. et 4. clariſſime videbimus, hos omnes motus ad localem pertinere.

*Longe evidentius agnoſcimus, quid ſit in eo eſſe figuratum, quam quid ſit eſſe coloratum*] Nimirum eſſe figuratum aliquid eſt in illo; eſſe coloratum nihil eſt in illo, ſed tantum externa denominatio. Sicuti cum in tenebris errabundi in poſtem forte oculo incurrimus, longe evidentius agnoſcimus, quid extra nos ſit illa alliſio, quam quid ſcintillae, coloreſque ſcintillis illis ſuccedentes, primo vividi (puniceus, ruber, flavus), deinde atriores (viridis, violaceus, coeruleus). Imo agnoſcimus, et ſatis jam omnino perſuaſi ſumus, ſcintillas illas atque colores nihil eſſe extra noſtram apparentîam, motum autem oculi in poſtem clariſſime intelligimus aliquid extra noſtram apparentiam eſſe. Quo quidem argumento ſi nondum ſatis a priori, jam certe a poſteriori ſatis convincimur, lumen atque colores extra apparentiam noſtram nihil eſſe; cum enim ſimiliter ab igne vibrari oculus noſter poſſit (ut quem ipſo ſenſu, celerrime particulas ſuas horſum vorſum torquere deprehendimus), non eſt cur ſplendorem illum, quo in praeſentia ejus perfundimur, extra apparentiam noſtram efferamus; et ſimiliter cum corpora opaca motum iſtius ignis facile, ſed mollius atque lenius repercutere queant, non eſt cur colores, quibus ipſis opacis, et igne (velut ſole, candela, etc.) praeſentibus perfundimur, extra apparentiam noſtram conſtituamus.

Art. 70. *Sentiri vel intelligi*] Bene et caute; vix enim haec ſenſu percipimus, et in his percipiendis mens noſtra plerumque utitur intellectu puro, convertitque ſe ad ideas ſibi innatas. V. g. circulum, quem occaſione certae figurae atramento delineatae in charta mens apprehendit, ſenſus ei non ſuggeſſit; nam quod in charta delineatum eſt, multis modis declinat a circulo, ut et conſpicillis, et nudis etiam oculis, cum pauliſper attendimus, ſatis obſervamus. Mens igitur hoc caſu, quia difficilius conſiderat figuram iſtam, quam ſenſus ei ſuppedat (utpote valde irregularem, varieque compoſitam), convertit ſe potius ad ideam circuli, ſimplicem et planam, et hactenus etiam faciliorem, adeoque circulum vocat quod in charta deformatum eſt; non quod ibi circulum agnoſcat, ſed quod hoc ei occaſionem praebeat, eo modo quo dictum eſt, convertendi ſe ad ideam circuli. Ob ſimilem facili-

tatem pueri in ludis ſuis libros ſuos deformantes, ubi littera O majuſcula occurrerit, tribus punctis triangulariter inditis repraeſentant ſibi faciem humanam, duobus ſuperne punctis, duobus oculis, uno infra puncto ori et naſi extremitati reſpondente; eſt autem illis facilior ſpecies illa faciei humanae, non per ſe, ſed ob uſum atque conſuetudinem.

*Facile in eum errorem delabimur*] Error fere a ſimilitudine; hinc quia occaſione corporum praeſentium mens convertit ſe ad ideas figurarum, magnitudinis, et motus, iiſdemque praeſentibus, variis ſpeciebus colorum, ſonorum, etc. perfunditur, — hac ſimilitudine inducta facile utrumque modum percipiendi ſuum ad unum revocat, et ſpeciem ſenſus etiam pro idea habet. Perſuadens nempe ſibi, ſicuti ideae certae a praeſentiis corporum ſuſcitantur, quae ideae repraeſentant res externas), ita etiam ſpecies ſenſiles (quae revera nihil extra mentem perhibent), quia ſimiliter a praeſentiis corporum extra nos poſitorum dependere videntur, aliquid etiam externum indicare ſeu repraeſentare; quod eſt ſpeciem cum idea confundere, occaſione ſumptâ, ut vidimus, ab iſta ſimilitudine cauſandi.

Art. 71. *Hîcque primam*] Prima ſcilicet in ea ſerie, quarum admonitu praejudicia noſtra corrigere, et ab erroribus in poſterum praecavere nos poſſimus. Non eſt enim abſolute prima, ſed hîc et quoad praeſens inſtitutum prima eſt.

*Mens noſtra tam arcte corpori erat alligata*]. Non poterat tam arcte alligari, niſi in poenam peccati; turpe enim eſt, quod non vacet in illa aetate, niſi ſenſibilibus rebus, nunquam ſe ad Dei ideam convertens, nunquam de obligationibus et lege divina laborans. Recte igitur Plato, qui eam ob peccatum in ergaſtulum hoc corporis, velut in carcerem detruſam eſſe dicit; ſed hactenus bene, nam quae adjungit praeterea, non probo. Interim haec cauſa et altioris indaginis eſt, et praeter inſtitutum noſtrum; quaerimus enim eas hîc modo cauſas, quae praecavendis erroribus in poſterum uſui eſſe poſſint.

*Necdum ipſas ad quicquam extra ſe poſitum referebat*] Tres ſtatus ſunt humanae mentis. Primus eſt ſtatus ſtuporis, et is pertinet ad infantiam hominis. Secundus eſt ſtatus proterviae, et is pertinet ad pueritiam. Tertius denique eſt ſtatus diſcretionis, et is pertinet ad aetatem adultam. Quantum ad primum ſtatum, hic in eo conſiſtit,

quod mens humana nullas ſuas cogitationes referat ad aliquid extra ſe poſitum; ſed inſtar ſtupidorum, et artis pictoriae penitus imperitorum, qui in elegantiſſimis illis ſummorum pictorum adumbrationibus, quas vernacule *ſchetſe* vocamus, nihil niſi maculas temere diſperſas vident, non referentes illam ad prototypon ſeu exemplar aliquod iſtis maculis repraeſentatum, — ſic etiam mens noſtra in ſtatu ſtuporis ſui omnes ſuas perceptiones mere ut perceptiones, et non ut relatas ad rem aliquam extra ſe poſitam conſiderat. In hoc ſtupore ſumus, cum et corpora noſtra adhuc in uteris matrum incluſa ſunt, et dum etiam pridem in lucem edita; videmus enim in infante nuper nato, ſi forte manus aduratur, non retrahere manum, ſed ejulare modo, et queſtu iſto indicare dolorem ſenſumque caloris, quem ad nihil aliud refert. Secundus ſtatus in eo conſiſtit, quod mens humana omnes promiſcue ſuas perceptiones referat ad res extra ſe poſitas: cum enim ſenſus ſibi aliunde advenire deprehendit, refert illos, et omnes reliquas perceptiones, ad res extra ſe poſitas, eo modo quo in textu deinceps explicabitur; in hoc ſtatu eſſe incipimus, cum fari jam incipimus, et pueri ſimus. Tertius denique ſtatus in eo conſiſtit, quod delectu habito, quaſdam perceptiones noſtras referamus ad res extra nos poſitas, quaſdam referamus ad nos ipſos noſtramque apparentiam. V. g. ſplendorem, qui nobis oboritur praeſente ſole vel igne, referimus ad ipſum ſolem vel ignem; qui vero nobis ſuboritur dum per tenebras oculum in obvium aliquid illiſimus, referimus ad nos ipſos noſtramque apparentiam: quod cum facere incipimus, dicimur vulgo veniſſe ad *annos diſcretionis*. Et ad hunc quidem ſtatum ipſa etiam humana ſapientia pertinet. Cum enim juſte decreverimus, et iſtas quidem perceptiones, quae nobis debentur, nobis reſervaverimus (ſcilicet ſpecies noſtras), eas vero, quae referendae ſunt ad res extra nos poſitas, ad eas retulerimus (ſcilicet ideas noſtras), tunc vero ſapientes erimus; ſed ſi quid in his turbemus (quod facile propter ſuperiores noſtros ſtatus contingit), erimus quidem in ſtatu diſctetionis, ſed non in ſtatu ſapientiae; et ecce hîc diſcrimen vulgi et verorum Philoſophorum.

*Ac deinde cum corporis machinamentum, etc.*] Hic incipit ſecundus ſtatus; hactenus enim primus fuerat. Incipit autem cum tali aliquo, quod ad diſcretionem facere videtur; nempe cum mens in primo

ſtatu omnes ſuas perceptiones ad ſe referret, hic ei incipit ſuppeditari occaſio, ut referat aliquas ſuas perceptiones ad res extra ſe poſitas. Qua quidem occaſione tam male abutitur, ut cum ante omnes perceptiones ad ſe referret, jam non, habito delectu, quaſdam ad ſe, quaſdam ad alia referat, ſed ſubito ab uno extremo in aliud prorumpens, omnes ſuas perceptiones referat ad res extra ſe poſitas. Qui eſt ſtatus longe pernicioſiſſimus, et qui tota reliqua vita maxime nobis ad ſapientiam officit.

*Temere ſe contorquens*] Nam mens in pleno illo et profundo infantiae ſtupore necdum ipſa corpus ſuum movet; cum enim perceptiones ſuas necdum referat ad quidquam extra ſe poſitum, nihil eſt cur ad aſſequendam unam perceptionem, aut ad devitandam aliam corpus ſuum moveat. Adde quod et ipſa in iſto ſoporis ſui ſtatu ignara ſit iſtius ſuae energiae, quam in corpore movendo habet; quae energia qualis ſit, et quo uſque ſe extendat, non eſt hujus loci diſceptare (vide ſi vis Tract. Ethicum noſtrum de Inſpectione ſui). Corpus ergo noſtrum inſtar horologii ſeu automatis [*ſic*] (nam ſic fabricatum eſt) ſeipſum contorquebat.

*Commodum quid aſſequebatur aut fugiebat incommodum*] Hinc jam ratio aliqua colligi poterit iſtius diverſitatis, quam proponere inceperamus in annotatis ad art. 67. et inexplicatam reliqueramus. Nempe cur, cum caeteros ſenſus objectis externis tribuamus, tum vero ſenſum commodi atque incommodi ſeu doloris ad corpus noſtrum certamve ejus partem retraxerimus. Et ratio videtur hîc ſubindicari; nempe cum in infantia corpus noſtrum automatice moveretur, nunquam tamen ſine aliquo ſenſu commodi aut incommodi noſtri movebatur (ut nec etiamnum movetur, licet id aliis jam cogitationibus diſtracti ſaepe minus obſervemus); in hoc itaque puncto primum ſoluta fuit infantia noſtra, incepimuſque judicare, commodum illud atque incommodum nobis obvenire a re aliqua a nobis diverſa; ſed cum jugiter ad motum noſtri corporis ſenſus alîquis commodi vel incommodi adeſſet, non extulimus illum extra corpus noſtrum, ſed in ipſo illo reſidere judicavimus. Non perinde circa alios ſenſus affecti eramus; nam non ad quemlibet motum noſtri corporis ſenſus luminis, hujuſve aut illius coloris, ſonive, etc. nobis obverſabatur; unde non exiſtimavimus illos ſenſus mere nobis a corpore noſtro obvenire, ſed ab

aliis aliquibus corporibus, quibus proinde illum ſenſum per puerilem proterviam (mox melius explicandam) attribuimus.

*Incipiebat advertere*] Hîc initium ſecundi ſtatus ſeu pueritiae; et initium bonum, atque mens expergiſcitur, et veram aliquam notitiam induit, nempe res, quae commodum quaeque incommodum inferunt, extra ſe eſſe; principium bonum, ſed complementum peſſimum, quod in eo conſiſtit, quod non contenta mens iſtâ notitiâ, qua novit cauſas commodi atque incommodi ſui extra ſe in corpore eſſe, ipſis illis cauſis ſenſum commodi atque incommodi ſui attribuit, ac ſi hac tali ſpecie pictae quaſi infectaeque ſint. In quo primus eſt et capitalis error; nam in infantia mens non errabat (niſi forte in eo ut peccatum aliquod, ita et errorem agnoſcas, quod non aliis cogitationibus vacaret, quam iis ſolis, per quas ea ſentiebat quae corpus afficiebant). Jam ante enim art. 13. mentem noſtram quaſi in tali ſtatu collocaveramus, et clariſſime videbamus, eam quamdiu in tali ſtatu verſaretur, errare non poſſe. Primus ergo in pueritia error; et quidem hic, attribuere ſenſum commodi atque incommodi rei commodum atque incommodum nobis creanti, id eſt, corpori noſtro ejuſque partibus.

*Sed etiam ſapores, odores, etc.*] Mira humanae mentis praecipitantia (in qua conſiſtit pueritiae complementum ſeu protervia) ex notitia, qua cognoſcit res aliquas extra ſe poſitas ſenſum commodi atque incommodi in ſe creare, itemque ſenſum ſaporis, odoris, etc. (quae profecto notitia bona atque vera eſt), colligit, res illas ipſo illo ſenſu ſeu ſpecie infectas eſſe. Quod equidem fieri non poteſt ſine aliqua ipſius mentis perverſitate; nam in re ipſa ſecundum ſe conſiderata nulla eſt proportio ad talem conſequentiam; quomodo enim ſequitur: *efficit talem ſpeciem, ergo habet talem ſpeciem?* ſeu *talis ſpecies eſt ab ipſo, ergo et in ipſo?* Certe ſic in paſſionibus noſtris non argumentamur, agnoſcimuſque clariſſime, etiamſi odium forte aut timor ſit ab occurſu inimici, ipſam tamen ſpeciem illam odii et timoris non eſſe in inimico, ut ſupra adhuc notavimus. Haec igitur praecipitantia humanae mentis in primum ſuum errorem neceſſario praeſupponit aliquam ejus perverſitatem.

*Atque omnia tantum referens ad utilitatem corporis*] Notat jam aliquoties perverſitatem et malitiam originalem mentis humanae; ſub

initium art. *non aliis cogitationibus vacat, quam iis ſolis etc.;* de Deo, de rebus divinis, de obligatione ſua nihil; infra, *commodum aliquid aſſequebatur, et illi adhaerens, etc.;* philautia, fons et origo omnis peccati. Denique hîc expreſſe: *atque omnia tantum referens ad utilitatem corporis.* Quin ergo inquiramus in primam illam humanae mentis turpitudinem ac perverſitatem, a qua pendet, ut prima, illa obſervatio, qua mens humana obſervat aliquas ſuas perceptiones ſibi a rebus extra poſitis obvenire (in qua perceptione initium ſecundi ſtatus ſeu pueritiae conſtituimus); quae quidem obſervatio de ſe innocua eſt, nulla vi, nullo ne minimo quidem ad errandum invitamento praedita. Quin, inquam, diſquiramus, unde obſervatio illa tam innocua facta ſit tamen nocens, et errorum noſtrorum tam male foecunda mater. Sed et difficilis atque ardua haec inquiſitio, et non inſtituti noſtri, qui tantum philoſophicos modos evitandi errores noſtros hinc elicere conamur. Inventâ quidem primâ illâ humanae mentis labe, deteſtari quidem illam ſerio, et veniam a Deo ſupplicibus precibus, aliiſque forte modis expoſcere aut applicare nobis poſſemus; quod quidem non exigui, ſed vel maximi momenti ad praecavendos errores eſſet, conſtatque etiam experientiâ, eos Philoſophos, qui precibus ad Deum fuſis vacaverunt, et nonnullam hujus nativae labis cognitionem habuerunt (ſunt autem hi ſoli Platonici), longe prae reliquis omnibus Philoſophis ſapuiſſe. Sed quia, ut dixi, difficilis haec in Philoſophia diſquiſitio, ſuntque nobis in Chriſtianorum ſacris in promptu quaedam, quae huc pertineant, hinc ſuperſedimus intricata iſta difficultate, habebimuſque hic pro primo errore noſtro, et omnium reliquorum cauſâ, praecipitantiam illam noſtrae pueritiae, cujus ſupra meminimus.

*Eo plus aut minus rei etc.*] Ex hoc primo noſtro errore primum naſcitur puerilis quaedam rerum diſcretio; non illa quidem, in qua ſupra tertium ſtatum, ſeu adultae aetatis condicionem conſtituimus, ſed etiam quaedam, quae in pueritia noſtra fundatur, et primâ illâ praecipitantiâ. Quamvis enim mens noſtra non male colligat, plus rei eſſe in objecto, a quo ipſa plus affici poteſt, ſeu in quo ipſa plures deprehendit affectiones, cum tamen tantum ad ſenſus ſuos iſta refert, imprimis magnopere fallitur, quod hos putet eſſe rerum extra ſe poſitarum affectiones. Secundo vehementer errat, quod penes illas

affectiones ſic rebus affictas, res ipſas metiatur, exiſtimans plus eſſe realitatis in iis quae ſenſum minus afficiunt.

*Unde factum eſt ut etc.*] Jam corollaria puerilis iſtius diſcretionis, quae plerumque per totum vitam nobiſcum manent; et etiamſi ſubinde ea intellectu noſtro per veram Philoſophiae lucem retractando deleamus, adhaerent tamen neſcio quo contagio, et firmiſſime memoriae noſtrae agglutinantur; et vel ſic ſaepiſſime nobis, cum minus animadvertimus, minuſque ad rem attenti ſumus, turpiſſimorum errorum cauſae ſunt, ut patebit art. ſequenti.

*Multo plus ſubſtantiae ſeu corporeitatis*] Eſt in ſaxis et metallis aliquid plus quam in aëre vel aquâ; plus inquam in illis quietis eſt, ut patebit parte 2. art. 55., ſicut contra in aëre et aqua plus motus eſt. Sed hinc exiſtimare, plus naturae corporeae in ſaxis atque metallis quem in aëre vel aquâ eſſe, perverſiſſimum eſt (et omnes tamen in hanc cogitationem tantopere propendemus); cum natura coporis in ſola extenſione conſiſtat, quae aeque in aëre et aquâ, quam in ſaxis et metallis reperitur. Debemus igitur hunc errorem noſtrum puerili noſtrae diſcretioni, in qua ſenſus arbiter eſt majoris minoriſque realitatis objectorum. Etiamſi vero ignis etiam vehementiſſime ſenſum afficiat, non putamus tamen plus corporeitatis in flamma quam in ſaxis eſſe, ſed contra omnino propendemus ad cogitandum, eam perexiguum corporeitatis habere; quia naturam corporis ſenſibus noſtris auſcultantes repoſuimus in reſiſtentia aliqua, qua reſiſtat incurrenti, et iſta reſiſtentia ſenſum tactus ſic afficiat, ut affici eum ſcimus cum quid palpare nos dicimus. Videtur itaque flamma ſatis multum realitatis habere, quia ſenſum valide afficit, ſed exiguum corporeitatis; atque, cum hiatum in natura eſſe non poſſe, quaſi per nebulam intelligamus, hinc quod deeſſe flammae de corporeitate conſtituimus, hoc ſupplemus ei de ſpiritualitate, et bonam partem mentem eam facimus. Qui ſicut admodum ineptus atque ridiculus error eſt, ita tamen perniccioſiſſimus, confundens res materiales atque ſpirituales, ex qua confuſione non tantum omnis inſcitia, ſed etiam omnis impietas eſt.

*Quin et aërem, etc.*] Ad puerilem illam diſcretionem non tantum pertinet, quibuſdam rebus multum, quibuſdam parum attribuere, prout ſcilicet ſenſum multum aut parum afficiunt; ſed (quod extremum eſt,

et ineptiſſimum in iſta diſcretione) quibuſdam rebus omnem realitatem detrahere. Praeſertim audet hoc in Deo et in rebus ſpiritualibus; cum enim haec ſenſus noſtros abſolute non afficiant, realitas autem omnis puerili diſcretioni penes ſenſum penſiculetur, neceſſum eſt ut res ſpirituales nulla ei realitate cenſeantur. Interponitur tamen hîc aliquando ſuperſtitio et metus ſuperiorum cauſarum (quo metu mens noſtra propter conſcientiam perverſitatis ſuae raro vacat), cogitque ad Deo et ſpiritualibus rebus realitatem aliquam aſſignandam; quae tunc ex diſcretione puerili valde inepta atque ridicula aſſignatur, nempe tenuium fluidorumque admodum corporum realitas illis datur. Quae opinio confirmatur illis poſtea ex illa apprehenſione, quam paulo ante deſcripſimus circa realitatem, quam flammae tribuit puerilis diſcretio; cum enim ſuperſtitione vehementius urgetur, non audet Deo attribuere exiguam realitatem (qualem tamen aëri, fumo, et ſimilibus fluidis corporibus aſſignat); igitur ſplendorem, lucem, et ſimiles fere flammae partes (in qua licet exiguam corporeitatem, magnam tamen realitatem conſtituerat) Deo affingit. Cum jam hinc puerili diſcretioni ſic de Deo et rebus ſpiritualibus exiſtimanti advenit temeritas aliqua, et audacia ſuperſtitionem illam et metum ſuperiorem cauſarum nonnihil reprimens, facile intelligit, talem Deum et tales res ſpirituales nihil eſſe; tantum eſſe terricula vulgi; ad continendum in officio ſubditos, a ſuperioribus iſta ſubinde foveri; adeoque praecipitat in Atheiſmum, redditque Deum ſibi et res ſpirituales omnes indies obſcuriores, involvitque ſe in inextricabilem errorum labyrinthum, a quo nunquam niſi ab ovo philoſophari incipiat, ſequaturque filum ordinatae et verae Philoſophiae, expediendus eſt. Quod Deum et res ſpirituales puerilis diſcretio pro nihilo habeat, non magnopere mirum videri debet; magis intra limites ſuos errat, cum aërem pro nihilo habet (ut tamen tam communiter vulgus omne habet); non enim hic extra ſenſûs complexum eſt, et palpatur facile a manu flabello inſtructa. Hic tamen tam communis et perniciοſus error non minimus eſt inter eos, qui totam Phyſicam evertunt; ponit poſſibilitatem vacui, rarefactionem et condenſationem rigoroſam; tollit neceſſitatem circuitus in motu, qua intercedente, nihil jam in phyſicis apodicticum eſt, omnia tantum ad opinionem et figmenta noſtra ſpectant.

*Et quia non plus luminis a ſtellis, etc.*] Puerilis diſcretio non

tantum inter res diſtinguit, ſed res etiam cum rebus quadrat et comparat; nempe a quibus eodem modo ſenſus afficitur, illas res eodem numero habet; ut candelas et ſtellas. Illae enim cum accenſae ſunt, ſimiliter ſenſum afficiunt; judicantur igitur ejuſdem eſſe magnitudinis.

*Milleque aliis ejuſmodi praejudiciis etc.*] V. g. quod ſpatium aliquod aeternum detur, quod omnia corpora hujus mundi penetret, et ultra hunc mundum quaquaverſus in infinitum procurrat, ſitque ſecundum ſe et omnes ſuas partes immobile; quod, inquam, tale ſpatium detur, et tamen ſpatium illud ſit nihil, id eſt, non detur; quam repugnantiam propter magnam addictionem ad ſenſus non ſatis mens puerilis conſiderat. Secundo (quod inde ſequitur), vacuum eſſe poſſe. Tertio, motum non eſſe mutuum. Quarto, plus activitatis requiri ad motum quam ad quietem. Quinto, partes corporis duri aliquo glutine, vinculo, ſeu, ut vocant, firmâ unione inter ſe connecti, quo minus facile frangantur. Et multa talia, quae bonam partem in hoc Carteſii libro deteguntur et diſcutiuntur.

*A prima infantia*] Non noſtra illa, in qua primum ſtatum humanae mentis poſuimus; haec enim ſine judicio ullo eſt, ut videmus, et per conſequens etiam ſine praejudiciis; tota in ovo et in utero eſt iſta noſtra infantia. Loquitur ergo Carteſius communi modo de infantibus jam excluſis et in lucem editis, qui nobis pueri fuerunt.

Art. 72. *Et quamvis jam maturis annis*] Hîc tertius ſtatus innuitur adultae aetatis, quem diſcretionis ſtatum vocavimus; non a puerili illa diſcretione, de qua modo, ſed a diſcretione magis virili, quae in eo conſiſtit, quod mens quaſdam affectiones, quas in pueritia omnes abjecerat in res extra ſe poſitas, retrahat ad ſe. In qua tamen diſcretione parva ſaepe rationis diſcretio eſt; et quamdiu quidem occupatur ut perceptiones aliquas ſenſuum, quas omnes pueriliter in res externas abjecerat, rebus ipſis afferat, alias vero quaſdam ad ſe retrahat, nihilo puerili diſcretione dignior eſt. Fere enim hoc fundamento nititur, quod ſubinde animadvertat adeſſe res illas, quibus praeſentibus ſpecie certa perfundi ſolebat, alias animadvertat res tales abeſſe. V. g. praeſente flamma, ſole, etc. ſpeciem ſplendoris afferit rebus externis; concuſſione oculi factâ in tenebris (quia res illae ſolitae abſunt) revocat eandem ſpeciem ad ſe ſuamque apparentiam.

In quo equidem futiliter argumentatur; nam si splendor ille sit in flamma, non est ratio, cur etiam non putetur esse in materiâ vibratâ circa oculum concussum; cum haec non minus agitetur eo casu, quam cum a flamma (quae et ipsa in continua agitatione secundum suas partes cernitur) vibratur. Alias advocat huc etiam apparentiam adstantium; cumque hi nullum splendorem videant, colligit suum, quem videt, ad apparentiam pertinere; in quo non minus futiliter argumentatur, quia materia circa oculos adstantium non vibratur ita, sicut circa oculum concussum. Alias advocat huc etiam alios sensus suos, ut unius fraudem alterius proditione manifestet; sic v. g. cum baculus apparet fractus, qui partim in aqua, partim in aëre est, tactum adhibet, ut fraudem adspectus detegat; et sic omnem lapidem movet, ut in discretione sua, qua puerilitas abjicienda erat, puerilis remaneat, itaque sensus aliquos suos ad se et apparentiam suam retrahat, ut plerosque rebus externis afferat, et ipsum illud, puerilitatem pro parte abjecisse, puerilitatis suae beneficium esse velit.

*Non tamen ideo facile ex memoria sua expungit*] Non tantum haerent praejudicia in memoria nostra; sed vel maxime (quod potissimum intellige de prima illa pueritiae nostrae praecipitantiâ) in ipso sensu et attributione illâ, quae cum sensu quasi inevitabiliter conjungitur. Etiamsi enim verae Philosophiae luce jam illuminati, videamus aliquousque species illas luminis, colorum, etc. ad nos pertinere, idque forte etiam hîc et nunc satis meminerimus, non desinemus ideo illas inter videndum sentiendumque rebus externis attribuere, et ad summum interiori judicio mentis sensualem illam attributionem retractamus. Et ne forte putes, hoc vere Philosophis esse peculiare: nemo adultae aetatis est, cui non persuasissimum sit, cum videt baculum, qui partim est in aëre partim in aqua, ut fractum, fracturam illam non pertinere ad rem ipsam, sed tantum ad suam apparentiam; nec tamen ideo desinit, aut desinere, ut videtur, potest, inter videndum attribuere illam fracturam ipsi baculo; tantum interiore rationis judicio istam visualem attributionem retractat, dicitque, baculum illum, cui visus fracturam tribuit, fractum non esse. Haec est ergo insignis causa errorum nostrorum, quod etiam post saniorem doctrinam maneant praejudicia nostra in memoria nostra, nec hoc tantum, sed, quod hîc vel maximi momenti est, maneant semper in attributione nostrorum

fenfuum. Unde cum poftea non fatis attenti fumus (quod plerumque non fumus juxta art. fequentem), abducimur a vero, et aliquid antiquis, imo antiquatis jam in rationis judicio erroribus ac praejudiciis conforme ftatuimus, rurfumque erramus.

Art. 73. *Mens noftra non fine aliqua difficultate poteft ad res ullas attendere.*] Propter incredibilem volubilitatem ejus, et perpetuum de alliis in alias cogitationes errorem, qui error omnis inadvertentiae, et haec vero omnium errorum caufa eft. Volubilitas haec in fenfibus, in paffionibus, in memoria, in ingenio noftro, ceu quatuor fontibus fuis verfatur. Senfibus mens noftra non placide volvitur jam, fed quafi furiofe raptatur de una femper cogitatione in aliam. Clarum hoc fit in publicum prodeunti; quot ille cogitationibus, quas res obviae injiciunt, non diftrahitur! Si ferium aliquid meditari conftituerit, quam non fentit hoc fibi difficile, ne dicam impoffibile! Ut dolor, fi inciderit, omnes noftras cogitationes ad fe divertit! Ut alii omnes fenfus continuo nos volvunt ac revolvunt! De paffionibus res, uti adhuc vehementior, ita etiam clarior nobis eft. Memoria, quando plures aliquas res fimul aliquando, aut fere fimul confideravimus, pofteaque forte una fuccurrit, mox devolvit nos in cogitationem alterius. V. g. Petrus et Paulus faepe fimul ambulantes occurrerunt nobis, poftea Petrus feorfum; quod cum fit, ftatim cogitamus de ejus focio. Nomina nobis pueris cum rebus quarum funt nomina, faepe exhibita fuerunt; hinc poftea per memoriam occurrente feorfum nomine, cogitamus de re nominatâ, et occurrente re devolvimur in cognitionem nominis; fic idioma maternum et olim didicimus et jam tenemus. Eft igitur volubilitas illa memoriae hac fenfuum et paffionum noftrarum volubilitate nonnihil lenior; ordinem enim habet in ipfis perceptionibus noftris; ubi volubilitas fenfuum ordinem fuum tantum mutuatur a motu rerum materialium extra nos pofitarum. Quae proinde comparata ad mentem noftram non poteft non admodum confufa et temeraria videri; ut modo fudare, modo algere, modo lumine perfundi, fragore obtundi, modo in tenebris et filentio effe, etc. fi ad mentem noftram referas, valde hiulca funt, fortuita, et inordinata (efto, quod pulcherrimum ordinem habeant, dum ad res materiales extra nos pofitas referuntur). Et quamvis ita lenior fit ifta memoriae noftrae volubilitas, eft tamen fubinde etiam in genere

ſuo ſatis rapida et vehemens; ut nocte nonnunquam experrecti et otioſi experimur, ubi aliquando per innumera anteactae vitae noſtrae, tum noſtrum circa alios, tum aliorum circa nos dicta factaque, et quamplurimos eventus, quorum multos diſplicere nobis, multorum poenitere nos neceſſe eſt, inviti uſque et uſque raptamur. Nec dubium eſt, quin illa memoriae noſtrae volubilitas magnopere nos impediat in attentione, quae ad veritatem rerum aſſequendam neceſſaria eſt; unde etiam experientiâ conſtat, eos qui memoria valde excellunt, plerumque tardioris ingenii eſſe ſolere (abiitque hoc etiam Gallis in adagium, ut, quem hebetudinis ingenii notare volunt, dicant, eum memoria praeſtare), non alia de cauſa, quam quod volubilitas illa memoriae, in iis qui hanc excellentem nacti ſunt, magnopere officiat attentioni, quae ad veritatis indagationem (haec vero ad ingenium pertinet) requiritur. Reſtat denique quartus fons humanae volubilitatis, qui ad ingenium refertur, id eſt, ad vim illam mentis, qua per legitimas conſequentias devolvit ſe ex cognitione principiorum, eſſentiae, et ideae rerum in concluſiones et proprietates; ut cum ex idea trianguli dilabitur in cognitionem proprietatum, colligitque v. g., tres ejus angulos ſimul ſumptos duobus rectis aequales eſſe; ex idea globi devolvitur in hanc cognitionem, qua intelligit, plures globos ſimul ſumptos ſpatium implere non poſſe, etc. Eſtque haec menti noſtrae gratiſſima et digniſſima volubilitas, quae ex ipſa attentione magnâ ac defixâ oritur; ſed et ipſa tamen ſaepe multum officit veritatis indagini, dum per vigorem illum ingenii (ut eſt in hominibus quibuſdam) non analogae proprietates, et quae ad praeſentem conſiderationem faciunt, ſed anomalae prorſuſque diſparatae eliciuntur, et praeſertim tales, quae non ad res ipſas, ſed ad noſtras de iis cogitationes pertinent. Quod et Ariſtotelis et ſequacium ejus ſubtiliſſimorum, certe et ingenioſſimorum hominum manifeſtum cacoëthes eſt; qui in rebus phyſicis ſaepe, an genus, an ſpecies, an contraria, et ſimilia quae ad Logicam pertinent parerga, ingenioſiſſime diſcutiunt. Unde propter hanc perverſam ingenii volubilitatem notatum eſt longâ experientiâ, maximorum ingeniorum maximos errores eſſe; fieri enim non poteſt, ut rite ad rem propoſitam attendant, qui in anomalis illis proprietatîbus colligendis tam abſorpti ſunt, continuoque de una cogitatione in aliam devolvuntur. Hic igitur fructus ex illa hu-

manae volubilitatis agnitione colligi poterit: dum fenfibus et paffionibus admodum urgemur, temperemus judicio, donec illa deferbuerint; eademque fere circa memoriam praxis fit; denique in ingenio caveamus nobis a proprietatibus anomalis colligendis, et eas modo fectemur, quae ad rem praefenti confiderationi fubjectam faciant.

*Omniumque difficillime ad illa attendit, quae nec fenfibus nec imagitationi praefentia funt*] Haec enim funt extra flexum et gyrum illum, per quem mens noftra fenfibus, paffionibus, et memoria fua continuo et importuniffime torquetur, ut vix vacet ei unquam ad res fpirituales attendere. Sic experientiâ conftat, Geometriam, Staticam, et veram etiam Phyficam non infeliciter capi ab humana mente, et fatis etiam tenaciter inhaerere, eo quod hae fcientiae affinitatem aliquam habeant cum imaginatione noftra; Logicam vero, Metaphyficam, Ethicam, et difficillime addifci a juvenibus, et facillime effluere, quia nullam habent cum fenfibus et imaginatione noftra proportionem.

*Sive quia talem etc.*] Duae fuerant propofitiones: 1. Mens noftra difficulter attendit ad rem quamcunque; 2. Difficillime attendit ad res fpirituales. Harum propofitionum duae jam affignantur caufae; quarum prima eft conjunctio mentis humanae cum corpore (et haec ratio maxime pertinet ad primam propofitionem); inde enim mens quafi in piftrinum data, inde turba cogitationum, inde fenfuum diverfiffime obftrepentium, inde affectuum in diverfiffima trahentium rixae, inde rapidus ille memoriae noftrae torrens, et his aliquando feffis, et inducias aliquas dantibus, confufum illud phantafmatum et infomniorum chaos, inde ingenii per anomalas proprietates rerum confiderandarum et extrinfecas earum denominationes, quas ex fe ipfo fumit, et rebus affingit, perpetuus difcurfus. Impoffibile dicas inter tot ftrepitus et turbas verfanti ferio ad rem aliquam attendere, ne quidem ad illas ipfas turbas, quibus tam temere, tam confufe in omnes partes jactatur; attentio enim requirit mentis defixionem et ftatum in re quam contemplatur, quae cum infana illa volubilitate non conftat.

*Sive quia in primis annis*] Hîc altera caufa, fcilicet confuetudo et perpetua familiaritas cum fenfu, indeque orta facilitas potius de rebus fenfibilibus quam infenfibilibus cogitandi (et haec ratio maxime tangit fecundam propofitionem). Et quamvis hae rationes efficaces

ſint non-attentionis in mente noſtrâ, ſe ſolis tamen non ſunt errorum efficaces; nec cnim errorem inferunt perinde neceſſario, ſicut non-attentionem. Cum enim mens ab attentione prohibetur per illam volubilitatem, cui humana condicio obnoxiam illam reddidit, debebat ipſa pariter ſibi ab aſſenſu rerum, quae maturiorem attentionem exigebant, tantiſper temperare, nec tam impatienter unâ velle attentione conficere, cui niſi pluribus par eſſe non poterat. Poterat ergo in arduis aſſenſum ſuſpendere, in agendis conformare ſe juxta art. 3. ſupra, et agendorum ſeu morum prima principia, quamlibet fere exiguâ attentione addiſcere poterat: cum Deus nos ſolvit, aequo animo redeundum; cum non ſolvit, aequo animo manendum; veſcendum, laborandum, animum ſubinde relaxandum; et ſi quid eſt ſimilium. In rebus autem perplexis atque dubiis nihil novi attentandum (ut ſi dubitet incenſâ turri, exſiliendumne ſit an remanendum, ſi exſolvere ſe dubiis ſuis non poſſit, remanendum). Haec inquam et ſimilia percepit mens noſtra, et his fere ſatis habet, ut in moribus ſuis ſe regulet, donec ulteriora pluribus attentionibus patienter indaget. Nulla igitur ei fuit neceſſitas errandi, etiamſi nonnulla fuerit minus ſubinde attendendi. Labes igitur alia praeceſſit, unde hae labes originem ducunt.

*Fucilitatem acquiſivit*] Duplex eſt in mente noſtra facilitas (ut pro parte etiam jam ante annotavlmus ad art. 61.): altera ſpiritualis, quae provenit ex natura ipſius mentis ſecundum ſe, altera corporalis, quae provenit ex conjunctione ejus cum corpore. Ad priorem pertinet relatio illa, qua voluntas cognitionem noſtram refert ad verum et genuinum ſuum objectum (unde facilitas illa ſcientiarum, de qua in annotatis ad art. 66., item facilitas illa, qua mens ſe ipſam prius et facilius cognoſcit quam aliarum rerum quippiam, de qua ſupra art. 11.). Ad poſteriorem facilitatem pertinet illa, quam etiam in erroribus noſtris ſentimus, cum eos frequentare incepimus; quamque jam etîam in cognitione rerum ſenſibilium, per quas continuo volvimur et raptamur propter crebrum earum uſum atque conſuetudinem, in nobis experimur.

*Hic autem fit, ut jam multi nullam ſubſtantiam intelligant niſi imaginabilem*] Quia ſcilicet, ſicuti ſpeciem ſenſus, v. g. lumen, colorem, etc. per obſcurum judicium referunt ad res extra mentem

positas, quasi hae ista specie infectae sint, sic clarissimas alioqui ideas Dei et rerum spiritualium referunt ad extensionem aliquam, quasi haec ista similiter idea imbuta praeditaque sit; in qua attributione ac relatione summa obscuritas atque confusio est, et vel major illâ, qua sensum in externa objecta referimus. Et notandum est, quod sicuti nullo in natura ipsa invitamento per summam proterviam species sensuum nostrorum extra nos jactavimus in secundo statu, de quo supra; ita non majore invitamento adducti fuerimus ad ideas rerum spiritualium referendum ad extensionem. Etiamsi enim nos ipsi (qui rerum spiritualium numero sumus) arctissime colligati sumus cum extensione, unde fit ut et in illam agamus quodammodo, et multa continuo ab illa patiamur, — nulla tamen ratio, nulla species rationis aut verisimilitudo (quamdiu in rei ipsius natura stamus) nos inducere potuit ad credendum, vel nos ipsos, vel aliud quidpium rerum spiritualium, idem cum illa extensione esse, id est, referendum ideam rei spiritualis ad ipsam extensionem. Unde rursum colligitur magna mentis nostrae perversitas, quae in id nullo invitante praecipitarit, quod facile secum ingens syrma errorum et impietatis trahit.

*Neque enim norunt, ea sola esse imaginabilia, quae in extensione, motu, et figura consistunt*] Sed imaginationem suam extendunt etiam ad quaevis alia, ad quae illa pertinere non potest; unde perinde faciunt, ac si auditum suum intra sonos continere nollent, sed vellent eum etiam ad lumen et colores extendere, seu vellent lumen et colores audire; quod cum sentirent sibi impossibile esse, affingerent lumini et coloribus tenuem aliquem susurrum, qualis in alto silentio et summa auscultatione percipi solet. Pari modo et illi res spirituales ad imaginationem suam trahentes, cum plane videant se illas hoc pacto attingere non posse (non magis enim imaginatione mens nostra aut quaevis res spiritualis, quam lumen auditu capi potest), affingunt illis tenuem aliquam extensionem, qualem putant esse corporum valde fluidorum; habet enim haec se ad imaginationem studiose aliquid sectantem, sicut susurrus ad auditum studiose auscultantem. Ex quo vides aerumnam mentis depravatae; nam et se et Deum suum, quos praesentissimos sibi habet, cum ad intellectum suum attendit, hac perversissima relatione, et confusione cum extensione, tantopere a se removit, ut omni studio suo, omni conatu assequi non possit, quidnam

jam ſint; ſicuti de eo deſperatum eſt, quod lumen aliquando capiet, qui, illud poſtquam ad ſuſurrum retulit cum eoque confudit, audire jam illud vult, et non ſimpliciter videre. Hinc inanis illa in Scholis per definitiones logicas inſtituta rerum ſpiritualium venatio; et non minus ridicula quam miſeranda querela venantium, qui fatentur, ſe quod jugiter captaverunt, nunquam cepiſſe et capere ſe non poſſe: Mentem ſuam ſibi inter res ignotiſſimas eſſe; Deum ad deſperationem uſque obſcurum et in-intelligibilem eſſe. Quid miri, quamdiu volunt imaginatione id conſequi, quod extra ambitum omnis imaginationis eſt, quod ſolo intellectu capi et debet et poteſt? quid mirum eos in lumine laborare, qui illud non videre, ſed audire volunt? Et definitiones quidem logicae non alio ſpectare videntur, dum circa res ſpirituales occupantur, quam ut mentem acri illa imaginatione fruſtra defixam, nonnihil divertant et quaſi tempus fallant; definiunt enim rem ſpiritualem, quod ſit *res quae non dependet a materia;* ubi tantum dicitur quid non ſit. Oportebat vero dixiſſe, quid eſſet; ex quo deinceps quid non eſſet, colligendum erat. Quod cum illis objicitur, agnoſcunt (fieri enim non poteſt ut non aliquando, ſtimulis iſtis communium notionum icti, expergiſcant), ſed obſcuritatem mox rerum ſpiritualium cauſantur, quae lucem verae ac proprie dictae definitionis non admittant. Mentem humanam definiunt ſpiritum incompletum, vel formam ſubſtantialem ſpiritualem, etc.; quibus definitionibus non quid res illa ſit, ſed in qua ſerie rerum ipſi eam conſtituerint, ad quam categoriam eam pertinere velint, indicatur.

*Nec putant quicquam poſſe ſubſiſtere, quod non ſit corpus*] Quod vel ex hac regula, quam ipſi communis notionis vicem habent, intelligas licet: *Quicquid eſt, alicubi eſt;* ubi manifeſte quamlibet rem ad ſpatium quod occupet, et per conſequens ad extenſionem referunt. Cui praejudicio ut obviam eatur, diſpiciant ſecum, ubinam illa veritas ſit: *Duo et tria ſunt quinque*, et cum illam nulli ſpatio, quod ipſa repleat, aſſignare potuerint, recognoſcant ſimul, ſe negare non poſſe quin illa veritas ſit, atque adeo id maxime eſſe intelligent, quod nuſquam et in nullo ſpatio eſt, ſeu quod collocari non poteſt: nempe veritates illas aeternas, et mentem in qua proxime reſident, id eſt, mentem divinam.

*Plerique in tota vita nihil niſi confuſe percipiant*] Nempe ideas

rerum ſpiritualium referunt ad extenſionem, adeoque harum in poſterum perceptio confuſa eſt; ideas rerum materialium referunt ad ſpecies ſenſuum, adeoque et harum in poſterum perceptio confuſa eſt, omniaque (quod hinc ſequitur) confuſa ſunt cum ſenſu, etiam ipſae res ſpirituales. In quo ſtatu, qui permanet (et manent quoad vivunt plerique mortalium), omnia ei in tota vita confuſa ſunt. Cumque in omni confuſione etiam ſit error (ut ad art. 45. vel 46. annotavimus), hinc tota ejus vita, omniſque cogitatio error aliquis atque deceptio eſt (eſto quod veri ſubinde etiam aliquid inſit). Cumque ab his praejudiciis aegre divelli ſe ſinant homines, merito dictum eſt: *populus vult decipi.*

Art. 74. *Perſaepe vocibus non intellectis praebent aſſenſum*] Nihil uſitatius in dialecticis exercitiis, ubi ſaepiſſime pro bono argumento habetur, quod ſimili fere verborum tenore et formulâ cum bonis ac veris argumentis conſtructum eſt. Hinc enim originem ducunt omnes ſophiſmatum fallaciae; habent exteriorem apparatum in verbis ſimilem cum bonis argumentis, hinc ab incautis pro bonis habentur. Voces etiam multae in idiomatibus noſtris admodum male inſtitutae ſunt; quaedam unam rem confundunt cum pluribus (ut notanter in verbo videmus circa initium Logices noſtrae); multae analogicae ſunt, et quia a populo inſtitutae (hic enim vocum arbiter eſt), ſecundum popularia praejudicia inſtitutae. Et multae ſimiles ſunt in vocibus deceptionum occaſiones; de quibus ex profeſſo agendum eſt in Sophiſtica, quae partem Dialecticae conſtituit.

## IN PARTEM SECUNDAM.

## DE PRINCIPIIS RERUM MATERIALIUM.

Art. 1. *Etſi nemo non ſibi ſatis perſuadeat res materiales exſiſtere*] Ita quod ordine philoſophanti et poſterius et difficilius occurrit (primum enim et facillime exſiſtentia mentis noſtrae, Dei, rerumque ſpiritualium nobis ordine philoſophantibus occurrit part. I. art. II. et pluribus ſequentibus, res autem materiales, ſeu harum exſiſtentia hic poſterius innoteſcunt per diſcurſum non ita expeditum, etſi non

minus certum ac evidentem), id ſine ordine et ex puerilibus praejudiciis procedenti prius occurrit, faciliuſque per errorem videtur, ſeu clarius; quia corporali illa facilitate, quae ex habitu et conſuetudine procedit, facilius eſt.

Art. 4. *Nam quantum ad duritiem*] Corporeitatem ſeu rationem corporis referre ſolemus ad ſenſum tactus noſtri, et ibi quidem ad illam ſpeciem tactus, quae palpatio vocatur, oriturque in nobis ex compreſſione manuum noſtrarum circa corpus obvium et reſiſtens; ibi puerilitas noſtra, ſeu relatio ſenſus ad res vel rerum ad ſenſum, de qua puerilitate vide noſtra in art. 71. part. 1. Ex hac puerilitate puerilis diſcretio, et jam plus nobis corporeitatis habere videntur, quae facilius palpantur, et majorem incurrenti reſiſtentiam ponunt, qualia ſunt imprimis corpora dura. Cui proinde puerilitati ideam corporis vehementiſſime obſcuranti amoliendae, merito hîc primo loco Carteſius incumbit, ſuggeritque nobis peropportunum adminiculum ad praejudicium illud deponendum. Fingamus, inquit, quotieſcunque manus noſtrae verſus aliquam partem moventur, corpora omnia ibi exſiſtentia recedere eadem celeritate, qua illae accedunt. Hoc caſu nullus erit ſenſus palpationis, et tamen eodem caſu non poterimus, ideo nullum etiam ibi corpus eſſe, cogitare. Atque adeo jam intelligimus plane, naturam corporis non eſſe referendam ad palpationem noſtram, ſed illam aliquid eſſe, in ſe ipſa, independenter ab omni noſtra palpatione. Verum quidem eſt, palpabilitatem eſſe inter proprietates corporis, atque omne corpus, vel ſe ſolo, vel (ſi nimis exile fuerit) cum aliis conjunctum, poſſe nobis ſenſum palpationis impingere. Etiamſi enim a manibus verſus ipſum motis recedere poſſit eo modo, quo ſtatim dicebamus, poteſt tamen etiam aliter conſtitui, ut ſcilicet vel conſiſtat, vel etiam manibus noſtris verſus ipſum impulſis obviam feratur; adeoque abſolute palpabile eſt. Hinc etiam memini, me palpabilitatem inter proprietates corporis referre; ſed ingenue fateri cogor, eſſe tantum proprietatem externam. Nam palpari pertinet ad denominationem externam; adeoque et ipſa palpabilitas huc pertinet, ut ſupra etiam annotavimus ad art. 59. part. 1. Imo pertinet etiam haec proprietas ad anomalas illas, quas ſupra ad art. 73. part. . merito reprehendimus, acceptaſque retulimus perverſae ingenii noſtri volubilitati, quae non minima errorum noſtrorum cauſa eſt. Et alioqui

non potiori jure palpabilitas inter proprietates corporis refertur, quam visibilitas, audibilitas, etc.; nullum enim corpus, quin simili modo ac simili explicatione et lucere possit, et sonare, etc. Si ergo potius palpabilitas inter proprietates corporis referatur, quam aut visibilitas aut audibilitas, etc., videtur hoc aliquatenus pertinere ad vetus et populare praejudicium, et sapere nonnihil relationem istam ideae corporeae ad sensum palpationis.

*Eademque ratione ostendi potest, et pondus etc.*] Hoc etiam pertinet ad sensum palpationis; nam gravia inter premendum inaequaliter impertiunt nobis etiam sensum palpationis. Merito igitur secundo loco pondus ab idea corporis separatur; et quidem simili ratione sicut ante durities; si enim nullum corpus unquam inaequaliter nos premeret, nullum sensum ponderis haberemus. Nec tamen ideo cogitare deberemus, non esse illa corpora, quae nos non premerent, et de quorum pressione nihil sciremus; argumentô claro, quod natura corporis penitus independens sit ab isto sensu ponderis et pressionis; et idem est de colore, luce, et reliquis similibus, ut proinde notissimum bene attendenti, naturam corpoream in sola extensione consistere.

Art. 5. *Duae vero adhuc causae supersunt, etc.*] Vacuum nempe, et rarefactio atque condensatio corporum magnopere obnubilant nobis ideam corporis; quibus praejudiciis facile liberabimur, si rite perpenderimus, corpus non tam quid extensum, quam ipsissimam extensionem esse, ut supra annotavimus ad art. 63. part. I. Impossibile ergo esse intelligemus, esse extensionem (ut sane in vacuo est) et tamen non corpus (quod non minus ad vacuum requiritur); nec minus impossibile esse intelligemus, ut eadem extensio modo sit major modo minor, cum ipsa majoritas atque minoritas a parte rei non sint aliud quam ipsae extensiones, de quibus dicuntur. Cum ergo linea decem pedum major sit lineâ novem pedum, atque haec majoritas non sit aliud quam ipsa extensio ad decem pedes; haec vero extensio non aliud quam ipsa linea decem pedum; et similiter de minoritate dicendum sit; — liquet clarissime, sicut majoritas nunquam potest fieri minoritas, sic nec extensionem majorem unquam posse fieri minorem (sic scilicet ut eadem sit in se cum major et cum minor est), et per consequens omnem rarefactionem et condensationem rigorosam impossibiles esse.

Art. 6. *Non putabit in ipfis aliud quicquam contingere quam figurae mutationem*] Aut divifionem corporis in plures particulas, difperfionemque harum per loca difcontinua; ut cum fruftulum turis igni impofitum fumo fuo replet integrum conclave, cujus ante vix aliquam partem occupabat. Dividuntur enim particulae turis, et divelluntur a fe invicem, aëre inter illas ubique interjecto; ficut folium chartae albae in minutas particulas difcerptum, et per viam aliquam (quae inde etiam eminus videnti albet) difperfum. Quod equidem reipfa parum differt a figurae mutatione; perinde enim eft, an corpufcula divellantur fine continuitate, aliis corporibus interceptis (quo cafu divelli et difpergi dicentur), an vero fervatâ fecundum aliquas partes continuitate, ampliora fpatia intra fe concludant, quo cafu tantum figurae mutatio fiet fecundum poros: ut in fpongia, aut in reti ante compreffo, et mox foluto vel expanfo.

Art. 7. *Non videamus illos ipforum poros*] Taxatur puerilis difcretio, de qua parte praecedenti art. 71. in annotatis. Nempe quod non videmus, pro nihilo habemus; cum igitur aër in fclopis pneumaticis condenfatur, quia pori ejus fub adfpectum non cadunt, non putatur etiam poros habere, et quia nullum corpus per latera fclopi exire confpicitur, nullum etiam exire exiftimatur. Puerili autem ifti difcretioni renunciandum eft, et agnofcenda quaedam, etiam quae fub fenfum non cadunt; cumque aër in fclopo fic condenfatus, minorem occupet locum quam ante, neceffum eft ut concludamus, aliquid in ipfo contentum per poros fclopi expreffum effe, etamfi id fenfu non notemus.

*Nulla enim ratio nos cogit ad credendum, corpora omnia quae exfiftunt fenfus noftros debere afficere*] Imo omnis ratio reclamat; cum enim clariffime intelligamus quamlibet partem corporis in infinitum dividi poffe, facile etiam percipimus, particulas tam exiles effe, quae fenfum omnem fugiant, quae non ideo tamen aut particulae aut corpora effe definant. Quin imo fenfus ipfe quodammodo reclamat; quis enim eft qui perfuadeat fibi, particulas illas, quae a lapide per multas guttas excavato, aut ab aqua pluvia in platearum lacunis jacente, et fole paulatim vel vento ablata, fingulis momentis pene auferuntur, fub fenfum fuum debere vel poffe cadere? et tamen fenfus ipfe dictat auferri, cum poft moram aliquam fentit ablatas.

Similiter quis videt, quae ſingulis pene momentis accedunt folio vel floſculo creſcenti, aut arbori, etc.? et tamen accedere ſenſus ipſe convictus fateri debet, cum notat in tantum excreviſſe. Apage igitur puerilem illam et indiſcretam diſcretionem, qua exiſtimemus, nihil eſſe ea, quae tam exilia ſunt ut ſenſum fugiant; quae quidem diſcretio ſenſui innixa a ſenſu ipſo refellitur, ſe ipſamque evertit atque confundit.

*Repugnat novâ extenſione augeri, quin ſimul etiam nova ſubſtantia extenſa ei accedat*] Nimirum ſubſtantia eſt proprietas extenſionis, quae proinde ab extenſione neceſſario trahitur (ut demonſtratum in annotatis ad art. 63. part. 1.). Nam ubi extenſio, ibi neceſſario et ſubſtantia et res, et per conſequens totum corpus, quod non aliud quam res aut ſubſtantia extenſa eſt. Inde patet tantum, ſeu grammaticam ſeu logicam hanc eſſe conſtructionem: *ſubſtantia extenſa, res extenſa;* nam ſecundum rei veritatem potius dicendum erat: *extenſio ſubſtantialis*, *extenſio realis;* non quod ulla ſit, quae vel ſubſtantialis vel non realis ſit, ſed quod haec poſteriora ſint illa, ut ad citatum articulum annotavimus. Cum igitur corpus non ſit aliud quam ſubſtantia extenſa, haec neceſſario habetur, hoc ipſo quo vel ſola extenſio habetur, cum res ſine proprietate ſua eſſe non poſſit. Proinde ſi in rarefactione extenſio augeretur, neceſſario novum corpus fieret, et ſi in condenſatione extenſio minueretur, ſeu pro parte tolleretur, corpus aliquod deſtrueretur et annihilaretur.

Art. 8. *Quippe quantitas a ſubſtantia extenſa in re non differt*] Longa ſunt, quae de quantitate in Scholis jactantur. *Quantitatem aptitudinalem* et *quantitatem actualem* ſtatuunt. *Aptitudinalem* volunt eſſe accidens aliquod, quo poſito ſubſtantia materialis extendatur, et quo ablato (auferri autem poſſe ſaltem per Dei potentiam exiſtimant) ipſa in ſe concideret, et ſine ulla extenſione foret. Sed non vident, ſe jam omnem affectionem a ſubſtantia materiali abſtuliſſe, et per conſequens merum nihil ex illa feciſſe: nam in quo nulla affectio, id merum nihil, ut ad art. 11. part. 1. annotavimus.

Art. 9. *Sed cum ſubſtantiam a quantitate aut extenſione diſtinguunt*] Extenſio haec vocatur in Scholis *quantitas actualis;* quam realiter a quantitate *aptitudinali*, et modaliter a ſubſtantia *materiali* diſtinguunt; in quo committunt errores plures. Si enim extenſio illa ſeu quantitas

actualis ſit modus materiae, poterit jam ipſa a materia ſeparari, ſeu poterit materia eſſe ſine illa quantitate; quod ipſi quidem etiam afferunt, ſed non vident, ſe eo dato, omnem materiae affectionem detraxiſſe. Quidnam enim jam ipſa materia in ſe erit, cui extenſio detracta ſit? qua ſua affectione ab intellectu apprehendi poterit? Aſſignant tamen aliqui exigentiam naturalem ad extendi, quam volunt eſſe affectionem ipſius materiae ſecundum ſe; ſed non animadvertunt, exigentiam naturalem non eſſe primum attributum, nec pertinere ad eſſentiam rei, ſed ut ſummum eſſe proprietatem. Nam quod exigit, jam ante aliquid eſſe debet (cum nihil nihil exigat); quamdiu ergo prius illud attributum materiae, in quo exigentia iſta fundatur, non protulerint, nihildum protulerunt. Patet ergo, eos omnem affectionem detrahere materiae, adeoque ipſam in nihili loco habere: nihili enim nullae ſunt affectiones, res vero quaeque affectionem habet, quam intellectus attingit dum rem illam cognoſcit. Quantum ad quantitatem *aptitudinalem*, dum eam realiter a materia diſtinguunt, et exſiſtere etiam ſine hac poſſe confirmant, non accidens illam (quod tamen volunt), ſed veram ſubſtantiam fecerunt; ut quae non indigeat ulla re ad exſiſtendum praeter ſolum Dei concurſum, quae eſt definitio ſubſtantiae part. 1. art. 51. et 52.

*Vel nihil per nomen ſubſtantiae intelligunt*] Ut Thomiſtae, qui totidem id fere verbis fatentur; dicunt enim, materiam eſſe *non ens*, et *puram potentiam paſſivam*. In quo tamen ſibi ipſis diſſentiunt: non magis enim *nihil* pati poteſt quam agere; tam quod patitur, quam quod agit res aliqua eſſe debet.

*Vel confuſam tantum ſubſtantiae etc.*] Ut fere vulgus Scholaſticorum; ſeparantes enim a materia extenſionem, referunt eam ad ideam ſubſtantiae ſpiritualis. Addo ego tertium membrum diſjunctionis: vel ſpeciem ſubſtantiae in genere reſervant materiae, detractâ ei extenſione, et hanc ſpeciem pro idea materiae habent; in qua Scylla Scotus cum ſuis eſſe videtur. Cum enim per obſcuram abſtractionem ſubſtantia abſtrahi poſſit a corpore, ſeu a materia, propter majorem iſtius latitudinem (ut part. 1. art. 63. annotavimus), facile fit, ut ingenioſiores homines (qui anomalis et a ſua conſideratione pendentibus proprietatibus admodum addicti ſunt, ut part. 1. ad art. 73. annotabamus) ſpeciem hanc pro idea amplectantur; nam ſubſtantia in genere ſic

abſtracta a corpore non pertinet ad ideam, nec refertur ad rem aliquam extra nos poſitam, ſed ad meram conſiderationem noſtram, merumque modum noſtrum cogitandi. Saepe autem et alias uſu venit, ut ſpeciem pro idea habeant homines, et praeſertim ſpeciem intellectûs ii qui ſubtiliores ſunt.

Art. 10. *Sed tantum in modo quo a nobis concipi ſolent*] Spatium, et corpus hoc atque illud, differunt ſicut genus et ſpecies, ſeu ſicut animal in genere, et hoc atque illud animal. Spatium enim non eſt aliud quam corpus in genere; unde et immobile ſpatium. Sicuti enim, ſi horâ primâ bos ſit in area, horâ ſecundâ bove abeunte mus, etc., toto die idem *quadrupes in genere* in area fuerit, nec illud ab area exiverit, ideoque toto die immotum fuerit in area; ſic etiam ſpatium hujus conclavis v. g. (quod non eſt aliud quam *corpus in genere*) ſemper manet hîc idem, quia nunquam omne corpus ſeu omnis extenſio hîc aufertur, ſed abeunte unâ ſuccedit ſemper alia, ideoque etiam hoc ſpatium immobile, quia corpus in genere hinc nunquam expellitur. Et ſicuti quadrupede in genere manente in area, horâ quidem primâ bos in illo verſatur, horâ ſecundâ mus, etc.; ſic etiam corpora in ſpatio ſucceſſive ſunt, adeoque et ſpatium penetrare quodammodo videntur. Quae hactenus bene ſe habent, quamdiu referuntur tantum ad ſpeciem, ſeu ad modum aliquem conſiderandi ac loquendi noſtrum; ubi vero referuntur ad ideam (quod a vulgo omni factum eſt), putaturque talis aliqua res, qualis in ſpecie iſtâ ſpatium eſt, ſic affecta extra nos conſiſtere, magni et enormis hoc erroris eſt. Vides ergo quam caute oporteat ideam et ſpeciem diſtinguere, et quam pronum ſit ab altera ad alteram aliquid referre.

Art. 11. *Rejiciamus ab illa id omne etc.*] Dices: etiamſi ſingula, quae in hoc art. recenſentur, rejici poſſint ab idea corporis, non ſequitur tamen, quod etiam univerſa rejici poſſint; adeoque nulla jam urget neceſſitas ad exiſtimandum, nos debere ideam corporis in aliquo alio quaerere, diverſo ſcilicet ab iis quae recenſentur. Etiamſi enim in nullo forte ſeorſim conſtituenda ſit idea corporis, erit tamen forte conſtituenda in pluribus ſimul diviſim ſumptis. Reſpondeo: *diviſim ſumere* et *collectim ſumere* nunquam pertinere ad ideam aliquam, ſed tantum ad ſpeciem ſeu ad modum concipiendi noſtrum, ſeu ad noſtram conſiderationem. Res enim extra nos (quas ut tales idea refert nobis)

non ſunt diviſae, non ſunt collectae; ſed mens colligit, mens dividit, dum certo ſuo modo cogitandi circa illas verſatur. Unde cum nihil eorum quae in hoc art. adferuntur (non durities, non color, non gravitas, non frigus, non calor, etc.) ſeorſim et ſecundum ſe conſideratum pertineat ad ideam corporis (ut unicuique attendenti maniſeſtiſſimum eſt), nec igitur etiam diviſim aut collectim, ſeu plura ſeu omnia, quae hîc recenſentur, pertinebunt ad ideam corporis. Et alioqui clariſſimum eſt quod, etiamſi motus et quies (ſeu hoc disjunctum motum et quieſcens) adaequent ideam corporis (nullumque ſit corpus aut eſſe poſſit, quod vel non moveatur, vel non quieſcat), tamen motum et quietem ad ideam corporis non pertinere; atque omnes planiſſime intelligunt, ante motum atque quietem aliquid naturâ prius eſſe in corpore, quod ſeu moveri ſeu quieſcere poſſit.

Art. 13. *Nomina loci aut ſpatii non ſignificant quicquam diverſum a corpore*] Imo ſpatium (quando ſecludimus ab eo quae ad ſpeciem ſeu modum cogitandi noſtrum pertinent, de quibus dictum eſt in annotatis ad art. 10.) magis proprie eſt corpus, quam illa quae vulgo corpora vocantur, lapides, ligna, etc. Haec enim potius corporea ſunt quam corpora; ultra enim corpus habent certam formam (quae revera non aliud eſt quam certus quidam motus, ut ex infra dicendis patebit ſatis), aqua, lapides, ligna, etc. dicuntur; unde ſicut haec menſa non tam recte dicitur lignum, quam lignea ſeu ex ligno (eo quod ultra lignum habeat in ſe aliquid aliud, ſc. certam illam figuram, unde menſa dicitur), ſic etiam planiſſime intelligimus, ſolem, lapides, ligna, etc., cum ἀκριβῶς loquendum eſt, non corpora ſimpliciter, ſed corporea debere dici, ſeu ex corpore; cum vero corpora dicuntur, tunc tantum attendi ad eorum molem, extenſionemque in longum, latum, et profundum. Haec vero extenſio ſic ſolitarie ſpectata non eſt aliud quam ipſum ſpatium vel pars ſpatii; modo ſcil. (ut monui) ſecludantur a ſpatio ea, quae circa art. 10. annotavimus pertinere ad modum loquendi noſtrum de ſpatio, ſeu ad ſignificationem iſtius nominis *ſpatium.*

Art. 16. *Vacuum autem philoſophico more ſumptum, etc.*] Bene oportet notare, ad vacuum non ſufficere nullum corpus, ſed inſuper requiri ſpatium, in quo nullum ſit corpus. Nec enim inter manus junctas, etiamſi nullum ſit corpus, non ideo recte dixeris eſſe vacuum, quia nec ſpatium eſt inter illas; quod bene notandum eſt, quia hoc

minus advertentes quidam, putaverunt faltem vacuum concedendum esse ante creationem mundi, feu naturae corporeae. Nullum quidem tunc erat corpus; fed hoc non eft fatis ad vacuum; nullum etiam tunc erat fpatium, utpote quod idem effe cum corpore, et circa art. 10. et jam in annotatis proxime praecedentis art. evidentiffime demonftratur. Hoc obfervato tam certa eft impoffibilitas vacui, ut nullum fuperfit vel plaufibile ac populare argumentum, quod illam certitudinem concutere aliquo modo poffit. Spatium enim eft corpus, et vacuum eft fpatium fine corpore, ergo vacuum eft corpus fine corpore, idem fine fe ipfo; quo nihil impoffibilius dici poteft. Argumentum de tubo repleto mercurio, inverfoque altero extremo in patellam mercurium continentem, ex quo tubo mercurius effluit ad certam menfuram, et fuperiorem locum vacuum relinquere videtur, — hoc, inquam, argumentum nihil facit pro vacuo, ne quidem in apparentia. Cum enim clare in fuperiore parte tubi fit fpatium (ut manifeftum eft, ex eo quod latera diftent a fe mutuo, quod fine interjecto fpatio intelligi non poteft), fpatium autem clariffime demonftratum fit effe corpus, nulla eft hîc apparentia vacui. Igitur argumentum illud non oftendit, vacuum effe, fed tantum adfert difficultatem aliquam iftius fucceffionis, qua mercurio abeunti e tubo per poros tubi aliud corpus fuccedat; quae difficultas nihil ad ipfum vacuum; imo quia tam clare ibi vacuum non eft, nec effe poteft, oportebat potius contrarium colligere, et nullam ponere difficultatem in fucceffione illa, qua per poros vitri aliquid fuccedat mercurio abeunti; indeque rurfum oportebat colligere, et effe poros in vitro, et effe hîc in aëre corpufcula tam exilia, quae per poros illos ultro citroque ferantur quam liberrime. Ex quo obiter hoc vide, quam praepoftere philofophentur quamque invertant omnia, qui non ex idea, fed ex fenfu et experientiis philofophemata fua deducunt.

Art. 19. *Cum plumbo vel auro, etc.*] Jam fupra ad art. 4. annotavimus, folere homines referre naturam corporis ad fenfum palpationis, idque perverfiffimum effe. Hoc igitur praejudicio fublato facile intelligimus, in vafe folo aëre repleto tantundem corporis effe, quam fi auro folido aut plumbo repletum fit, imo in tubo vitreo, ex quo mercurius excidit modo paulo fupra explicato, in quo vacuum effe Scholae nuper credebant, tantundem corporis effe, quam cum pon-

derσfiffimo illo cotpore mercurii repletus erat. Nimirum idem femper fpatium eft in vafe eodem, feu eadem capacitate; jam autem folum fpatium pertinet ad naturam corporis, ut pridem annotabamus ad art. 13. Eft adhuc alîqua alia errandi anfa hîc, quod nempe in quibufdam corporibus, cum forte decidunt, plus materiae ifta lapfione deferatur, quam in aliis fimiliter labentibus. V. g. cum globus plumbeus et globus ligneus aequalis inter fe magnitudinis deorfum gravitate fua feruntur, plus materiae iu globo plumbeo decidit quam in globo ligneo; hinc facile in eam opinionem deveniunt homines, ut putent, in globo plumbeo abfolute plus effe materiae quam in globo ligneo; quod falfiffimum eft, et nullatenus inde fequitur. Si enim cogites fuperficiem undique tegentem globum plumbeum, et poros, materiamque in poris ejus contentam, fimilemque fuperficiem mente circumdederis globo ligneo (quae fuperficies funt loca externa iftorum globorum juxta art. 15.), — fateri debebis, uno horum locorum non plus minufve materiae contineri quam alio. Sed cum in plumbeo globo pauciores anguftiorefque fint pori, per quos jugiter materia aliqua fluit, effluitque et influit; eofdem autem poros in globo ligneo plures et ampliores effe fcias; cognofces, tantum plus materiae quiefcentis effe in globo plumbeo, quam in globo ligneo; hanc autem, quae quiefcit, deferri dum globus plumbeus cadit, eam vero, quae movetur in poris, ad cafum illum non pertinere. Et fimiliter de globo ligneo dicendum erit; adeoque nullatenus fequi intelligitur, licet plus materiae decidat in globo plumbeo quam in ligneo aequali, ideo in unius loco plus effe materiae quam in loco alterius.

Art. 20. *Fieri non poffe ut aliquae atomi*] Seu puncta, et idem efto judicium de lineis et fuperficiebus. Neque enim etiam hae effe poffunt in materia tamquam partes; linea enim, quae effet pars corporis, deberet effe tam tenuis, ut dextrum ei ac finiftrum ab eadem parte ftarent (quamdiu enim dextrum alibi, alibi finiftrum fuerit, tamdiu latitudo aliqua intelligitur, quae tamen abeffe deberet ab ea linea quae effet pars corporis); hoc autem fieri nunquam poteft, et quaecunque tenuis latitudo affumpta fuerit, imaginatio clare in illa agnofcit partes, alias in dextrum alias in finiftrum deflectentes; quae proinde partes ibi etiam funt. Impoffibile enim eft, ut *nihil* fit, quod vel fola imaginatione attingis; *nihil* enim non attingitur.

Eodem modo probatur, ſuperficiem non eſſe in corpore ut partem; deberet enim haec pars eſſe tam tenuis, ut *ſupra* et *infra* ei ibidem eſſent, ſeu ut ibi *ſupra* eſſet, ubi et *infra* eſſet, ac contra (quamdiu enim *ſupra* alibi in plano, alibi *infra* agnoſcitur, tamdiu neceſſum eſt ut craſſities aliqua agnoſcatur); hoc autem etiam fieri non poteſt ob ſimilem rationem ſicut ante de linea. Quod ſi nec lineae, nec ſuperficies eſſe poſſint tamquam partes, multo minus puncta; vide ſi placet noſtra in Metaphyſica, ubi latius haec deduximus.

*Sive materiae partes*] Recte; nam et atomi, et lineae, et ſuperficies, non quidem ut partes corporis dantur, ſed tamen ut modi dantur. Superficies enim eſt terminus corporis, et nequit corpus ab alio corpore niſi in ſuperficie tangi. Similiter ad tactum faciunt linea atque punctum; nam cylindrus non tangit planum niſi in linea, et ſimiliter ſphaera non tangit planum niſi in puncto. Si enim in parte aliqua diviſibili tangeret planum ſphaera, deberet aut in circumferentia ſphaerae planities aliqua eſſe, aut in plano cavitas aliqua, quorum utrumque eſt impoſſibile. Quam igitur evidens eſt, tactum eſſe in corporibus ſine cohaeſione (nec enim tunc tactus, ſeu contiguitas, ſed continuitas dicitur), tam evidens eſt, et ſuperficies, et lineas, et puncta in corporibus eſſe. Quod bene obſervandum eſt (et Carteſius hîc ſatis innuit) propter quoſdam minus hac in re prudentes, quibus cum demonſtratum eſt, quodlibet corpus in infinitum diviſibile eſſe (adeoque inter dividendum nunquam veniendum ad partes, quae aut ſuperficies, aut lineae, aut puncta ſint), exiſtimant omnino, puncta, lineas, etc. a materia auferenda eſſe; ſic ſc. ut ne quidem modi ſint ipſius. Puncta igitur, lineae, et ſuperficies ſupponunt contactum (ſine contactu nihil horum actu, ſed ad ſummum poteſtate haec ſunt); contactus ſupponit figuram; figura ſupponit motum, et a motu non realiter diſtinguitur (ut Diſput. Phyſ. 6. de Mundo demonſtravimus). Igitur nec iſta ſine motu eſſe poſſunt; adeoque ut motus ipſe modus quidam eſt corporis, ſic et illa modi quidam ſunt ejuſdem corporis. In contactu ſphaerae ac plani uſum habet punctum; nihil ad hunc contactum linea, ſuperficies, aut corpus faciunt. In contactu cylindri et plani in aeſtimationem venit linea; nihil ad rem illam facit ſuperficies aut corpus. In contactu cubi et plani parallele per planum aliud delati officium et uſum habet ſuperficies; craſſities

et corpus nihil huc pertinent. Si autem inde inferre velles, haec quae ufus habent tam diverfos, realiter etiam inter fe diftingui, eodem modo argumentareris, ac fi ex eo quod acclive afcendenti in aeftimationem veniat eique fuperandum fit, declive vero nihil huc pertineat, concludere velles, acclive et declive res inter fe alias ac diverfas effe. Magnopere igitur cavendum eft (quod fupra adhuc monuimus), ne res diverfas putemus, mox atque diverfos aliquos ufus nobis fubminiftrat res aliqua.

*Quin etiam fi fingamus etc.*] Mira eft propenfio hominum in hanc perfuafionem, frequenti divifione corpus aliquod ad tam exiles particulas redigendum, ut hae amplius dividi non queant. Pendet a puerili difcretione hoc praejudicium; cogitant enim, particulas eo tandem minutiae deventuras, ut digitos fuos diverfis earum extremis injicere amplius ad frangendum non poffint, vel ut acies cultri fimilifve inftrumenti mediae parti imprimi non poffit, ut fic extremitates a fe invicem divellantur. Sed haec omnia (ut diximus) puerilia funt praejudicia; quibus liberari etiam poterunt, fi cogitent aut imaginentur fibi, exiguam quantamcunque particulam duobus extremis fuis duabus extremitatibus bacillorum interjectam effe. Jam enim apprehenfis utraque manu bacillis, clariffime imaginabuntur, hanc particulam fic interjectam, quo minor tenuiorque fuerit, eo facilius frangendam aut diftrahendam effe. Atque ita revera eft, et qua particula aliqua exilior fit, eo aptior eft, ut magis adhuc magifque exilis fiat; tantum abeft, ut diminutione fui tutam fe praeftare contra ulteriorem diminutionem queat; nam corpora minora, caeteris paribus, minus folida funt majoribus; quo autem minus folidum eft corpus, eo facilius frangitur: nam diffoliditas confiftit in magnâ fuperficie et exiguâ mole fub illa fuperficie contentâ; utraque autem haec ad difficiliorem divifionem aut fractionem facit, nam ampla fuperficies ictus occurrentium corporum et validos et certos praeftat, et exigua moles parvam praebet dividentibus refiftentiam. Eft igitur hoc evidentiffime demonftratum, quo minutius eft corpus, eo adhuc facilius minui; ex quo et illud fequitur, diminutionem in infinitum tendere, et effe corpora quam plurima non folum poteftate (quod jam pridem et Scholae agnoverunt), fed actu etiam in infinitum divifa.

Art. 21. *Hunc mundum five fubftantiae corporeae univerfitatem nullos*

*extenſionis ſuae fines habere*] Significat, quid per Mundum intelligat; nempe mundus ei hîc idem eſt, quod corpus univerſum. Atque ita ſumendo Mundum, certum eſt eum quaquaverſus in infinitum extendi; corpus enim et ſpatium revera idem ſunt, ut ad art. 10. videbamus, ſed et paulo infra, ſolum ſpatium eſſe proprie corpus, ligna et lapides, etc. non corpora ſed corporea in rigore loquendi eſſe demonſtrabamus. Jam autem, ſpatium univerſum nullos extenſionis ſuae fines habere, ſed quaquaverſum ſine fine procurrere, communis notio eſt, et inter communes notiones adeo illuſtris, ut qui eam negaret, in hunc uſque diem inventus nemo ſit. Nemo negat ſpatium in infinitum procurrere; tantum ambigitur inter quoſdam, ſitne reale quid an mere fictitium? Sed reale eſſe nimis quam certum eſt; habet enim affectionem clariſſimam qua a mente noſtra attingitur, ſc. extenſionem, et hanc quidem infinitam, atqui nihili nulla eſt affectio. Verum quidem eſt, quod ſpatio affingi multa ſoleant, quae ſibi conſtare non poſſunt (ut quod aeternum ſit, immobile ſecundum omnes ſuas partes, omniaque quae moventur in ipſo penetrans; de quibus ſupra dictum eſt); ſed hoc nihil obſtat realitati eorum quae in ſpatio veram offerunt menti noſtrae affectionem; ſicuti mons non ideo realis eſſe deſinit, quia ei ab aliquo affingitur carentia vallis, quae cum monte conſtare non poteſt. Igitur longe evidentiſſimum eſt apud omnes homines, dummodo terminorum ſignificationem ſatis bene capiant, corpus quaquaverſus in infinitum extendi; nempe per corpus nihil aliud intelligendum eſt, et nihil aliud intelligi poteſt, quam ſpatium. Quantum vero ad Mundum proprie dictum, hic non eſt aliud quam corpus in motu; hiccine pariter in infinitum extenſus ſit, an certos ac determinatos habeat extenſionis ſuae limites, cogimur ignorare; nec enim perinde demonſtrari poteſt, ſicut corpus, ita etiam motum pari paſſu cum corpore procedere in infinitum. Quantitas enim motûs, tum quoad intenſionem ſuam (celeritatem), tum quoad extenſionem ſuam (ſeu amplitudinem ſpatii quam occupet), meri arbitrii divini res eſt; nec enim motus debet eſſe in materia (poſſet haec eſſe ſine ullo motu), nec, ſi ſit in materia, certam extenſionis ſeu intenſionis ſuae quantitatem naturali neceſſitate inducit, ut infra latius videbimus ad art. 36. Poſſet igitur fieri ut mundus hic finitus eſſet, ſed fieri nequit ut ejus materia quoad molem finita ſit; ibi enim mundus terminatur, ubi motus; ſicubi hîc terminetur.

Art. 22. *Nec proinde plures, ſed unum tantum eſſe poſſe*] Certum, ſi de mundo informi, vel potius de materia mundi intelligas (ſicut et intelligere ſe art. praeced. Carteſius monuerat). Materia enim omnem locum occupavit, et impoſſibile eſt plura eſſe ſpatia univerſa; unum tantum poteſt eſſe univerſum ſpatium, pro hoc autem mundus hîc capitur, ergo plures mundi eſſe non poſſunt. Loquendo autem de mundo in forma, ſeu de corpore in motu, nihil vetat, et ſucceſſive et ſimul etiam plures mundos eſſe. Succeſſive quidem, quia mundus variatur variatâ quantitate motûs, quam Deus pro arbitrio ſuo variare poteſt; et alioqui certum eſt, Deum potuiſſe plus motûs imprimere materiae, quam jam nunc impreſſerit. Poſſet vaſtiſſima corpora et dura, quae ſenſu jam obſervantur, in pollinem conterere, ſervatâ reliquâ quantitate motûs quae ante fuerat. Similiter facile oſtenditur, potuiſſe Deum minus etiam motûs indere materiae, quam jam indiderit. Similiter ſi hic mundus finitus ſit, et alicubi motus ſufflaminetur, ut quantum ad ſcientiam noſtram attinet ſufflaminari poteſt, poterit longe extra illos limites aliud rurſum corpus in motu, aliuſqe proinde mundus eſſe, intermediis omnibus arctiſſime ad ſe invicem acquieſcentibus. De quibus haec ſatis; nam in iis quae mere ad arbitrium divinum ſpectant, ſi revelatio omnis abeſt (ut certe hîc abeſt), nihil nobis integrum eſt ſtatuere.

Art. 23. *Omnis materiae variatio, ſive omnium ejus formarum diverſitas, pendet a motu*] Cum tota eſſentia corporis conſiſtat in extenſione (ut ſupra demonſtratum eſt), clariſſimum fit bene conſideranti, nihil ei novi accidere poſſe praeter motum, quo pars ejus, quae erat apud partem (hoc enim extenſio neceſſario ſecum infert), abſit jam etiam a parte illâ, tertiâ aliqua parte, quae alicubi decubuerat, interjectâ. Praeter hoc quod jam dictum eſt ut aliquid accidat corpori, quod ad ipſum pertineat, impoſſibile cogitatu eſſe deprehendes, quamdiu tantum ad ideas tuas mentem tuam reflectes. Igitur figura, quae clare intelligitur etiam particularibus corporibus ineſſe poſſe, nihil eſt diverſum a motu, utpote quae intelligi non poſſit ſine termino; terminus vero corporis ſine motu intelligi non poteſt (alioqui enim continuitas mera, et nullus terminus erit). Nam quieſcat uſque ad certum terminum ac deinceps moveatur, aut uſque ad certum terminum certo modo moveatur et deinceps alio modo moveatur

necessum est, si figura intelligenda sit. Priori modo lapis in aëre figuram suam habet (quiescunt enim partes ejus ad se invicem, et partes aëris circa eas moventur); posteriori modo gutta aquae in aëre figuram suam habet (nam partes guttae certo modo moventur, et partes aëris ambientis alio modo moventur). Sed si cogites motum illum, quo haec sic discriminantur, auferri, ablata pariter erit figura omnis, et continuitas mera juxta eandem cogitationem tuam introducetur.

*Quod passim etiam a Philosophis videtur fuisse animadversum*] Quasi per nebulam viderunt hi (Scholastici et vulgares Philosophi), per motum res corporeas tales evadere, quales eas experimur; adeoque naturam hujus mundi partiumque ejus in motu consistere. Videbant enim, res hujus mundi ad nos sensusve nostros sine motu non pertingere; solem, colores, etc. sine motu non videri; sonos sine motu non audiri (vide plura de his Disput. nostra Physica 6. seu de Mundo prima, circa priores Theses); hinc igitur propendebant in eam sententiam, ut cogitarent naturam in iis rebus esse principium motus. Sed interim non constant sibi, cum ultra motum talia aliqua naturae corporeae tribuunt, quae nec a motu proficisci, nec naturae corporeae convenire possunt; qualia sunt ipsum lumen, ipsi colores, soni, etc., quae putant in rebus corporeis extra nos consistere. Ubi quidem si consisterent (siquidem juxta eos etiam natura sit principium motus), deberent a motu profecta esse; ipsi vero nunquam ea effecta inde deducunt.

Art. 24. *Nec ideo etiam ullum alium in rerum natura fingendum puto*] In rerum, inquam, corporearum natura, de his enim art. 23. sub finem praecesserat; alioqui in cogitationibus nostris manifeste successio est, qui motus sine dubio a motu locali distinguitur. Esto quod ab hoc dependeat; sed hoc tantum vult Cartesius, nullum in corporibus motum esse, praeter localem; ita ut generatio, corruptio, alteratio, et si quae aliae sunt mutationes, quas vulgus juxta ac Scholae a motu locali distinxerunt, aliud revera nihil sint, quam motus quidam locales; ut satis patebit ex part. 3. et 4., ubi quam plurimae generationes, corruptiones, alterationesque corporum expendentur, ostendeturque quam evidentissime, in his nihil aliud praeter motum localem quarundam particularum (saepe equidem insensibilium) intervenire.

*Motus ut vulgo ſumitur nihil aliud eſt quam actio etc.*] Verum eſt, et vulgus ſemper motum cogitat tanquam actionem aliquam, ſive ab eo quod movetur emanentem (ut cum globus ligneus ex alto demittitur; putat enim hunc motum pertinere ad actionem ipſius globi, ſe ipſum gravitate ſua deorſum projicientis), ſive ei quod movetur aliunde impreſſam (ut cum idem globus per globarium projicitur; conſiderant enim hunc motum tamquam actionem projicientis impreſſam et receptam in globo procurrente per globarium). Sed haec actio longe aliquid aliud eſt quam motus ipſe; pertinetque ad motorem, cum motus pertineat ad mobile, ſeu id quod movetur.

Art. 25. *Dicere poſſumus, motum eſſe tranſlationem, etc. et quae tanquam quieſcentia ſpectantur etc.*] Haec eſt alia conſideratio motûs, magis quidem propria quam ea de qua art. 24., necdum tamen omnino propria (nam de hac demum agitur art. 29.). Fit enim in hac definitione reflexio ad ſpectationem ſeu conſiderationem noſtram, quae certe ad motum ipſum ſecundum ſe eſt impertinens. Sive enim nos conſideremus ſive non, motus equidem erit; et quidem verum eſt, nos in omni motu determinando ſpectare aliqua ut quieſcentia, a quibus id quod in motu ſit recedat, ſed hoc nihil pertinet ad ipſum motum in ſe; nam *propter noſtrum conſiderare nihil mutatur in re*, ut recte olim Ariſtoteles. Eſt igitur motus aliquid, etiamſi non conſideretur alterum ejus extremum quieſcere, ſicut nec revera quieſcit, ut patebit art. 29.

Art. 26. *Magno nos in hoc praejudicio laboramus, quod plus etc.*] Praejudicium merum et ſine ullo fundamento ſufficienti aſſumptum. Cum enim quies non minus rei in ſe habeat quam motus, non magis nihil ſit quam motus, ſtultiſſima perſuaſio eſt, vim quidem aliquam et actionem, ut motus ſit, accerſere, ut autem quies, nullam vim actionemque deſiderare. Praeclarus eſt hic art., et egregie denudat puerilem diſcretionem; conjungendus eſt cum art. 71. partis primae, cum eoque ſimul legendus.

Art. 29. *Quapropter ſi omnino propriam, et non ad aliud relatam naturam motui tribuere vellemus*] Et ſic oportet; quamdiu enim motui relata ad aliud quidpiam natura tribuitur, non ejus natura pure ei tribuitur, ſed inſuper modus aliquis cogitandi noſter. Relatio enim ſeu reſpectus (ut vel ipſum illud nomen indicat) non pertinet ad res extra

nos positas, sed ad considerationem et modum intelligendi nostrum. Cum igitur motus penitus independens sit a nostris cogitationibus (et sive nos consideremus aliquid sive non consideremus, nihilominus ideo motus erit aut non erit motus), necessum est talem aliquam exhibere motus ideam seu definitionem, quae nullius nostrae considerationis mentionem faciat. Hîc igitur Cartesius non tantum primam definitionem motûs, quam ex sententia vulgi art. 24. attulerat, sed etiam suam definitionem, quam art. 25. communi modo loquendi, et solitis considerationibus nostris accommodaverat, retractat atque refellit.

*Tantundem motus in uno quam in altero esse diceremus*] Et hoc quidem vere; adeoque motus jam tertio et tandem bene definiendus est, sc. quod est separatio duorum corporum contiguorum a se invicem. Ex quo clarissime intelligitur, non solum tantundem motûs, sed eundem motum esse in utroque extremo; sicut enim in duobus fratribus inter se, non tantum aeque multum fraternitatis, sed eadem prorsus fraternitas est, sic in duobus quae separantur a se invicem, non tantum aeque multum separationis, sed eadem separatio est.

*Sed hoc a communi usu loquendi nimium abhorreret*] Parum refert, et alioqui pleraque Cartesii sunt talia, ut a communi loquendi usu multum abhorreant. Quid mirum? populus, penes quem jus et norma loquendi, voces instituit ex praejudiciis suorum sensuum; Philosophus autem haec praejudicia quam longissime a se removet, et solas sequitur ideas, sensu omni ejurato.

*Eamque ut quiescentem considerare*] Admodum proni sumus ad considerandum locum illum in quo consistimus, ut quiescentem. Sic enim etiam navim, quando non assultim fertur, ut quiescentem considerare solemus, et hinc ripae moveri videntur, quas praeternavigamus; maxime autem istam quietem consideratione nostra terrae asserimus.

Art. 30. *Hujusque rei praecipua ratio est, quod motus intelligatur totius corporis quod movetur*] Forsitan et haec nonnulla ratio sit, quod motum considerent ut durantem nonnihil, ac simul aërem habeant pro nihilo. Hinc enim fieri videtur, quod pedibus hominis in pavimento ambulantis motis, putent ipsum pavimentum quiescere; separatio enim ab aliis aliisque locis perdurat aliquantulum in pede, sed in pavimento simul et semel fit; et etiamsi particulae aëris post pedem e pavimento

fublatum etiam varie feparentur, et viciffim conjungantur a pavimento, hoc tamen non apparet fenfui, et quod huic non apparet, nihil effe videtur, juxta part. 1. art. 71.; adeoque et ipfe aër pro nihilo eft vulgo. Hinc ergo fit, ut feparatio potius adfcribatur ei, quod poft primam feparationem ulterius ab aliis feparari pergit, quam ei, quod poft primam illam feparationem, deinceps fine feparatione ulteriori effe videtur. Hinc ergo etiam fit, ut lapide cadente ex culmine turris, lapis quidem moveri, culmen autem ftare videatur, eo quod poft primam feparationem lapidis et culminis, lapis quidem ulterius ulteriufque feparari pergat, culmen autem jam non amplius, quantum eft ex apparentia fenfus, feparari videatur.

*Quae duo inter fe pugnant*] Non pugnant haec nifi cum refpectu ad idem; poteft enim idem feparari ab aliquo, fic ut relinquatur verfus orientem, et feparari ab alio, fic ut relinquatur verfus occidentem, etiamfi etiam motus totius corporis effe intelligatur. Ea igitur videtur effe caufa, quam nos innuimus, ob quam motus non femper aequaliter utrique extremo feparationis adfcribatur: nempe quod poft primam feparationem faepe alterum extremum ab aliis ulterius et ulterius feparari pergat (cui potiori jure tunc motus adfcribendus videtur), alterum vero extremum poft eandem illam primam feparationem, faepe aut non feparetur, aut faltem non feparari fenfui videatur.

*Sed interim recordabimur, id omne etc.*] Seclufis ergo omnibus illis cogitationibus noftris, quae equidem ad motum ipfum nihil attinent, dicamus hoc quod res eft: motum effe mutuum, et eundem motum in utroque extremo feparationis agnofcamus. Poteft quidem motus unius extremi abftrahi a motu alterius extremi, etiamfi a parte rei idem fit uterque ille motus; ficut acclive a declivi praefcindi poteft, quamvis haec duo a parte rei unum idemque fint. Sed in his facile apparet, meram effe abftractionem, eo quod utrumque ab altero abftrahi promifcue foleat; non fic motus unius extremi a motu alterius extremi, nifi utrumque poft primam feparationem feparari ulterius ab aliis atque aliis pergat. Cum vero alterum non fic ulterius feparatur, tunc motus non viciffim abftrahitur, fed pofterius hoc potius quiefcere, et fine motu effe videtur.

Art. 33. *Hoc enim pacto in quovis determinato tempore*] Talis etiam

circulus exhibetur, cum e vafe pleno, dato exiguo fuperne fpiraculo, detractoque inferne epiftomio, liquor contentus fatis craffo radio effluit. Nimirum liquor inferne in aërem impulfus, dum effluit, hunc aërem (nam omnia plena funt) undequaque vafi apprimit, et ubi fpiraculum eft, tranfadigit in vas ipfum, ut ibi eodem momento locum fuppleat, quem liquor defcendens deferuerat. Quia vero fpiraculum eft exiguum, foramen autem, per quod liquor effluit, fatis amplum, neceffe eft fieri hîc compenfationem, et aërem tanto celerius per fpiraculum intrudi, quanto craffior eft radius liquoris effluentis, ut ita eodem tempore tantundem aëris intret per tenue fpiraculum, quantum liquoris effluit per fatis amplum fiphonem; ficuti per duas templi januas, alteram anguftiorem quidem, alteram ampliorem, aeque multi homines intra certum tempus exire poffunt, fi per anguftam celerius exeant, per magnam autem tardius. Ubi vero hic circulus impeditur, motus etiam fufflaminatur; unde ex eodem vafe fi nullum fpiraculum detur, nihil etiam effluet liquoris; et in fcypho aquâ vel vino pleno, cui leviter ad labra apprimatur charta, manuque impofitâ invertatur, detractâ manu et chartâ appreffâ manente, liquor totus in alto fufpenditur (quod et in hauftris oenopolarum videre eft); eo quod nempe circulus a liquore decidente inchoandus, ulteriufque in aërem propagandus, et per fundum fcyphi ad liquorem intra fcyphum confiftentem deducendus, fiftatur ad fundum fcyphi. Et infinita funt talia, quae longum effet hic recenfere.

Art. 36. *Et generalem caufam quod attinet, manifeftum eft illam effe Deum*] Nihil movere revera poteft praeter Deum; unde hic folus hic eft motor. Corpus enim non poteft motum habere a fe; cum enim motus duo dicat, adeffe, inquam, et abeffe (oportet enim ea quae feparantur adeffe primum inter fe, ac deinde abeffe), corpus quidem (feu extenfio) hoc ipfo quo eft, partem apud partem adeffe ex propria fua effentia et idea importat; fed eandem partem ab eadem illa alia parte abeffe (in quo motûs complementum confiftit), hoc vero naturam corporis excedit, et corpus quidem hoc pati poteft, fed non agere. Neceffum ergo eft, ut, fi corpus movendum eft, ab alio aliquo movendum fit. Aliud vero nihil eft praeter mentem; mens ergo movebit. Sed cum in omni feparatione infinitae partes a fe invicem divellendae fint (vide art. 20.), et ad fingulas divellendas vis aliqua

requiratur, patet, non nisi infinitam vim his devellendis sufficere. Infinita vero vis agendi nulli nisi Deo competit; solus ergo Deus movebit, solus movere poterit, et inter attributa Dei hoc unum est, non tantum *primus motor* (quod antehac Scholae agnoscunt), sed etiam simpliciter *Motor*. Vide plura de his in Metaphysica mea, item in Ethica, ubi circa Inspectionem sui ipsius clarissime motus omnis humanis mentibus tamquam auctoribus detrahitur.

*Materiam simul cum motu et quiete in principio creavit*] Cum principio motus et quietis; nam completus motus, et completa quies in principio esse non possunt. Motus enim et quies sunt res successivae (motûs enim est *adesse* et *abesse*, quietis vero est *adesse* et *adhuc adesse*); haec complete non possunt primo instanti esse, adeoque nec in principio esse possunt. Res enim successivae exsistunt per ultimum sui esse (ut Scholae loquuntur); sunt enim omnes res similes numeris, qui ultimam unitatem exspectant, ut hoc sint quod esse dicantur. Nam quaternarius ante ultimam, seu quartam unitatem non est quaternarius, sed ad summum ternarius; sic et domus non est, quando fundamentum, pavimentum, atque una alterave contignatio est, sed tum demum cum tectum ipsum inaedificatum etiam est; antea quidem pars domûs, necdum domus dici debuit. Similiter censendum est de rebus successivis, et horam secundam non dicimus esse paulo post primam, nec paulo deinceps, nec porro, etc., sed demum cum integra hora post primam elapsa est, staturque jam in ultimo horae secundae momento. Cum igitur motus, itemque quies sint res successivae, ut ex ideis ipsorum clarissime demonstravimus, non possunt haec proprie et absolute in principio poni, sed exspectandum est sequens aliquod instans, in quo esse absolute intelligantur.

*Intelligimus etiam perfectionem esse in Deo, non solum quod in se ipso sit immutabilis etc.*] Immutabilitas Dei non praebet argumentum efficax pro eadem semper quantitate motus; nec ex illa immutabilitate sequitur sic esse, sed tantum, consentaneum esse ut ita sit. Alioqui, cum motus non fuerit in initio (quod jam demonstratum est, et vide plura in Metaphysica nostra), siquidem immutabilitas Dei nullam in operibus suis admitteret mutabilitatem, motus imprimendus non erat, sed materia sinenda sine motu, ut erat in initio.

*Adeo ut iis mutationibus excepti etc.*] Hîc fatetur satis Cartesius,

ex immutabilitate Dei non desumi efficax argumentum pro immutabilitate operum ejus, quandoquidem fateatur, non obstante immutabilitate Dei, multas tamen in operibus ejus esse mutationes.

*Unde sequitur, quam maxime rationi esse consentaneum etc.*] Hîc etiam agnoscit inefficaciam ejusdem argumenti, cum non quid sit, sed quid consentaneum sit existimare, eo argumento concludi velit. Sunt igitur leges illae atque regulae motus atque quietis, quae ex hoc fonte petuntur, non prorsus apodicticae (ut erant proprietates illae quae praecesserunt, scilicet et motum mutuum sine circulo fieri non posse, etc., quae prorsus sunt independentes ab omni arbitrio, summamque continent necessitatem), sed probabiles tantum, et ut ipse Cartesius loquitur, rationi consentaneae (quale quid de aliis illis proprietatibus non nisi frivole et admodum ridicule dici poterat). Sunt tamen satis pro rei natura certae, nec oportet majorem certitudinem quam rei natura permittat desiderare, ut olim etiam in Ethicis monet Aristoteles; fiuntque adhuc longe certiores ex effectibus suis. Nam his regulis tota rerum corporearum natura respondet, quantum nobis per experientiam liquet.

Art. 37. *Harum prima est, unamquamque rem quatenus est simplex etc.*] Non est absolute necessarium et sine dubio. Deus aliter si voluerit (et velle aliter nihil vetat), aliud etiam subinde effectum dabit; id est, rem extra agentia contraria sitam (quae juxta hanc regulam eo in statu, in quo est, permanere deberet) immutabit se solo, et aut motum ei imprimet, si ante quieverit (non est enim cur minus facere hoc posse putetur, quam primitus motum imprimere materiae, quae tota ante erat sine motu), aut sufflaminabit motum ejus, si ante mota fuerit; potest enim etiam Deus motus tollere e certa parte materiae, nulli alteri parti eum adscribendo. Et quamvis hoc ita sit, clarissimeque intelligamus Deum ita facere posse, nescio tamen qua singulari claritate intelligimus omnes, et quasi ipsis oculis videmus, id ipsum non facere, non facturum esse (saltem ordinariâ suâ lege, et citra miraculum). Quis enim non clarissime intelligit, illud ita se habere, quod hîc exempli vicem Cartesius subjungit ad ista verba: *Ita si pars aliqua materiae sit quadrata, etc.*

Art. 38. *Et vero quotidiana experientia etc.*] Hîc jam sumit argumentum pro certitudine suarum regularum, nempe a posteriori et

per experientiam. Haec enim regulis illis egregie reſpondet, ſunt igitur ſatis certae a poſteriori; a priori vero, cum pendeant ab arbitrio alicujus (nempe Dei) non poſſunt ſatis apodictice demonſtrari. Haec enim eſt natura omnium rerum contingentium, et ab arbitrio alicujus dependentium, ut rigidae demonſtrationis cancellis circumſcribi non poſſint; unde illud in Scholis ſemper decantatum: *contingentium non eſſe ſcientiam.*


Art. 39. *Altera lex naturae eſt, etc.*] Haec lex demonſtratur etiam ex lege praecedenti. Cum enim (juxta praecedentem legem) unumquodque maneat, quantum eſt de ſe, ſicut eſt in initio; motus quidem omnis in initio ad lineam rectam determinatus eſt (initium enim motus tantum dicit duo puncta, ſc. *adeſſe* et *abeſſe;* duo puncta autem quoquo modo inter ſe conjuncta, non determinant niſi ad lineam rectam, accedatque tertium punctum neceſſe eſt, ſi curvitas aliqua comparanda ſit), erit igitur motus omnis ad lineam rectam, quantum de ſe eſt determinatus, et quicquid movetur, ſi aliunde impedimentum non interponatur, recta movebitur. Ex hac lege ſequitur tertia quaedam lex, quam Carteſius adfert part. 3. art. 58., nempe ea quae moventur in circulum, ſemper conari recedere a centro ſui motus, et vide in Annot. praecurr. ad praedictum art. [1]), quomodo ex hac lege illam legem deducerimus. Sunt igitur omnes illae leges ejuſdem condicionis cum principio ex quo deducuntur; pendent ab arbitrio Dei; poteſt ille, cum videtur, in his aliquid mutare. Proinde con-

1) „Nimirum quod movetur, conatur rectâ procedere (p. 2. art. 39.); ergo cum impeditur a motu iſto recto, conabitur potius ſecundum peripheriam magni quam parvi circuli ferri (nam quarta regula naturae dictat, ut cum mutatio interponi debet, reſque de ſtatu deturbatur, interponatur quam fieri poteſt minima (p. 2. art. 42. 43.) Peripheria enim magni circuli magis participat de natura lineae rectae quam peripheria parvi circuli, ſicut motus tardior plus participat de natura quietis quam motus minus tardus. Si vero corpus, a linea recta impedimento aliquo occurrente detorſum, magis affectet peripheriam magni circuli quam parvi (quod jam ita ſe habere demonſtratum eſt), ſequitur evidentiſſime, corpus quod in circulum fertur, affectare locum remotiorem a circulo, cum peripheria magni circuli magis diſtet a centro quam parvi. Atque etiam fieri videmus, et lapis in fundo circumactus funem tendit et ſubinde frangit vi iſtâ ſeu conatu recedendi a centro, et globulus in canali circumactus quamprimum poteſt erumpit. Augetur enim motus ille dum conatus effectum ſuum ſortitur, et vis vi augetur, ita ut motus ex illa vi proveniens magis atque magis continuo intendatur." Cod. Schol. f. 22.


tingentes ſunt, et ſummus earum gradus, quod rationi conſentaneae ſint, quodque experimentis ſatiſfaciant, et ſingulari etiam aliquo lumine (de quo paulo ante diximus) prae multis aliis contingentibus in intellectu noſtro fulgeant; de quo nemo poteſt dubitare, qui modo mentem aliquatenus huc attendit.

Art. 40. *Tertia lex naturae haec etc.*] Similiter et in hac Deus diſpenſare poteſt, et occurrente corpore fortiori jubere poteſt, ut cedat hoc, debilius autem vincat; nullum dubium eſt.

Art. 53. Praecedentibus articulis quibuſdam demonſtravit Carteſius, quomodo moveri debeant duo quaepiam corpora ſecundum rectas determinationes in ſe invicem illiſa, vel etiam unum alterum aſſequens. Operae pretium etiam eſſet examinare, quo modo corpora ſecundum tranſverſas, aliaſque obliquas ſeu acutiores determinationes, in ſe mutuo compacta, movenda ſint. Ponamus ergo primum duos globos aequales, perfecte ſolidos, et ſublatis omnibus impedimentis (prout Carteſius in praecedentibus legibus poſuit) in ſe mutuo tranſverſim impactos. V. g. globus A tranſverſim incurrat in globum B ad punctum C (ſuppono eſſe ſolidos aequales, et aequali celeritate ferri, impedimenta etiam omnia ſublata); quoniam igitur tranſverſae determinationes AC et BC, ſi ſibi mutuo non obſtarent (quod fieret, ſi v. g. globus B aliquanto citius veniret ad punctum C quam globus A), abirent a ſe invicem 90. gradibus, ſeu ad angulum rectum, neceſſum eſt ut ambae illae determinationes dimidiam ſui partem deperdant, feranturque globi A et B, cum jam ad punctum C in ſe invicem impacti fuerint, ſecundum lineam DE a C in E, idque conjunctim, ſic ut lineam illam CE, ipſo puncto contactus ſui deſcribant.





Supponamus jam eoſdem globos AB ad punctum C incurrere in ſe mutuo, non tranſverſim, ſeu ad angulum rectum, ſed magis oblique, et ad angulum obtuſum ACB, ductâ rectâ DE praedictum angulum ACB bifariam ſecante



in C; feruntur praedicti globi AB secundum hanc lineam a C in E, ipso puncto contactus sui lineam CE describentes. Non aliter enim servari potest aequalitas et justitia, nisi utrique globo media pars determinationis discedat; cumque nulla sit ratio, quae determinationes eorum mutare possit, et reflectere versus partes D, aut aliorsum, necessum est ut junctim ferantur a C in E eo modo quo dictum est.

Similiter facile intelliges quid fieri debeat, si AB incurrant sibi ad angulum acutum in C; nam rursum bifariam diviso angulo, linea sic dividens ostendit viam qua ferentur.




Ex quo etiam patet, determinationem globorum AB, sibi invicem transversim rectâ vel oblique occurrentium, nunquam posse diminui ad 90. gradus, sed semper diminutionem determinationis, quam primo habebant, intra hunc numerum stare, seu minorem esse 90. gradibus; nam angulus rectus nequit esse media pars alterius anguli, sed angulus rectus angulo recto additus, angulum omnem tollit, et ambo latera erigit in unam eandemque lineam rectam. Facile intelliges haec vel ipso sensu, si diversas illas determinationes globorum A et B consideraveris tanquam duos bacillos se mutuo in puncto C extremitatibus suis prementes; videbis enim pressionem eo perrecturam quo diximus, seu secundum lineam dividentem angulum in duas partes aequales processuram. Ex his legibus cum otio deduci et formari poterunt similes leges de corporibus inaequalibus transversim sibi occurrentibus, itemque de altero quiescente et altero moto, itemque altero praecedente et altero transversim a tergo impacto, idque vel rectâ vel oblique. Quarum regularum satis magnus numerus esset, et quae equidem omnes evidentissime deduci possunt ex legibus naturae.

Att. 55. *Nec profecto ullum glutinum etc.*] Quiete corpora sibi cohaerere, et quo plus quietis est, eo firmius haerere, non tantum invicta ratio demonstrat, quam Cartesius hic urget, sed experimenta etiam omnia consentiunt. Pondera suppositis rotis et cylindris commodissime promoventur; ubi in terra jacent dimoveri de loco vix possunt; quia hoc praestant rotae ac cylindri suppositi, ut non tam multo sui adhaereant terrae, modica autem quies facilius tollitur

quam magna. Sic etiam per pavimentum pifis induratis temere confperfum, periculofe inceditur, fi foleis calceorum, non vero fi foccis inambulemus. Idem etiam fit in glacie; ratio etiam eft eadem, nempe major cohaefio, majorque quies uno in cafu quam alio. Sic etiam orbiculi ferrei fuper tabulâ arenis modice conftratâ commodiffime et celerrime promoventur, ubi ablatâ arenâ ftatim haerent; ratio eft, quia anguli arenarum hinc inde fatis acuti, quibus orbiculi incumbunt, hoc efficiunt, ut orbiculi non multo fui adhaereant tabulae, atque adeo facile a quibuflibet partibus fuperficiei ejus per impetum femel iis impreffum removeantur. Et infinita funt talia.

Art. 56. *Cujufcunque enim figurae eum fupponamus, femper etc.*] De figura fphaerica aut cubica facile perfuadetur; cum enim corpus tali figura praeditum in medio alicujus fluidi impofitum eft, facile videmus, tot particulas fluidi in unam ejus partem incurrere, quot incurrunt in aliam. Sed difficultas alicui oriatur, fi de figura pyramidali v. g. fit fermo; videtur enim corpus tali figura praeditum plus incurfûs paffurum a particulis fluidi circa bafin quam circa conum; ideoque videbitur femper promovendum verfus eam plagam, quam conus refpicit, feu in quam conus ejus dirigitur. Sed hoc non eft ita; quamvis enim plures incurfus, et quafi radii incurfuum fiant in bafin, quam in conum (utpote in quem tantum unus radius incurrit), aeque tamen multum impellitur pyramidale illud corpus ab ea parte a qua conus eft, quam ab ea parte ubi bafis eft; quia non tantum unus ille radius, qui in conum incidit, comparandus eft cum omnibus radiis qui in bafin incidunt, fed omnes radii, qui in declivitatem, pyramidis feruntur, comparandi funt. Et ne forte jam oppofitum exiftimes, fcilicet corpus pyramidale promovendum verfus eam plagam, quam bafis ejus refpicit (jam enim plus incurfûs effe videtur ab ea parte, quam conus refpicit), — confiderare debes, etiamfi plures fint incurfiones ab ea parte ubi conus eft, has tamen non ideo effe fortiores; fortitudo enim (ut Cartefius bene monet art. 43.) non tantum defumi debet ex multitudine, feu magnitudine, fed etiam ex directiore incurfu. Confiderentur igitur radii omnes in bafin perpendiculariter incidentes, et confiderentur ab altera parte radii omnes in declivitatem pyramidis contra praecedentes radios incurrentes; demendum erit his (nam oblique incidunt) totum id quo fuperantur a directiore

incidentia priorum radiorum, qui in bafin diriguntur. Etiamfi enim una multitudo radiorum fit numero fortior, altera tamen eft directione fortior; adeoque fit compenfatio, et pyramis in fluido non magis a cono quam a bafi impellitur. Quodque jam in figura pyramidali demonftratum eft, facile ad quafcunque, irregulares etiam figuras transferri poteft, et eodem modo intelligi. Sed jam etiam declaremus in fchemate. A partibus C quamplurimi pulfus feu radii directe incurrunt in bafin A; his directe contrariatur tantum unus radius a D in conum B, fed quam plurimi alii oblique incidentes a partibus circa D in declivitates feu latera E F. Et licet jam plures incurrant a D quam a C, non tamen illi vincunt; eo quod illis tantum propter obliquitatem incidentiae difcedat de robore, quantum accefferat a multitudine; adeoque pyramis nec verfus D, nec verfus C impellitur.




*Atque fi forte non tanta fit iftius fluidi quantitas in* F *quam in* D, *etc.*] Hîc alter fcrupulus excutitur; nempe folidum poteft pofitum effe in fluido circa unam extremitatem fluidi (v. g. globus ligneus in aquae fitula circa oram fitulae); futurum ergo tunc videtur, ut corpus folidum propellatur ad oram iftam, ad quam magis divergit; plus enim ab altera parte eft fluidi, adeoque et plus etiam impulfus effe videbitur. Sed refpondeo, fluidum non agere fe toto in durum fibi innatans, fed duntaxat iis fuis partibus, quae fuperficiem ejus attingunt; nam reliquae partes, quae has ambiunt et circumftant, ipfae etiam variis motibus inter fe agitantur, euntque et redeunt, prout ad naturam corporis fluidi id requiritur, et nequaquam juncta vi remotiores et propiores particulae in corpus durum quod innatat, agunt. Sufficit ergo, fi corpus folidum undique a fluido cinctum fit, nec refert, fi ab una parte plus fluidi fit quam ab altera; hoc ipfo enim manebit folidum in eodem loco et quiefcet, nifi aliqua vi externa in unam partem impellatur.

Art. 58. *Si fupponamus in ifto fluido nullas effe particulas, quae non celerius, vel faltem aeque celeriter moveantur*] Si tardius moveantur particulae fluidi, quam vis exterius impreffa corpori folido quod innatat, et adjuta fimul a particulis fluidi pro parte fua fa-

cientibus, permittat, orietur refiftentia a particulis fluidi; eo quod hae non tantum motus fui determinationem mutare, fed etiam impelli debebunt. Debebit enim iis aliquid motus accedere a vi externa; aliquid quietis deperdent, cum tarditas de natura quietis participat; ideoque corpus folidum fic motum in fluido, non proportionatâ ad vim illam, qua protruditur, celeritate movebitur, fed aliquanto minori, id eft, refiftentiam aliquam patietur.

*Ac ideo faepe videmus aërem refiftere corporibus, quae in ipfis valde celeriter aguntur*] Sequitur facile ex dictis. Dum enim tam celeriter per illum feruntur corpora, non tantum particulas obvias in averfum determinare, fed impellere etiam, et motum aliquem iis imprimere debet, ac proinde tantundem de fuo motu deperdere. Hinc jam clare intelligimus (quod alioqui mirum prorfus, et infolubile quibufdam videbatur), cur globus plumbeus et globus ligneus fimul ex folario domûs demiffi, fimul etiam (quantum fenfus fert) ad terram pertingant; fimili autem modo demiffi ex culmine turris non fimul ad terram pertingant, fed plumbeus notabiliter praevertat ligneum. Nimirum, quamdiu duo illi globi fatis leni impetu et mediocri celeritate per aërem decidunt, nihil aut vix quicquam refiftentiae ab illo patiuntur; ubi vero aucto inter cadendum impetu celerius ferri incipiunt, refiftentia notabilis utrique exhibetur, quam fuperat plumbeus, utpote folidior et ad motum aptior; eandem refiftentiam ligneus non tam expedite fuperat, ideoque detinetur nonnihil, et fic a plumbeo praevertitur. Hoc ita effe (et non mere ideo globum plumbeum praevertere ligneum, cum ex turri ambo demittuntur, eo quod major celeritas plumbei, quae in exiguo fpatio, quod praeterlabebantur globi, notabilis non erat, in majori fpatio, quod eft a culmine turris ufque ad terram, notabilior effe incipiat, ut quidam minus confiderate dixerunt), ex eo convincitur, quod cum ex culmine turris demittuntur ad notabilem aliquam partem turris, quanta refpondet fpatio illi, quod eft a folario domûs ufque ad terram, aut etiam ampliorem, pari ad fenfum celeritate, et pari quafi paffu ferantur; atque ibi demum fubito quafi collectis viribus plumbeus notabiliter antevertit ligneum, eumque poft fe amplo fpatio relinquens, prior ad terram appellit.

Art. 60. *Quippe hoc corpus B non poteft celerius moveri quam a vi*

*adventitia impulsum est*] Hoc notatu dignum est, fluidi particulas, si tardius moveantur, posse impedire ne celeritas solidi, quod fertur per fluidum, proportionata sit impulsui quo solidum illud fertur, sed efficere ut aliquanto sit minor; verum fluidi particulas, si celerius moveantur, non posse talem disproportionem inducere, seu non posse efficere, ut celeritas solidi per fluidum moti aliquanto major sit ista vi, qua solidum illud fertur. Nam etiamsi particulae cum vi externa, qua solidum impellitur, facientes magna vi ferantur, vehementiusque corpus solidum impellant, quam si in fluido tardiorum particularum esset; tamen hoc nihil efficere potest, et haec tota vis eliditur a totidem particulis ab opposita parte in solidum incurrentibus; ut jam tota ratio motionis ejus celeritatisque in motione desumenda sit a vi externa ipsum impellente.

Art. 61. *Nec obstat regula illa quarta etc.*] Quarta illa regula habetur supra art. 49. et hîc etiam breviter repetitur; nempe corpus quiescens majus a nullo alio se minori, quantumvis celeriter acto, posse ad motum impelli. Quae regula videtur obstare huic assertioni, qua asserebatur solidum in fluido natans posse impelli in hanc vel illam partem, etiam a minima vi extrinsecus adveniente. Sed huic objectioni occurrit art. 59., ubi ostenditur, solidum illud non accipere suum motum a sola vi externa ipsum impellente, sed maxima ex parte a fluidi particulis, quae faciunt cum vi illa externa, et corpus solidum in eandem partem impellunt, in quam a vi externa impellitur; quod et hoc art. 61. declaratur similitudine, quae est inter corpus solidum undique fluido cinctum, et inter corpus grave, cum alio corpore gravi in aequilibrium composito. Sicut enim, dum utrimque in lancibus staterae aequalia pondera appensa sunt, licet utrumque sit admodum grave, alterum tamen a quovis puero nullo negotio attollitur (non quod puer solus attollat, sed maxime attollit pondus in opposita lance gravitate sua deorsum nitens); sic, cum minima vi corpus a fluido sustentatum in alteram partem impellitur, non est existimandum, hoc fieri a sola illa vi quae supervenit, sed junctim a vi illa quae supervenit et ea quae praefuit in particulis fluidi, solidum in eandem partem pellentibus; quae posterior vis effectum nullum ante sortiri poterat, eo quod aequalis vis ei ab opposita parte responderet, adeoque aequilibritas posita esset. Jam vero et fluidi particulae im-

pellentes et vis externa illas adjuvans, ſimul ſumptae, occupant corpus majus quam illud quod impellitur.

Art. 62. *Non tam proprie moveri corpus durum, cum ſic a fluido ipſum continente defertur, quam ſi non ab eo deferretur*] Ratio eſt, quia caeteris paribus corpus fluidum magis fluidum eſt, et particulae ejus omnes inter ſe celerius concitantur, dum ipſum totum in eodem aliquo manet loco, quam cum de loco in locum devolvitur. Cum enim eadem ſemper quantitas motus juxta art. 36. ſtatuenda ſit; quantum ſingulis particulis fluidi accedit motus, dum totum fluidum aliquo fertur, tantundem diſcedat neceſſe eſt de agitatione illa, qua eaedem particulae fluidi confuſe inter ſe agitantur (in qua agitatione conſiſtit natura fluidi. Et id ipſum etiam experientia comprobat; videmus enim corpora fluida, dum vehementi impetu et admodum concitate in certam partem feruntur, induere quaſi naturam corporum ſolidorum. Sic radius, qui ex ſiphunculo (vaſe pleno, et debito ſpiraculo conceſſo) in excipulum pertingit, ipſo ſenſu tactus, dum digitum per eum moves, notabiliter induruiſſe deprehenditur. Similiter etiam aër ventis agitatus impetuoſe in certam partem procurrens, inſtar fere corporis duri obvia quaeque proſternit. Cum igitur plus motus, ſeu confuſae iſtius agitationis, ſit in particulis iſtius fluidi, dum fluidum ipſum ex illis conflatum uno eodemque in loco remanet, quam cum de loco in locum fertur; neceſſum eſt ut in particulis ejus priori caſu plus ſit ſeparationis, qua a ſe invicem continuo ſeparantur, quam poſteriori caſu (quo non tam multum a ſe invicem ſeparantur, ſed partem hujus ſeparationis tranſtulerunt in eam ſeparationem, qua jam ſeparantur ab iis quae fluidum circumſtant). Adeoque erit etiam plus ſeparationis in ſolido immerſo priori caſu quam poſteriori, eo quod ſeparatio ſit mutua. Plus igitur motûs eſt in Terra, ſi in fluido (quo teſte experientiâ undique cingitur et immerſa eſt) quieſcat in eodem loco cum illo fluido, quam ſi cum fluido illo transferatur. Huc enim pertinet ea Carteſii annotatio, ut oſtendat, eos omnes qui ſe putant quietem Terrae dare, velint nolint, revera plus motus ei tribuere quam ipſe tribuat, qui eam cum aethere ſuo et materia coeleſti circum Solem ferri conſtituit.

Art. 63. *In quo experientia regulis motus valde videtur adverſari*] Et nominatim regulae 5. art. 50.; ſed revera non adverſatur, ut ſatis hoc art. 63. demonſtrat Auctor.


# IN PARTEM TERTIAM.

## DE MUNDO ASPECTABILI.

Art. 1. *Ne vereamur nimis ampla ejus opera imaginari*] Imo et ne vereamur nimis parva ejus quaedam opera imaginari. Utrumque enim praejudicium magnopere officit Phyficae, et ficut apud quofdam immanitas illa vorticum fidem non invenit, fic exilitas illa particularum per poros vitri ac ferri ultro citroque liberrime commeantium, non nifi rifu excipitur.

Art. 15. *Cum quis ex una navi alias etc.*] Satis commoda fimilitudo, qua facile explicatur retrogradatio, ftatio, et directio planetarum. Sicut enim vectoribus qui funt in navi celeriori, alia navis tardior, quam affequuntur, ftare videtur, etiamfi in eafdem partes cum ipforum navi feratur; cum vero praetervehuntur hanc tardiorem, tunc haec retro ferri videtur; fic etiam cum Terra (quae in hypothefi noftra inter planetas repofita eft) fuperiorem aliquem planetam (Martem, Jovem, Saturnum) affequitur motu annuo fuo, quo Solem circumit, tunc planeta ille, utpote tardior, aliquamdiu in coelo ftare videtur; cum vero Terra ipfum praetervehit verfus Orientem, tunc ille verfus Occidentem retrogradus videtur. Directus vero et celerior in Orientem ferri videbitur, cum Sol inter Terram et ipfum interjicietur; tunc enim pari cum Sole videbitur celeritate ferri verfus Orientem. Sed accuratam hujus rei delineationem, et quo pacto, et quando, et quantum praecife tum fuperiores tum inferiores Terrâ planetae retrogradi directique fint, oportet petere ex tabulis Aftrologorum, ubi haec accuratiffime delineantur. Confule duas tales tabulas in Phyfica Regii lib. 2. cap. 6. Res non patitur in illis elementis Aftronomicis nos diutius immorari; fed illa fupponemus cum Cartefio, et alioqui facile petuntur ex aliis.

Art. 20. *Libertatem fumamus quantum libet altiores exiftimandi*] Immanis eft illa diftantia, quae inter orbitam Telluris et ftellas fixas, juxta Copernici et Cartefii fyftema interjicitur. Nam fi v. g. A D B C fit orbita Telluris, quam anno integro defcribit circa Solem, et circulus E H F G ei aequalis ac directe imminens in firmamento




verſus polum boreum v. g., oportebit igitur hunc circulum tantopere diſtare ab orbita Telluris, ut inde conſpectus nullam habeat notabilem aream, ſed ſit inſtar puncti, atque lineae rectae A E, B F, D G, C H, aliaeque ipſis parallelae, quae ſe in columnalem ſuperficiem diſponunt, videantur propter vaſtam illam diſtantiam inſtar pyramidis in unum punctum firmamenti coire. Hoc enim neceſſarium eſt concedere in hypotheſi Copernicana, ut phaenomena ſalventur; nunquam enim ſtellae quae nobis apparent ſupra polum Terrae borealem, inde declinant verſus horizontem; nunquam etiam apparent nobis viciniores aut remotiores; et tamen quando Terra eſt in orbitae ſuae parte A, vicinior eſt ad firmamenti partem E, quam quando eſt in orbitae ſuae parte B, aut C, D, et reliquis intermediis. Cum igitur toto anni decurſu ſtella fixa polo boreo Telluris imminens, aut prope ab illo diſtans, eundem locum ſecundum aſpectum noſtrum ſervet, neque videatur nobis unquam propior aut remotior, neceſſum eſt, ut totum illud ſpatium firmamenti, quod circulo E G F H includitur, quodque aequale eſt iſti areae, quam orbita telluris A D B C circumdat, nullam habeat notabilem extenſionem ad aſpectum noſtrum. Ex quo qui Copernicanam hypotheſin impugnant, validiſſimum videntur ſibi argumentum ducere. Nam ſi ita eſt, inquiunt, ponatur ergo aliquis in firmamento, atque in circulo E G F H, aut intra ejus aream, neceſſum erit ut viciſſim totus circulus A D B C, cum Sole, Terra, et planetis interjectis, totâque areâ, ei inſtar puncti evaneſcat; proinde neceſſum eſt ut viciſſim nobis omnes ſtellae firmamenti, etiamſi etiam Sole multo multoque majores fingantur, propter immane illud intervallum diſpareant. Certum eſt quod argumentum non careat difficultate, etiam dato eo, quod Carteſius petit, ne opera Dei vereamur nimis ampla credere; nam equidem in ejus hypotheſi ſtellae fixae non ſunt niſi totidem ſoles; Solem autem ex firmamento viſum non iri, convincere videbatur

argumentum, ergo nec hinc fixas videndas eodem argumento concluditur. Sed respondeo, quantum ad planetas, qui tantum reflectendo lumen lucent, facile nos concedere, nullum eorum ex firmamento propter immanem illam distantiam videndum; ac proinde si quae fixae (quod fieri certe potest) similes aliquos habeant circa se planetas, sicut Sol noster, id a nobis hinc nunquam conspici posse. Sed alia ratio de Sole et stellis fixis, quae de se et quidem vivacissime lucent; unde et lux eorum non potest, quamvis magno illo intervallo, obliterari. Et saepe videmus nocte candelam in culmine turris accensam, eminus inde ad multa milliaria non multo minorem conspici quam ipsa sit; ubi si interdiu corpusculum aliquod coloratum ejusdem cum illa flammula magnitudinis reponeretur, totum id oculis nostris eriperetur in eadem distantia consistentibus.

Art. 22. *Neque incongrua videri debet Solis cum flamma comparatio*] Haec est diversitas inter flammam apud nos et Solem, quod materia secundi elementi sponte abeat a Sole per vim motus circularis, quo circa Solem tanquam centrum suum convertitur; atque adeo nullum sit periculum, ne Solem aliquando suffocet (etiamsi tamen propter librationes vorticum, seu oscillationes quae aliquando contingunt, ut infra circa art. 104. 114. videbimus, possit aliquid elidi e materia Solis, et sideribus aliorum vorticum accedere). Flamma autem circa nos semper est in periculo talis suffocationis; globuli enim secundi elementi, quos disjungit, conantur semper in illam irrumpere, et materiam primi elementi, qua tota ejus vis constat, in interstitiis suis absorbere. Unde oritur secunda diversitas inter Solem et flammam, quod nempe flamma indigeat particulis tertii elementi satis crassiusculis, quae primo elemento in flamma obsequentes, repellant undiquaque globulos secundi elementi, et irruptionem, quam hi perpetuo minantur, impediant; Sol autem talibus particulis non eget, ut globulos secundi elementi a se repellat (quamvis et eos etiam repellat, et etiam tales particulas tertii elementi ex fragmentis suarum macularum habeat), utpote qui sponte satis ab eo abeant.

*Ex legibus enim naturae non minus flamma, etc.*] Flammam etiam circa nos perennare posse, et quidem sine novo pabulo, demonstratum est; vide infra part. 4. ad art. 116. Nimirum si impediatur, ne particulae tertii elementi, quae primo elemento in flamma innatant, ex

ea egrediantur, flamma perdurabit, neque poterit ab eruptione circumstantium aliorum elementorum suffocari; quomodo autem hoc impediri possit, vide loco citato.

*Sed tamen etiam infra ostendetur, etc.*] Nempe hac parte art. 69.

Art. 23. *Ita singulae fixae ab omnibus aliis valde remotae esse debent*] Nempe ostendimus ad art. 20., circulum, quem motu annuo Terra describit, esse instar puncti, comparatione facta ad illud spatium in quo sunt stellae fixae. Cum igitur nonnullo spatio inter se distare hinc nobis videantur, sed quaedam etiam satis amplo; necessum est, revera amplissimum singulas stellas fixas circumstare spatium, in quo nulla alia fixa sit. Quod proinde phaenomenon sine talibus vorticibus vastissimis circa singulas stellas fixas, qualis est ille vortex circa Solem, salvari commode non potest.

Art. 37. *Jam vero non opus est ut ostendam, quo pacto sequantur phaenomena*] Promisimus quidem in Annot. praecurr., phaenomenôn istorum nonnullam explicationem; sed res non patitur, et Cartesii Philosophia supponit intellectum istorum saltem aliqualem. Interea non difficulter haberi poterit hic intellectus ex Physica Regii, qui adhibitis etiam figuris satis commodis et facilibus, phaenomena illa explicat nobis, cum Cartesio magis incumbendum est inquisitioni causarum, quibus phaenomena ista nituntur.

Art. 40. *Ut totus ille circulus, qui a Terra describitur circa Solem, si ad eam comparetur, instar puncti sit habendus*] Vid. annot. ad art. 20., ubi demonstramus hoc omnino concedendum esse iis, qui Copernicanam (id est maxime cum phaenomenis omnibus et ipsa veritate congruentem) hypothesin amplectuntur, circulum seu orbitam telluris e firmamento conspectum in unum et indivisibile punctum quasi disparituram; Solem tantum propter vividum suum lumen instar stellulae conspiciendum esse.

Art. 44. *Tanquam hypothesin proponere*] Cartesii Physica, quamdiu tantum consideratur ut exhibens machinam aliquam, quam motor seu Deus instruere posset, abstrahendo ab eo, an de facto instruxerit sic aliquam machinam an non, — non continet hypothesin, sed planam et stricte dictam scientiam. Sed cum machina, quam hic describit, applicatur huic mundo aspectabili, adscribunturque singulis motibus singula nostrorum sensuum phaenomena, tunc tantum pro hypothesi

haberi poteſt. Cum enim neſciamus an Deus non poſſit aliis modis nobis exhibere ſpecies et phaenomena iſta (hoc enim certe neſcimus, cum Deus et in his modis, qui hic a Carteſio deſcribuntur, ineffabilis ſit, et ratio nulla ſit cur putemus, nullos ei alios ſuppetere modos ineffabiles), non poſſumus abſolute et ex plena ſcientia aſſerere, Deum hoc modo, et non aliis phaenomena iſta operari. Eſt tamen hypotheſis admodum praeſtans, et ſcientiae aemula, quae in materia, ubi plus ſapere menti humanae datum non eſt, ſatis eſſe debet; et perinde ſaltem atque ipſa veritas utilis eſt ad res humanas, ad mechanicos uſus, et artium inventa amplificanda.

Art. 46. *Diviſam in particulas quam proxime inter ſe aequales*] De particulis aliquantis accipio; impoſſibile enim eſt ut materia diſcerpatur (quod Carteſius ſupponit, et neceſſarium etiam eſt phaenomenis ſalvandis ſupponere) in particulas omnes aequales, aut prope aequales; ſed cum abeunt a ſe invicem eo motu, quo a ſe mutuo avelluntur, neceſſum eſt intercurrere materiam, in infinitum ſecundum minores et minores particulas diviſam. Quod ſic demonſtro. Sint duo corpora C B (ſicut depinguntur part. 2. art. 46.), quae ad ſe mutuo accedant; neceſſum eſt, diviſionem quarundam particularum interjectarum, antequam haec corpora ad contactum veniant, in infinitum procedere, atque in tot partes, ut nullam cogitatione determinare poſſimus tam exiguam, quin intelligamus ipſam adhuc in alias minores re ipſa eſſe diviſam. Nam corpus C accedendo ad B efficit, ut linea C B tranſeat per diverſos innumeros gradus brevitatis, adeoque nullum tam exiguum materiae iſtius ramentum in iſta linea deſignari poteſt, quod non ſit majus eo quod inde aufertur ſingulis momentis (conſule part. 2. art. 33. 34. 35., itemque part. 3. art. 87.). Cum igitur in acceſſu horum corporum B C, antequam ad contactum veniri poſſit, materia interjecta in particulas alias, aliis ſine fine minores, dividi debeat; conſequens eſt, ut ſi haec duo corpora B C ſibi invicem acquieſcere, et unum corpus conſtituere cogitemus, poſtea vero diſcerpi, et in diverſas a ſe mutuo partes diſtrahi, ſimul etiam intelligamus ipſo momento diſtractionis eandem illam particularum interjectarum inter B C minutiam, quae intelligi debeat inter accedendum proxime ante contactum. Atque hinc etiam tam difficilem ſentimus corporum diſtractionem, quae aliis ſaepe modis, ſaepe non adeo difficulter franguntur;

ut funiculum forfice facile dividimus, aegrius longe in contraria trahendo diſtrahimus, et marmor, quod ferrâ dividitur, nulla vi aut humanis inſtrumentis diſtrahas. Tantum unus modus eſt, quo motus inſtitui poſſit abſque illa particularum in indefinitas minutias diviſione: ſi nempe per circulum materia circa aliam materiam repat, v. g. globi ſolidi teſſulae aut orbiculi convertantur circa centra ſua, reliquis circumſtantibus rigidis, et ſecundum partes ſuas immotis. Si enim Deus ſic moviſſet materiam, non erat neceſſum, corpuſcula in infinitum minora abs ſe invicem ſeparare atque divellere. Sed talis motus nihil facit ad hunc mundum, et haec phaenomena ſalvanda.


*Medias inter illas, ex quibus jam coeli atque aſtra componuntur*] Id eſt, medias inter globulos ſecundi elementi (ex his enim coeli componuntur ſeu vortices) et ramenta primi elementi; ex his enim ſidera et ſoles componuntur.

Art. 47. *Nullam inaequalitatem praeter eam, quae eſt in ſitu fixarum*] Supponit vortices inaequales eſſe, et alios alio majores; quod quidem ita eſt, ut ſatis patet ex ſitu fixarum, quarum aliae plus, aliae minus a vicinis ſibi ſtellis fixis diſtant, utique propter interjectam majorem minoremve vorticis portionem. Sed ad Phyſicam pertinet, phaenomena quidem enarrare forte, ſed non ſupponere, ſed ea demonſtrare a priori ex ſimplici et clara aliqua hypotheſi; quod et Carteſius in omnibus fere ſatis feliciter praeſtat. Sic v. g., vortices eſſe diverſos et aliis alios majores, non erat ſupponendum, ſed deducendum atque probandum; et poterat id etiam Carteſius, ut ipſe paulo ante fatetur (ex chao, inquit, per leges naturae idem ille ordo, qui jam eſt in rebus, deduci poſſet; idque olim ſuſcepi demonſtrandum), ſed cur id non fecerit, rationem ſubdit.

*Quanquam fortaſſe operoſius*] Hîc rationem innuit; nempe poſſe oſtendi, quare fixae inaequaliter diſtent inter ſe, habeantque vortices inaequales; ſed operoſius eſt et intricatius; adde, et non tantae utilitatis, ut ſatis fuerit hoc modo ſupponere. Sic infra etiam ad art. 101. excuſat ſe ab explicatione generationis magno proventu ſubinde, diſſolutioniſque ſubinde magnâ copiâ macularum in ſideribus; eo quod haec pendeant a cauſis minutis et admodum incertis, et vix humana mens poſſet omnes tales cauſas diſcutere.

Art. 48. *Quia plures globi ſimul juncti ſpatium continuum non*

*replent*] In globis aequalibus aut fere aequalibus res eſt manifeſta: ad minimum enim admittunt inter ſe triangularia iſta ſpatia, quale ſpatium A B C hic inter tres globos apparet. Sed major difficultas eſt, cum globi majores cum minoribus atque minoribus uſque in indefinitum componuntur; nihil enim videtur obſtare, quo minus




triangulus A B C, qui inter tres hoſce globulos relinquitur, quos ſuppono habere v. g. diametrum pedalem, repleatur globulis longe minoribus, qualibus v. g. pueri ludunt in platea, et rurſum horum trianguli impleantur minoribus globulis, quales ſunt v. g. illi globuli plumbei, quos grandinem vocant, quibus venatores utuntur in occidendis avibus, et hi trianguli rurſum, etc. Sed Reſpondeo: etiamſi ſic in infinitum pergeretur, in infinitum tamen vacuum aliquod relinqueretur, quod a globulis ipſis impleri non poſſet. Secundo, cum inter globulos neceſſario relinquatur ſpatium triangulare, nunquam globus quadrare poteſt in angulum, eumque implere, quantumcunque exilis ſit ille globulus; ad hoc enim deberet angulum habere globus in ſuperficie ſua convexa, quod eſt impoſſibile. Sic v. g. in angulum A B C figurae ſupra poſitae nullus globus quadrare poteſt, quantum-

cunque exilis fingatur; adeoque anguli femper manebunt vacui, fi folis globulis locus angulofus implendus fit.

*Eas non potuiffe fucceffu temporis non fieri rotundas*] Intellige de partibus aliquantis, ut ad art. 46. annotaveram. Impoffibile enim eft (ut Cartefius jam proxime dixerat, et nos inter annotandum demonftravimus), ut omnes omnino partes materiae, in quas primo divifa erat, rotundae fierent; hoc enim fine vacuo non contingeret. Ex quo etiam colligitur, in art. 46. (ubi fupponit Cartefius, omnem illam materiam, ex qua hic mundus compofitus eft, fuiffe a Deo divifam in particulas quam proxime inter fe aequales), intelligendas effe particulas aliquantas, non autem fimpliciter quaflibet particulas (ut quidam male intellexerunt); loquitur enim hoc art. 48. de iifdem particulis, de quibus dixerat art. 46., ut manifeftum eft ex textu.


*Quandoquidem varios habuerunt motus circulares*] Nempe circa centra fua convertebantur (ut art. 46. fupponebatur), et in omnem partem, feu fuper qualibet fua diametro fic convertebantur; unde quafi tornabantur, et ifta tornatione anguli, tuberes, omnefque afperitates ultra fphaericam figuram prominentes, iis vicinorum affrictu deradebantur.

*Eadem illa vis perfeverans*] Nempe eadem quantitas femper manet part. 2. art. 36.


*Ad hoc enim non tanta quam ad illud requirebatur*] Major vis requirebatur ad feparandum corpora fecundum integras fuas fuperficies abs fe mutuo, feu ad diftrahendum partes materiae in diverfa, quam ad angulos iftarum partium non magna fuperficie cohaerentes deradendum. Unde etiam experientiâ conftat, in corporibus nobis obviis angulos primum deteri, veftefque et fupellectilem in oris atque marginibus fuis, chartam complicatam in plicarum angulis primum affrictu vicinorum frangi et teri. Nimirum angulus eft minime folidus, habetque magnam in ambitu fuo fuperficiem, et exiguam propter inclinationem fuperficierum molem. Quo autem acutior eft, eo minus folidus eft; quo obtufior, eft eo folidior; itaque experientiâ etiam conftat, angulos acutos facilius dejici a corpore quam obtufos.

*Quia hoc in loco nomen anguli ad omne id quod etc.*] Igitur coni in figura ovali, et quicunque tuberes, afperitates, et exftantiae nomine angulorum huc veniunt. Et de figura quidem ovali etiam fatis certum

eſt, eam debere conos ſuos amittere, ſi corpus ea praeditum inter vicina corpora ſatis magna vi convertatur, non tantum ſecundum diametrum ſuam longiorem A B, ſed etiam ſecundum diametrum ſuam breviorem C D; ſic enim converſum allidet conos ſuos A et B in vicina corpora, eoſque, utpote minus ſolidos quam corpus ſphaericum C E D F, intra ovale A C B D contentum, iſta alliſione paulatim deteret et abradet, ut apud mechanicos inter globos ligneos tornandum et fabricandum accidit.




Art. 49. *Eaſque pro ratione loci occupandi perpetuo mutantibus*] Cum enim globuli (qui ad ſecundum elementum poſtea referentur) conſtituant corpus fluidum (ut art. 46. ſupponebatur), hinc variis modis inter ſe eunt atque redeunt (juxta naturam corporis fluidi, de quo part. 2. art. 54.), adeoque neceſſum eſt ut materia minutius diviſa, quae interſtitia globulorum occupat (haec infra ad primum elementum revocabitur) figuras ſuas pro ratione loci occupandi varie mutet. Ut ſi globi K et L recedant a ſe mutuo in averſum, atque eodem momento globi H et I accedant ad ſe mutuo, donec contactus fiat in B, neceſſum eſt, materiam in triangulis A B C et D B E prorſus mutare ſuam figuram, et varie dividi, aliterque figurari ſecundum globulos adjacentes. Poſſunt autem globuli illi multis talibus modis inter ſe moveri.




Art. 50. *Quo minora ſunt iſta etc., eo facilius moveri*] Nimirum corpora majora facile motus ſuos transferunt in corpora minora, ſed non facile motus illos reſumunt a corporibus minoribus. Tantum enim unus aut alter caſus eſt, quo corpora minora motum ſuum, vel partem ſui motus aliquam transferant in corpus majus; cum nempe plura corpora minora inſtar unius agunt in corpus majus; ut cum

fluidum, quod aliquo fertur totum, avehit secum corpus durum ei immersum, quod singulis particulis fluidi longe majus est. Secundo, cum corpus minus magis superat celeritate corpus majus, quam ab eo superetur mole; tunc enim, si utrumque sit in motu, poterit corpus minus aliquam partem sui motus transferre in corpus majus; quae omnia satis patent ex regulis motus part. 2. art. 46. et seqq.: Et ibidem collige, quanto facilius a majori corpore in minus transferatur motus, quam contra, praesertim ex regula quarta et quinta. Hinc igitur fit, ut maxima pars motus tandem in minimas minutias hujus mundi (quae primum elementum constituunt) amandetur, ibidemque reservetur. Qui tamen subinde etiam aliis corporibus communicatur, et cum ipso simil avehuntur; ut fit in particulis terrestribus flammam apud nos constituentibus, de qua infra part. 4. Et notatu digna est ista quasi contrarietas, quae hic se prodit; nam corpora majora, quantum est de se, aptiora sunt ad motum, et quantum est de se, melius in motu et in tenore sui motus perseverant, per accidens vero corpora minora aptiora sunt ad motum, eo quod facilius a majoribus corporibus impellantur, adeoque eorum motus facilius imbibant (tantum enim majoribus corporibus de motu discedit, quantum minoribus, quae propellunt, impertiunt) et non facile reponant; unde fit, ut majora corpora quasi active magis apta sint ad motum, minora quasi passive.

*Atque in alia adhuc minutiora comminui posse*] Quo enim corpus aliquod est minus, eo caeteris paribus minus solidum est (ut patet est Annotat. Praecurr. part. 3. circa art. 121. et seqq. [1]). Corpora autem quae minus solida sunt, facilius franguntur iis quae solidiora sunt; habent enim (per definitionem corporis minus solidi) exiguam molem et magnam superficiem, quorum utrumque ad faciliorem divisionem facit; nam magna superficies praestanter se offert divisionem molienti, et exigua moles, quae dividenda est, parvam ei resistentiam

1) „.... majora corpora caeteris paribus solidiora minoribus sunt, adeo ut corpus majus quolibet minore, quod simili figurâ circumscribitur, solidius. Unde magnus globus minore globo, magnus cubus majore cubo solidior est. Quod facile intelliges si animadvertas, dum minora corpora similis figurae inter se in majus corpus, quod similis item figurae sit, conflantur, perdi semper aliquid de superficie, nihil de mole."

exhibet. Adhuc tale aliquid fupra parte fecunda annotavimus, ubi et praejudicium illud eximere conati fumus, quo perfuafum habet populus, corpora per crebras fui diminutiones tandem eo produci poffe, ut minui amplius non poffint; cum contrarium fit verum, et corpus, quo faepius diminutum eft, eo aptius continuo reddatur, ut ultra ultraque femper diminuatur; vid. Annot. Latiora parte 2. art. 20.

Art. 52. *Primum eft illius, quae tantam vim etc.*] Hîc ad primum elementum revocantur minimae illae minutiae, quae in globulorum fecundi elementi interftitiis reperiuntur. Nec mirum, nam hae minutiae ante duo reliqua elementa formatae fuerunt, non quidem quoad totam quantitatem fuam (plus enim jam eft primi elementi, quam initio erat, cum partes aliquantae abs fe invicem diftrahi incipiebant, nempe acceffit, quod ex angulis partium aliquantarum, cum in fecundum elementum formarentur, deradebatur), fed quoad bonam partem iftius quantitatis. Haec igitur potiffima eft ratio, quare nomine primi elementi venire iftae minutiae debeant, quod nempe tales fint, ut bonam partem globulis fecundi elementi, et magis adhuc fruftis tertii element praefuerint. Aliam etiam rationem Cartefius hoc eodem art. iftius nomenclaturae adfert; nempe quod lumen ab hoc elemento incipiat; lumen enim incipit a folibus feu ftellis fixis (quae omnes conftant primo elemento), diffunditur per coelos (qui omnes conftant fecundo elemento), et ab his tanquam medio procedit ad cometas et planetas, in quibus quafi terminatur repercutiturque (hi enim omnes conftant tertio elemento). Sed pace ejus melius defumitur ifte ordo elementorum penes ordinem originis eorum; primum igitur (cum hoc ageretur, quod eft in hypothefi art. 46., nempe partes aliquantae diftrahebantur) genita fuit materia primi elementi inter partes a fe invicem per diftractionem abeuntes (ut in annot. ad art. illum annotavimus); mox globuli fecundi elementi formabantur, et denique tertii elementi rudimenta emergebant.

Art. 54. *Quicquid ex ea refidui fuit, ad centra S, F, f, confluxit*] Primo enim globuli fecundi elementi, utpote majores et folidiores (adeoque ad motum active, ut ante dicebamus, magis apti) vim fuam exercere coeperunt, et impetu ifto, quo in gyrum abrepti recedebant a centro fui motus, quantum poterant, accefferunt ad fe invicem quam arctiffime. Atque ita fe arctando verfus circumferentiam vor-

ticis, quicquid ufpiam inter centrum vorticis et circumferentiam materiae primi elementi erat, implendis triangularibus interftitiis (quae neceffario inter globulos relinquuntur) fuperflui, id omne in centrum vorticis expreflerunt. Hac autem impreffione tantum motus tranftulerunt in materiam primi elementi fic expreffam, ut ipfa jam in centro rapidius quam ipfi globuli contorta, celerrimeque fe circa centrum fuum convertens, fpatio ifto in quod primum expreffum erat, contineri tota non poffit, fed per eclipticam et parallelos jugiter excurrens, per interftitia globulorum hos ipfos, qui fibi viciniores funt, celerius in gyrum contorqueat (vide art. 84.) quam caeteroquin ipfi de fe moti fuiffent; adeoque viciffim motum, quem a globulis fecundi elementi acceperat, partem aliquam illis reftituit.

Art. 55. *Ea enim eft lex naturae, etc.*] Opponunt aliqui vortices marinos, in quorum aliquibus, cum aqua in circulum feratur tota, omnia tamen quae in circulum iftum abrepta funt, non verfus circumferentiam vorticis, fed violento impetu verfus centrum aguntur, ibidemque fubmerguntur (ut in famofo illo, qui ad litora Norvegiae eft, vortice apparet, qui cum mare aeftu intumuit, violentiffimos gyros agit, et naves deprehenfas abforbet, quae poftea in finu Botnico per meatum fubterraneum redduntur feu emergunt denuo); — in aliquibus vero aqua in centro inftar columnae aut montis affurgit in aërem (ut in finu illo maris Mediterranei, qui vulgo Golfo de Lion vocatur; ubi cum ventus vehemens ex auftro afflat, contraque Rhodanus, qui in iftum finum fe exonerat, a feptentrione nivibus praefertim auctis irruit, aqua tota in ifto finu verticem facit, navefque deprehenfas abripit, et ad centrum fuum circulariter deducit, ibidemque cum ingenti cumulo aquae in coelum attollit). Ex his confici volunt, quae in circulum aguntur, non affectare perpetuo locum remotiorem a centro fui motus, fed quandoque locum propiorem. Regius difficultatem hanc conatur folvere, quod in vorticibus illis non fint perfecti circuli, fed fpirae modo. Verum haec folutio nulla eft; non tantum enim ea quae in perfectos circulos feruntur, affectant receffum a centro, fed etiam quae in imperfectos circulos (nam et ipfi globuli fecundi elementi praefertim circa circumferentiam vorticis contorquentur in circulos admodum imperfectos, ut fatis patet ex inaequalitate vorticum circumjacentium, et vide art. 83.). Dicimus ergo nos,

etiam in vorticibus iſtis marinis aquam, et naves abreptas, quantum eſt ex vi motus circularis affectare receſſum a centro vorticis, ſed obſtare hic fortius aliquid, quominus conatus ille effectum ſuum ſortiatur, nempe aquam a tergo prementem, et urgentem verſus centrum, vel vi ſolius gravitatis (ut fit in vorticibus prioris generis, qui non aliunde originem ducunt, quam quod fundus ſub ipſis terebratus ſit, et aqua in ſubterraneos ſpecus delabatur; ſicut pertuſo fundo ſitulae ſimilis vortex in ſuperficie aquae contentae apparet), vel etiam aliis aliquibus concurrentibus (ut fit in vorticibus ſecundi generis, in quibus primas facile tenet ventus). Sicuti ergo, ſi languidâ manu ſurſum deorſumque corbis cum ovis circumagitur, decident haec cum ſublimia erunt; non quod non habeant vim propter motum ſuum circularem recedendi a centro ſui motus, ſed quod haec vis non ſatis fortis ſit, ſupereturque a majori vi gravitatis; ſic etiam in vorticibus marinis non ideo verſus centrum aguntur omnia, quod non habeant vim recedendi a centro propter motum circularem, ſed quod haec vis a majori vi prementis aquae a tergo elidatur. Unde recte dixit Carteſius: *omnia quae in orbem aguntur, quantum in ſe eſt*, etc. ſeu quantum eſt ex vi iſtius motus, quo in orbem aguntur.

Art. 63. *Vim luminis non in aliqua motus duratione etc.*] Lege hîc in capite 1. Dioptrices priores articulos, praeſertim 7. et 8. Objicit hîc Regius, conatum illum ſeu primam praeparationem ad motum, ſi ſine motu ſit, nos afficere non poſſe; ſed certe non plus habet proportionis motus ipſe in ſe, ut nos afficiat, et ſpeciem luminis in nobis ſuſcitet, quam conatus ipſe ad motum; totum quicquid hic eſt, ab inſtituto divino pendet. Vid. Metaph. noſtram in Autologia.

Art. 67. *Et ita in unum vorticem coaleſcent*] Non videtur inconveniens ſi duo ſidera ſint in eodem vortice; aut ſi placeat, tunc non unum ſed duos vortices dicere, certe non obſtat, quominus duo vortices polis ſe tangentes, in eaſdem partes convertantur; modo ſidera fere ſint aequalium virium. Nam ſi alterum notabiliter fortius ſit, ponetur caſus, de quo art. 80., adeoque ſidus minus atque debilius exprimetur per interſtitia globulorum, ejuſque materia accreſcet ſideri fortiori. Et nihil vetat, abſorptis vicinis vorticibus, aliquando hunc caſum poni, ut vortex ſideris fortioris vortexque ſideris debi-

lioris polis ſint contingentes, et in eaſdem partes converſi, unde fiat ur ſidus majus abſorbeat ſidus minus. Unde forte magnitudo Solis tanta ſupra planetas (qui et ipſi aliquando ſidera fuerunt, ſeu ſoles) ipſum circumnatantes.

*Polos cujuſque vorticis non tam vicinos eſſe polis aliorum vorticum contiguorum, quam partibus ab ipſorum polis remotis*] Ratio clara eſt ex iis quae jam ſtatim annotabamus; quia nempe, ſi duo vortices ſecundum partes ſuas circumpolares ſe mutuo tangant, nullo negotio eveniet, ut ambo hi vortices in unum confluant. Nam ſi alterum duorum ſiderum, quae centris iſtorum vorticum inhaerent, ſit fortius (quod ex facili accidet, nempe vel propter majorem molem ſuam, vel propter majorem ſuam puritatem et a maculis immunitatem), alterum abſorbebitur, confluentque haec duo ſidera in unum ſidus; quod proinde ad illum locum agetur, in quo par erit vis influentis per polos vorticis materiae primi elementi, juxta ea quae praeſcribuntur in art. 73. Ex quo etiam patet, non fuiſſe neceſſarium, ut inaequalitatem illam vorticum in hypotheſin aſſumeret Carteſius art. 47. Nam etiamſi ut partes aliquantas, ſic etiam et vortices omnes aequales poſuiſſet, ſecuta nihilominus fuiſſet illa inaequalitas vorticum ex confluxu plurium vorticum in unum aliquem; cujus confluxus exemplum jam aliquod adferebamus, et infra alia adducentur, cum de planetis et cometis agetur. Nec eſt quod objiciat aliquis, cum tanta ſit inaequalitas illa vorticum coeleſtium, ut ipſis oculis in ſitu fixarum obſervamus, non potuiſſe illam ex aequalitate vorticum omnium emanare, niſi quam plurima ſidera et ſtellae fixae jam ab orbe condito evanuerint, et vel cum aliis confluxerint in unum, vel obtectae diſparuerînt, et in planetas cometaſque abierint; hoc enim faciles largimur. Etiamſi enim tantum pauca phaenomena iſtius rei habeamus, oportet tamen conſiderare, ſpatium bis mille annorum forte (quo phaenomena omnia de quibus aliquid reſcire poſſumus, continentur) perexiguum eſſe, et longe amplius ſtatuendum eſſe ad inaequalitatem vorticum inducendam tantam, quanta hodie eſſe conſpicitur. Quod tempus huic mundo conſignare ſi quis religioni ſibi ducat (nam Chriſtianorum ſacra manifeſta reclamant), is ſciat, Philoſophi hoc eſſe munus, ut mundum hunc parteſque ejus ex ſeminibus ſuis deducat et a primis ſuis cauſis repetat. Jam autem ſacra Chriſtianorum diſerte teſtantur,

Deum hunc ordinem in fabricando mundo non fervaffe (Adamum et Evam non infantes fuiffe natos, etc. lege art. 45.), eftque id etiam veriffimum, et Philofophus in Theologia naturali aliquo usque verfatus facile affentietur; cum hoc divinae potentiae magis fit confentaneum, non fequi lentum illum ductum naturae, fed fimul et femel dare profectum, quod perficere conftituerat. Hoc nihilominus praejudicare non debet ftilo philofophico, qui res profequitur, non ut ab auctore et opifice earum factae, fed ut ab humano ingenio optime et facillime capi poffunt.

Art. 68. *At non magis requiritur ad lucem explicandam, etc.*] Praeclariffime vortices fupponuntur ad explicandam naturam luminis; hinc enim omnes ejus proprietates a priori demonftrantur, ut et hîc, et in Dioptrica fua fatis oftendit Cartefius.

*Quam ad apparentem earum fitum, ut etc.*] Cum haec etiam inter Phaenomena fit vorticum inaequalitas, expediebat illam a priori deducere; quod et facile poterat Cartefius, ut art. 47. fatis prae fe fert, et nos jam ftatim in annotatis digitum eo intendebamus, et tamen cur omiferit colligere potes ex iis, quae modo annotabamus de quorundam fuperftitione, quae femper Philofophis gravis, et cum qua plerique eorum luctari debuerunt.

Art. 69. *Ex his autem cognofci poteft, etc.*] Tres vortices, feu tria vorticum genera in Cartefiana machina obfervari debent. Primus eft materiae primi elementi vortex, quo illa e fidere, per partes circumeclipticales vorticis fecundi elementi, continuo effluit, et per partes circumpolares in vicinum vorticem influit in fidus iftius vorticis, indeque rurfum per partes eclipticales abit, et ita porro per medios vortices plures aut pauciores (determinare enim hîc numerum aliquem non eft humani ingenii), donec reftituatur initio. Eft hic vortex omnium ampliffimus, inftituiturque per interftitia globulorum fecundi elementi. Secundus vortex eft materiae fecundi elementi circa fidus fuum centrale, qui planetas et cometas circa ipfum defert. Tertius item eft fecundi elementi vortex, qui planetam fecundarium defert circa planetam primarium, de quo infra ubi de planetis; eftque hic duobus reliquis longe minor.

Art. 70. *Atqui materia primi elementi, etc., tanta vi protrudit globulos, etc.*] Hîc prima caufa cur vortex vorticem, cujus partes

circumpolares partibus suis eclipticalibus radit, non absorbeat.

Art. 71. *Sed ex adverso vis quam habent, etc.*] Hîc secunda causa ejusdem rei. Vortices ergo omnes sic sunt constituti, ut vel eclipticae eclipticas, vel eclipticae polos aut prope contingant; non autem sic, ut poli polos tangant. Sic enim jam diu abiissent in unum verticem, ut satis patet ex supra annotatis.

*Quia ubique fere aequales invenit vias etc.*] Fere, inquam; non sunt enim prorsus aequales. Cum enim globuli omnes in vortice non sint aequales, sed superiores inferioribus majores (ut infra ubi de regionibus vorticis ad art. 82. et seqq.), necessum est ut interstitia globulorum (quae sunt meatus et velut canales quidam, per quos materia primi elementi jugiter e sidere ad eclipticam vorticis et parallelos ejus effluit, rursumque per polos alterius vorticis influit) etiam inaequalia sint, et multo ampliora circa circumferentiam vorticis, quam circa centrum et sidus. Quo etiam facit, quod materia primi elementi e sidere per interstitia globulorum excussa, circa sidus pressius et conjunctius feratur, ad circumferentiam autem vorticis quasi in immensum dispergatur (nam lineae rectae ductae a centro ad circumferentiam, quo longius abeunt a centro, eo etiam longius abeunt a se invicem, magisque inter se divaricantur). Unde necessum est, ut motus primi elementi a sidere versus circumferentiam vorticis profluentis multo tardior sit ad circumferentiam vorticis, quam circa ipsum sidus. Quod igitur materia primi elementi non cohibeatur intra limites istius vorticis e cujus sidere effluxit (sicut materia secundi elementi), sed ulterius se insinuet in alios vortices per partes circumpolares eorum, referri debet in magnam vim, qua ex sidere primum excutiebatur, quam sc. vim diffusio ejus per tam ampla spatia non obtundat; cum contra vis secundi elementi recedendi a centro vorticis non sit tanta, quin diffusione sui per spatium multo amplius, vehementer obtundi possit, adeoque ea vi, quam habet permanendi in solita sua celeritate, cohibeatur intra certos limites, nec quantumvis longe in polos alterius vorticis incurrat. Quo etiam facit tertia quaedam ratio (cujus hîc Cartesius non meminit); quod nempe materia secundi elementi secundum partes circumeclipticales unius vorticis valde oblique incurrat in partes circumpolares alterius vorticis, et quasi per affrictum tantum pertranseat; adeoque parum

habeat virium ad eas fecum abducendas: praefertim cum circa polos valde tarde moveantur globuli, adeoque habeant fe inftar corporis majoris quiefcentis.

Art. 72. *Adeo ut fingula ejus ramenta lineas fpirales defcribant*] Ea quidem quae ad axem propius feruntur, magis intortas fpiras defcribunt; quae vero longius recedunt ab axe, fpiras ampliores defcribunt; ut manifeftum eft ex commixtione motûs recti et circularis. Motûs recti quidem, quo ipfa ramenta, quantum eft de fe, recta feruntur per triangulares fuos inter globulos canales (et abfolute recta ferrentur, fi vortex quiefceret nec circulariter moveretur); circularis autem, qui iis communicatur a circumgyratione vorticis (et quoque fimpliciter circumirent, fi eodem loco in canalibus fuis manerent, nec a partibus circumpolaribus per canales fuos ad medium vorticis procederent). Sed nota, fpiras illas, quae fatis longe abeunt ab axe vorticis, vix mereri nomen fpirarum; nam v. g. materia primi elementi, quae influeret a partibus vorticis verfus polum per circulum orbitae telluris parallelum, anno integro tantum partem aliquam fpirae conficere poffet; non eft autem verifimile, materiam primi elementi influentem in vorticem tantum temporis impendere antequam pertingat ad Solem.

Art. 73. *Sed ita longius progrediendo ejus vis minuetur*] Quomodo minuetur, cum motus nullus intereat? Refp. In via tranffertur motus obviis particulis, tum primi tum fecundi elementi, adeoque longâ morâ languefcit ea vis, qua primum ex fidere extundebatur. Materia enim primi elementi varie vim fuam infumit, ut patet ex art. 76., adeoque quo longius progreffa eft a fidere, eo etiam debilior eft; donec rurfum per magnum fuum verticem in aliud fidus influens, denuo quafi animetur.

*Hoc ipfo corpus S nonnihil accedet verfus O*] Atque hinc apparet aphelion et perihelion Telluris. Terra enim remotiffima eft a Sole in illa orbitae fuae parte, quae figno Capricorni fubjicitur. Unde, cum Sol tunc appareat ex adverfo effe in figno Cancri, quando nobis feptentrionalibus aeftas eft, fit ut medius annus nofter aeftivus novem circiter diebus longior fit, quam medius nofter annus brumalis. Terra enim in illa orbitae fuae parte, quae fub Capricorno eft, quaeque longius a Sole recedit, novem diebus diutius moratur quam in oppofito arcu, utpote qui minor fit arcu aeftivo Telluris, propter

ſc. acceſſum Solis ad brumalem arcum et receſſum ab aeſtivo a centro orbitae Telluris.

Art. 76. *Notandum deinde, etc.*] Breviter hîc recapitulantur motus illi, quos habet materia primi elementi. 1. Vehementiſſimum habet motum in ſideribus, cauſatum a globulis ſecundi elementi, qui initio per receſſum ſuum a centris vorticum eam verſus ea centra maxima vi expreſſerunt (vi art. 50. 51. 54.). Hanc vim motus retinet in ſideribus, cum motus nullus intereat (quamvis aliquid etiam iſtius motus tranſferat in globulos ſecundi elementi circumjacentes, ut ante vidimus). 2. Habet motum rectum a ſidere, verſus circumferentiam vorticis a partibus circumeclipticalibus ſideris ad partes circumeclipticales vorticis. 3. Habet motum rectum a circumferentia vorticis ex quo ſic exivit, per partes circumpolares alterius vorticis, in partes circumpolares ſideris. 4. Habet motum ſuper circulo, vel portione circuli, dum e ſidere fertur verſus circumferentiam vorticis, et hic motus contemperatus eſt cum ſecundo motu. 5. Habet motum ſub ſpira vel portione ſpirae, quando a partibus circumpolaribus vorticis ſecundum axem et lineas parallelas axi fertur ad medium vorticis, et hic motus contemperatus eſt cum tertio motu. 6. Habet motum agitationis, qua minutiarum ſuarum figuras aſſidue mutat, ut omnes exiguos angulos per quos tranſit, accurate poſſit implere.

*Unde fit ut ejus vis valde diviſa debilior ſit*] Ratio redditur, cur materia primi elementi, ubique in interſtitiis globulorum divagata, non habeat vim illam quam habet in Sole, excitandi nempe in nobis ſenſum luminis, caloris, etc. Nempe vis ejus etiamſi valde magna ſit, tamen etiam valde diſperſa eſt; praeſertim ob ultimum ejus motum, quem mox annotabamus. Sicut igitur aqua fluminis non tantum habet virium ad dimovendum repagulum aliquod vel cataractam, quantum navis quae ſecundo flumine vehitur (eo quod hujus vis unita, illius magis diviſa ſit), ſic etiam materia primi elementi, quamvis magnas vires habeat in interſtitiis globulorum (ut ſatis patet cum particulae quaedam terreſtres in ea natant; tunc enim ſenſum luminis et caloris in nobis efficit, ut part. 4. demonſtratur), quamdiu tamen ſic diſperſa eſt, non valet ſatis ad ſenſum nobis excitandum.

*Propter conſenſum omnium ſuarum partium*] Tum etiam quia ex amplioribus viis per anguſtiores appellit ad Solem (in quibus anguſtiis

motum ejus concitari et accelerari neceſſum eſt, ut part. 2. art. 33. motus in E quam in G celerior eſſe demonſtratur). Interſtitia enim globulorum ad circumferentiam vorticis ampliora, circa Solem anguſtiora ſunt; adde quod et cogi videatur, arctiuſque ſecundum partes ſuas ſibi conjungi, dum ex ampla circumferentia vorticis contendit in ſpatium circumcentrale anguſtius; unde neceſſum apparet, materiam primi elementi ſub ingreſſum ſuum in ſidus, et paulo ante, concitatiſſime moveri.

Art. 78. *Illa vero, quae ſupponitur jam eſſe in H, tendet verſus C*] Nempe a medio vorticis ad circumferentiam. Quod videtur eſſe contra art. 54.; ibi enim demonſtratur, materiam primi elementi, quae ad implenda interſtitia globulorum ſuperflua erat, ad centra vorticum fuiſſe propulſam, motu prorſus oppoſito ei motui, qui hîc materiae primi elementi adſcribitur. Sed nulla eſt repugnantia; ibi enim quid primo factum ſit (cum adhuc bonam partem motus ſui primum elementum a ſecundo reciperet juxta art. 51.) demonſtratur, hîc vero quid jam fieret (quando nempe materia primi elementi in Sole vehementiſſimam illam impreſſionem a ſecundo elemento ſuſcepit), ſi inter globulos verſus eclipticam materia primi elementi interſtitiis implendis ſuperflua verſaretur, oſtenditur. Hoc tamen tantum accipio de materia primi elementi, quae jam ſtatim egreſſa e Sole, vim illam adhuc retinet, qua extruſa eſt verſus circumferentiam vorticis. Nam ſi materia primi elementi iſtarum virium expers (puta in planeta aliqua minime ſolido et tenui admodum cortice circumdato) ibi verſatur, non dubium quin impetu globulorum ſecundi elementi a centro recedentium, et ſe a vicinia Solis perpetuo ſubducere nitentium (juxta art. 55.), trudenda ſit verſus Solem, eumque acceſſione ſua auctura.

Art. 80. *Ut neque materia primi elementi, quae eſt in N; ipſa enim paratiſſima eſt ad eundum verſus S*] Materia primi elementi interſtitiis globulorum implendis ſuperflua, quae circa axem vorticis conſiſteret, eodem modo jam conflueret ad ſidus centrale, ſicut initio confluxit, cum vortices primum formarentur (eſt autem aliqua diverſitas in materia primi elementi interſtitiis implendis ſuperflua, conſiſtente ad eclipticam et parallelos, ut modo annotavimus ad art. 78.). Tunc enim per receſſum ſecundi elementi a centro vorticis, omnis materia primi elementi, quae ſub ecliptica et parallelis, interſtitiis

globulorum implendis ſuperflua erat, verſus centrum expreſſa fuit; et vi iſtius preſſionis circa centrum vehementiſſime contorta et reflexa incurrit utrimque verſus polos; ibidemque globulos qui circa axem erant impellens, omnem etiam materiam primi elementi, quae in axe vorticis et circa illum interſtitiis globulorum implendis ſuperflua erat, iſto impetu expreſſit, et ſibi appoſuit. Hoc autem pacto, ſi ibi adhuc talis ſuperflua reperiretur primi elementi materia, adhuc etiam verſus ſidus exprimeretur.

Art. 81. *Ita nunc ad ſummum iſta vis poteſt eſſe aequalis*] Recte ad ſummum, quia fieri facile poſſet ut ne ſic quidem aequalis eſſet; et pendet ex eo, an materia primi elementi majori vi per polos ſideris influat, quam per eclipticam ejus effluat (quod veriſimile propter anguſtiam viae quae ad ſidus appellit). Hoc enim poſito facile invenitur compenſatio, ut globuli circa axem proportionate non minori vi impellendi ſint quam circa eclipticam.

Art. 82. *Eos qui proximi ſunt centro cujuſque vorticis, minores eſſe*] Nempe qui majores ſunt, et hoc ipſo ſolidiores, habent etiam majorem vim recedendi a centro; adeoque ſemper etiam minores ſunt inferiores, id eſt, centro vortices propiores. Nec hoc tantum de centro, ſed de tota axe dicendum videtur; cum enim nihil aliud ſit, quod majores globulos magis removeat a centro quam minores, quam vis motus circularis, conſequenter, ubi vis illa magis viget (ad eclipticam et parallelos proximos), ibidem maximi globuli eſſe debebunt; ubi autem vis iſta minime viget (circa centrum et axem totum), ibi minimi omnium eſſe debebunt. Cum vero circa ipſum ſidus propter vim, qua id ſe contorquet et vicinos globulos ſecum abripit, adhuc ſatis vigeat iſta vis, ſequi videtur, globulos ibidem non minores eſſe poſſe, quam circa reliquum totius axis ipſius vorticis. Sequi etiam videtur, globulos in circumferentia vorticis, ad parallelos diſſitos ab ecliptica, minores eſſe quam ad eclipticam et parallelos vicinos, niſi in ſuprema regione vorticis valde magnus numerus ſit globulorum aequalium.


Art. 83. *Et quod ſpatium in quo tanquam in vortice etc. non ſit accurate rotundum*] In hoc videtur Carteſius recedere a Democrito. Ponebat enim hic mundos innumeros (ſic vortices vocebat non prorſus ineptâ nomenclaturâ), qui quotidie orirentur et interirent (in quo ipſo nihil eſt alienum a philoſophia Carteſii, nam, et vortices abſorberi a

vicinis vorticibus, et planetam aliquem corticem fuum excutere, rapidiffimeque circumjacentes globulos, ut olim facerat, contorquere et in gyrum fecum abripere, adeoque novum fibi vorticem formare, nihil habet a noftri fententia quod nimis alienum fit). Sed intermundia ponebat Democritus, feu triangulare fpatium inter tres vicinos vortices comprehenfum; haec autem intermundia Cartefius non agnofcit, qui vortices rotundos non conftituit, fed materiam diverforum vorticum ita confpirare, ut inaequaliter excurrendo, et alibi amplius et alibi anguftius fpatium conficiendo, omne id quod intermundiis, feu *intervorticiis* datum effet, id ipfi vortices fibi habeant.

Art. 85. *Fieri tamen non potuit lapfu temporis, ob inaequalitatem fpatiorum etc., quin aliqui aliis minores evaderent*] Hinc enim factum eft, ut alii aliis celerius moveri inceperint juxta art. 83. Celerius moti plus etiam virium habuerunt juxta art. 43. part. 2., adeoque tantum potuerunt ut alios globulos, etiamfi forte aequales, in quos fatis magni vi impingebant, diffringerent, vel etiam ab iis in quos incurrebant, diffringeruntur. Quanquam magna vis, aut potius immanis vis ad illud requiratur, ut globus ab incurfu alterius globi diffringatur, aut parte aliqua fua mutiletur; quamvis enim facile hoc contingat in globis noftris ligneis, lapideis (qui revera non funt globi), hoc tamen trahi non debet ad globulos illos veros, et in totum folidos, in quos fecundum elementum conformatum eft. Quamvis igitur hoc olim, cum confufe inter fe adhuc agitarentur, factum effe concedi poffit, hodie tamen cum in vorticofum motum omnes confpirant, nec amplius ita in fe mutuo illiduntur, hoc fieri eft ftatuendum, manentque regiones omnes vorticis in eadem fua amplitudine. Tantum unus cafus eft, quo globuli aliqui fecundi elementi frangi poffint; cum nempe unus vortex alium vorticem abforbet, et fecundum majufculos fuos globos impingit in globulos minutiffimos circa centrum vorticis quem abforbet confiftentes; hi enim cum admodum parvi, adeoque et parum folidi funt, facile conteruntur quoad partem aliquam a majoribus globulis in circumferentia vorticis irruentis confiftentibus. Adeoque hic eft modus unus, quo fecundum elementum pro parte aliqua redigi poffit in primum; modus autem quo viceverfa primum aliquando converti poffit in fecundum aliquis attingitur ann. 100., cum nempe pars aliqua primi elementi in maculas converfa,

poſtea maculis diſſolutis convertitur in aetherem, et particulae aetheris quibuſdam diſſectis occurſu globulorum exſtantis rediguntur in ſecundum elementum.

Art. 86. *Praecipue quidem ferri verſus Solem*] Ne enim alio tam libere feratur, impeditur a materia primi elementi ad eclipticam et parallelos ejecta e ſidere; diſpergitur enim materia primi elementi a ſidere per pyramides, quarum coni ſunt in ipſo ſidere; quales hic in plano exhibentur. Duae nempe pyramides, B A D et C A E, quarum coni ſunt




in A A, ſeu in circumferentia ſideris, hae igitur pyramides (ſeu materia primi elementi ſic pyramidaliter ad eclipticam et parallelos vorticis a ſidere per interſtitia globulorum ejecta) impediunt ne materia primi elementi veniens a partibus circumpolaribus G H ſecundum axem, et lineas axi parallelas ad medium vorticis, poſſit tam libere ſecundum rectas illas lineas, quas inchoaverant, pergere; ſed quo profundius in medium vorticis penetrant, hoc magis arctantur et verſus ſidus deflectuntur, ut manifeſtiſſime apparet in iis, qui veniunt a 2. et 3., item a 4. et 5.


*Sed plurimas tamen etiam ipſius partes per totum vorticem diſpergi*] Nempe quaedam particulae primi elementi venientes a 2 G 3 ſatis multum habent concitationis, ut a lineis rectis axi vorticis parallelis non reflectantur a lateribus pyramidis B A C, aut certe illa non multum deflectant a lineis illis rectis, quas inſiſtere inceperant; hae particulae autem cum intra crura pyramidis B A D aut C A E irruperunt, ſequuntur pro maxima parte curſum materiae primi elementi, quae ibidem inter interſtitia globulorum tendit ad circumferentiam vorticis.

*Atque inde ad alios C, O, et ſimiles tranſire*] Modum jam oſtendimus; cum nempe inter crura pyramidum B A D et C A E utrimque a G et H procurrit, ſequitur deinde torrentem materiae primi elementi, quae intra dictas pyramides abſiſtit a ſidere, et fertur verſus circumferentiam vorticis ad partes polares adjacentium vorticum (in textu C, O).

Art. 89. *Ex quibus idcirco expelli ſolent in viam iſtius motus recti*] In partibus vorticis ſub ecliptica et parallelis fiunt motus in materia primi elementi magis obliqui, et varii (ut Carteſius jam ſtatim dixerat). Obliqui quidem, dum materia primi elementi quaſi tranſverſim nititur contra raptum globulorum circularem, procedens a ſidere ad circumferentiam vorticis; varii autem motus, quia ibi concurrunt particulae primi elementi e ſidere tendentes ad circumferentiam vorticis, et particulae venientes a particulis circumpolaribus ad medium vorticis, quae ibidem etiam in ſe mutuo quaſi tranſverſim et oblique impingunt, ut patet ex annot. ad art. 86., unde neceſſum et materiam primi elementi in iſtis partibus vorticis valde concitate et varie torqueri. Ex quo Carteſius recte infert, particulas illas ejus minus aptas ad motum inde exturbandas eſſe, et verſus axem, ubi motus rectior et ſimplicior eſt, nec ita concitatus, detrudendas, ſecuti videmus agitatione tritici in vanno paleas, quae minus aptae ſunt ad motum iſtum, expelli. Ad haec tota materia primi elementi in vortice gyrat circa axem, et celerius per interſtitia globulorum circulum aut portionem circuli abſolvit circa axem vorticis, quam ipſi globuli ſecundi elementi; unde ſequitur ex lege motus circularis, quod partes ſuas minus aptas ad illam circumgyrationem debeat circa axem deponere. Sicut autem globuli ſecundi elementi minores hac de cauſa ad axem deponuntur, dum totus circulus eorum circa axem vorticis convertitur; ſic particulae craſſiores primi elementi, caeteraeque irregularium figurarum ad eundem axem detruduntur; hae enim minus aptae ſunt, ut per interſtitia globulorum circuitum ſuum peragant. Quae contrarietas omnino notatu digna eſt; nempe primum elementum majuſculas ſuas partes ad primum elementum detrudere, ubi vice verſa ſecundum elementum majuſculos ſuos globulos ad circumferentiam jactat. Cujus contrarietatis cauſa eſt, quod globuli expeditâ viâ ferantur, ramenta autem primi elementi per obliquas et anguſtas, nempe quas inveniunt in interſtitiis globulorum. Hinc enim fit, ut quod minus eſt in his ramentis, aptius ſit ad continuandum ſuum motum, contra quod majus eſt in globulis, aptius ſit ad perſiſtendum in ſuo motu.

Art. 90. *Debent induere figuram in ſua latitudine et profunditate triangularem*] Cogita oblongum canalem, cujus orificium ſit ſpatium triangulare A B C inter tres globulos interceptum. Nempe cogitabis

a tergo trium globorum rurſum tres tales globos conſiſtere, relinquentes itidem inter ſe tale ſpatium triangulare, recta cum priori continuatum; poſt hoſce tres denuo alios tres, etc. Cogitabis jam etiam iſtius canalis orificium illud A B C pertinere ad circumferentiam




vorticis ad partes circumpolares; oppoſitum ejuſdem canalis orificium pertingere ad ſidus quod eſt in medio vorticis. Cogita jam canalem iſtum repletum eſſe argillâ vel cerâ molli, quae per eum trahatur ab orificio A B C ad oppoſitum orificium. Clare videbis, hanc materiam ſeu ex cera ſeu ex argilla formatam eſſe in columnam, ſecundum latitudinem ſeu craſſitiem ſuam triangularem.

*Quantum autem ad longitudinem, non facile eſt ipſam determinare*] Non eſt exiſtimandum, talem aliquam columnam, qualem jam deſcripſimus, ex materia primi elementi, a partibus circumpolaribus extendi uſque ad ſidus per deſcriptum modo triangularem canalem. Non ſuppetit enim tam multum materiae primi elementi, quae ibi tam apte coaleſcere poſſit (nam omnium minimae minutiae iſtius materiae iſtum coalitum non ferunt; utpote quae debeant imbibere omnem illum motum, quem particulae craſſiores inter coaleſcendum deponunt). Ad

haec globulorum inter fe agitatio, qua fecundum elementum tam excellenter fluidum eft, multis in partibus continuo canales tales abrumpit, et faepe triangulare illud fpatium non continuatur, fed globo aliquo directe propofito occluditur, etiamfi denuo facile refe-retur; adeoque tantum partes quaedam talium columnarum funt, nonnullae tamen et ipfae longitudinis, quam longitudinem, ut Cartefius bene dicit, non eft humani ingenii tam praecife determinare.

*Tribus ftriis in modum cochlearum intortis*] Cogita jam illam columnam, de qua paulo ante dicebamus, dum fic trahitur per canalem fuum ab orificio A B C ad oppofitum orificium, interea converti circa axem fuum; clare videbis, non tantum triangularem fore, fed angulos ejus intertorquendos effe per modum trium ftriarum.

*Ita ut gyrando etc.*] Intorquentur ergo ifti anguli fic cochleatim, feu fpiratim, quod columnulae illae, dum recta procedunt a circumferentia vorticis ad fidus per defcriptos fuos canales, fimul convertant fe circa axem fuum.

*Quippe ex eo quod fint etc.*] Caufa affignatur, cur convertant fe circa axem fuum in iftis canalibus fuis, et cur non tantum rectâ procedant verfus fidus. Nempe globuli fecundi elementi gyrant circa axem vorticis, et confequenter multae tenuiores particulae primi elementi in eundem gyrum torquentur, celeriufque per interftitia globulorum ab Occidente in Orientem quam ipfi globuli abreptae, impetum faciunt in illas columnulas, in quas ifto motu oblique et quafi tranfverfim incidunt; cumque eas ex canalibus fuis deturbare non poffint, convertunt eas faltem circa axem earum. Quo etiam non parum facit magna vis movendi in ipfis columnulis, quam cum totam impendere non poffint in motum rectum per canales fuos, partem aliquam conferunt in hanc circa axem fuum converfionem.

*Dum interim ipfi alio motu circa polos coeli rotantur*] Motus circularis circa axem fuum, dum interea angulares columnulae rectâ pergunt a polo ad fidus, non eft fatis ad hoc comparatus, ut angulos in iftis columnulis fpiratim intorqueat. Nam imprimis canales integri (quos fupra defcripfi hoc eodem art.) circa axem vorticis convertuntur, in quibus proinde columnulae illae integrae convertentur, nec hoc pacto magis intorqueri poterunt in fpiras, quam fi canales ipfi quie-

fcerent. Secundo deberent columnulae extrema fua parte adhaerere circumferentiae vorticis, dum altero extremo procederent ad medium; ficut videmus duos funes tenuiores fpiratim fibi intorqueri, dum alteris extremis rotae quae convertitur alligantur, alteris vero extremis rectae abducuntur a rota. Et tertio, ut hoc fieret, cum vortex totus valde lente circumvolvatur, et praefertim etiam circa axem in notabili diftantia a fidere, non poffent nifi ampliffimae fpirae et vix quidquam intortae, idque in longiffimis tenuiffimifque columnis, hoc pacto comparari; quales fpiras fingula ramenta, quae a partibus circumpolaribus ad fidus affluunt, defcribere dixit art. 72. Hae vero fpirae plurimum differunt ab iis, quibus particulae ftriatae intorquentur; et fpirae de quibus praedicto art. 72., defcribuntur quidem a particulis ftriatis feu earum motu, fed non funt in ipfis. Hae vero fpirae, de quibus hoc art. 90., funt in ipfis particulis ftriatis impreffae tanquam earum figurae.

*Et quidem magis vel minus intortas, prout tranfeunt etc.*] Quae circa axem tranfeunt particulae ftriatae, eae tranfeunt per interftitia globulorum minorum (vid. annotat: art. 82.), adeoque ftriae earum magis preffae funt; quae vero tranfeunt per canales remotiores ab axe, fimul tranfeunt per interftitia globulorum majorum, adeoque et ipfae majores, et earum fpirae laxiores funt. Quod bene notandum eft, quia particulae ftriatae, quae inter globulos majores verfantur, non quadrant meatibus illis, qui particulis ftriatis circa axem et inter globulos minores verfantibus quadrant; hujus autem poftremi generis funt, quae ad fidus appellunt.

Art. 91. *Ac etiam ex eo quod ipfae veniant*] Imaginare tibi columnam illam, de qua art. praecedenti, ex cera molli vel argilla; finge illam, dum rectâ ducitur a circumferentia vorticis ad medium, fimul circa axem fuum converti. Cumque haec columna educta fuerit, finge, per eundem canalem a medio vorticis ad circumferentiam, aliam fimilem columnam duci, quae fimiliter circa axem fuum, inter rectâ procedendum convertatur, idque in eafdem partes ut prior, nempe verfus orientem. Intelliges clare, fpiras in hifce duabus columnis contrario modo intortas effe debere. Atqui ficuti fe habent hae duae columnae, fic clariffime intelliguntur fe habere particulae ftriatae ab Auftro venientes ad medium vorticis, et par-

ticulae ſtriatae ab oppoſito polo ad idem vorticis medium delatae.

Art. 94. *Ob figuras angulosas molemve nimis magnam etc.*] Nota hîc rurſum contrarietatem illam inter primum et ſecundum elementum, quam ad art. 89. annotavimus. Nempe maxima vis primi elementi eſt in centro, et maxima vis ſecundi elementi eſt in circumferentia; unde quo particulae primi elementi, ex quo Sol conſtat, magis appropinquant centro Solis, eo puriores, eo minores, celerioreſque ſunt; tum motu circulari quo circa axem vertuntur, tum innumeris agitationibus quo inter ſe rapiuntur; conſtituentes ibidem corpus longe fluidiſſimum et limpidiſſimum. Hinc fit ut illae particulae circa centrum ejiciant verſus circumferentiam omnia ramenta paulo majora, vel irregulariora quoad figuram, eo quod haec in ſimiles motus conſentire laborent; unde materia primi elementi in circumferentia Solis minus pura eſt.

*Eadem enim ratione, qua videmus aquam etc.*] Forte cogitabis, minus motûs eſſe in fundo ollae, in qua aqua ebullit, cum tamen Carteſius hîc ſupponat plus ibidem motûs eſſe; unde fiet ut ſpuma, tanquam quae conſtet particulis minus aptis ad celerem iſtam agitationem, ſurſum egeratur. Nam ſepoſita olla ab igne, manum innoxie ſupponunt, cum tamen in aqua adhuc bulliente intolerabilis fervor ſit. Reſp., etiamſi in ipſo ollae fundo non ſit maximus fervor, hunc tamen eſſe in aqua, quae proxime fundo incumbit. Nam particulae tertii elementi primo elemento innatantes, in quibus natura ignîs conſiſtit (ut part. 4. demonſtratur), faciliores vias et meatus ad perſeverandum in motibus ſuis inveniunt ſibi in aqua quam in ollae ipſius corpore; unde in olla non manent tantâ copiâ, ſed eam percurrentes, tranſfundunt ſe in aquam, quam et in bullas attollunt. Faciliores tamen vias in olla quam in aëre habent; unde ſi olla ex ſtanno facta eſt, et ſine aqua ſimilive liquore igni imponatur, liqueſcit, eo quod praedictae particulae, in meatibus ejus manentes, et aëre, quem difficilime pervadunt, repulſae, compagem ipſius ſuo motu diſſolvant. Ex quo incidenter (non eſt enim hujus loci) hoc etiam intelligis, quod magnopere mirantur ignari, cur tenſo linteo ſuper plano operculi ſtannei (quali pocula noſtra cooperiri ſolunt) eique arcte appreſſo, ſi carbones vivi imponantur, nulla labes inferatur, cum interea ipſum operculum, quod linteo ſupponitur, intenſe valde efferveſcat. Nempe

particulae praedictae ignem conſtituentes non manent in linteo, ob incommodas vias ortas ex flexibilitate ramulorum quibus conſtant particulae lintei, ſed praeterlabentes effundunt ſe in ſtannum; paratiores tamen vias in linteo quam in aëre inveniunt, unde ſi praedictum linteum non ſatis appreſſum ſit operculo, ſed v. g. plica aliqua extuberet, ſtatim a carbonibus impoſitis aduritur. De his infra part. 4., cum de igne dicetur, plura adferentur.

Art. 95. *Cur Solis maculae non ſoleant apparere circa ejus polos*] Nempe materia Solis a polis, et a toto axe velut a fundo ſuo, ebullit ad circumferentiam; ibi enim plurimum motûs eſt in corpore ſolari, ut praeced. art. annotavimus. Ejicitur ergo ſpuma iſta maculoſa potiſſimum ad partes quae maxime diſtant ab origine et ſumma intentione iſtius ebullitionis, id eſt, ad eclipticam et circum.

*Si non tam celeriter quam ejus ſubſtantia, etc.*] Maculae iſtae Solem circumeunt ſpatio 26. dierum, ut habetur ſupra art. 32. Cum vero Sol ſit valde magnus (nam qui inter Aſtronomos minimam ei magnitudinem dederunt, nominatim Copernicus, trecentis quadraginta tribus vicibus Terram ſuperare dixerunt), inde ſequitur, maculas illas valde celeriter circa ipſum ferri, proportione inſtitutâ ad maculam Terrae, quae Terram ſingulis diebus circumit. Unde ſi diceremus, ipſam Solis ſubſtantiam non ferri celerius in circumferentia ſua, ſatis rapidus motus ei datus eſſet; quandoquidem ſimilis materia, quae eſt ſub hoc cortice terreſtri quem inhabitamus, ſingulis tantum diebus in circumferentia ſua, tanto quam Solis circumferentia minore, ſe circumvolvat. Unde forte argumentum aliquod duci poſſet certius aliquid de magnitudine Solis concludendi; cum enim Tellus maculam ſuam ſingulis diebus, Sol 26. diebus circumagat, ex proportione iſta motûs non male deſumi videtur proportio magnitudinis.

Art. 96. *Plerique liquores eandem ſpumam, quam initio etc., reſorbent et abſumunt*] Nam diu bulliendo tandem majuſculas illas et inordinatas ſpumae particulas diſtringunt, et in ſimiles minutias redigunt, ex quibus liquor ipſe compoſitus eſt. Hae vero ſimiliter aptae ſunt ad motus illos obeundos, quos reliquae particulae liquoris inter ebulliendum obeunt; ideoque cum his commiſcentur, quo caſu dicimus ſpumam abſumptam eſſe et abſorptam.

*Partimque per coelum vicinum diſpergi*] Quod rudimenta illa ma-

cularum diſſolutarum et fragmenta in locum globulorum his ipſis fragmentis (ut part. 4. art. 8. demonſtratur) ſolidiorum agitantur, forte difficile alicui videatur. Habent autem globuli Solem circumſtantes propter majorem ſuam ſoliditatem plus virium ad recedendum a Sole, et haec eorum vis etiam intenditur a materia primi elementi per interſtitia eorum ex corpore ſolari dimanante. Solvitur difficultas, ſi cogitemus fragmenta illa macularum ex profundiore Solis ſubſtantia, ubi maculae prius abſorptae diſſolutae fuerunt, ſumma vi excuti in ſuperficiem Solis, et eâdem illâ vi ulterius pergere, globuloſque quoſdam de loco movere atque in horum loca ſe intrudere; globulis illis verſus Solem adactis, ibidemque per circulum locum illum implentibus, quem macularum fragmenta deſeruerant. Non enim major vis movendi deſumenda tantum eſt a majori ſoliditate corporis, ſed etiam a majori celeritate (vid. part. 2. art. 43.); jam autem in profundo Solis, unde fragmenta iſta macularum diſſolutarum emergunt, vehementiſſima vis eſt, ut paulo ſuperius annotavimus, quae his fragmentis impreſſa elevat ea ſupra aliquos globulos, quibus tamen minus ſolida ſunt; quae vis tamen non ſufficit ad ea quantumvis longe a Sole removenda (vid. part. 4. art. 9.).

Art. 99. *Cum autem maculae diſſolvuntur, non abeunt in minutias plane ſimiles etc.*] Sicut nimirum corbis viminibus compoſitus, aut veſtis ex filis contexta, dum quavis de cauſa teritur et frangitur, non rurſum in vimina illa aut fila ſolvitur, in quibus primum conſtructa eſt, ſed in partes ramoſas, et irregularium figurarum. Ibi nempe franguntur, ubi minor ſoliditas eſt; jam autem iſta minor ſoliditas non ſemper ibi eſt, ubi primum coaluerunt (poſſunt enim aliquando ſecundum ſatis magnam ſuperficiem coaleſcere), ſed etiam aliis in locis, ubi particulae integrae erant ante cohaeſionem.

Art. 100. *Aëri, ſive potius aetheri, Terrae circumfuſo non abſimilem*] Aër ſeu aether habet ſe ſicut fumus ex magno illo et vaſto igne, qui ſidus componit, exhalans. Naſcitur enim ſimiliter ex particulis tertii elementi in igne ſidereo diſſolutis, et ingenti vi qua in illo igne agitabantur, erumpentibus; ſicut fumus in noſtro igne (quod parte 4. videbitur) ſimili aliquo modo excitatur. Etiamſi quoad multa etiam ſit diverſitas aliqua; nam et particulae quae ex noſtro igne in fumum abeunt, aut ſimiles, igni noſtro neceſſariae ſunt, utpote qui ſine his

exftingueretur; illae vero particulae, quae ex fidere quafi exhalant (id eft, fragmenta macularum diffolutarum) non funt fideri neceffariae, quod fine his etiam purius et perfectius effet. Ad haec ignis nofter invenit illas particulas quae in fumum abeunt, aut ex corporibus adjacentibus elicit; fidus vero particulas illas, quae in aetherem abeunt, in fe ipfo et ex fua fubftantia generat. Plura de hoc aethere feu fumo, et quomodo ex illo qua parte craffior eft, terra interior, aqua et terra exterior; qua parte vero tenuior eft, aër, folâ preffione globulorum fecundi elementi, qui illum fupra maculam Telluris coëgerunt appresferuntque, vide defcriptum part. 4. art. 32. et feqq.

Art. 101. *Nifi in priora illa impingendo partem fuae agitationis amitterent, etc.*] Duo funt loca ubi fit adhaefio particularum primi elementi: nempe in fidere, dum ibidem particulae ftriatae, et aliae quaedam majores angulofae aliterve ad motum minus aptae in maculas conteruntur; alter locus eft in via illa recta, quae materiam primi elementi a partibus circumpolaribus vorticis deducit ad medium coeli (vid. art. 89. et feqq.), ibi enim fit cohaefio plurium particularum in unam particulam ftriatam. Secundum autem elementum non cohaeret facile, nec inter fe (funt enim globuli, nec nifi in puncto fe tangunt), nec cum materia primi elementi, ut quae rapidiffime circum globulos illos fertur; nec cum materia tertii elementi, quia globuli circa centra fua continuo rotantes, cohaefionem fui cum vicinis corporibus impediunt. Quo etiam facit exiguus contactus, quo quaevis corpora tantum modica fuperficie propter globofitatem fuam contingunt. Initium igitur cohaefionis eft in materia primi elementi; et recte monet Cartefius, non poffe illam cohaefionem fieri fine aliqua tranflatione motus, quem transferant cohaerentia in minutias interceptas. Minus enim moventur dum cohaerent, quam dum circa fe invicem moventur. Cum vero motus non intereat, neceffum eft ut, quantum cohaerentibus difcedit, tantum aliis aliquibus accedat motus; adeo ut, cum maculae generantur in fidere, neceffum fit reliquas particulas fideris celerius moveri quam ante, nam motum quem cohaerendo deponunt, in alias particulas transferunt. Hinc intelliges quo modo capiendae fint ifta regulae motûs de quibus part. 2. art. 46. et feqq., praefertim regulae. 2., 3., 5. Cujus tamen contrarium ibi docetur (et v. g. fecundâ regulâ diferte dicitur: *et utrumque verfus*

*sinistram eadem celeritate moveretur*), apparens illa ἀντιλογία facile solvitur; nam parte secunda, circa regulas illas motus, Cartesius supposuerat vacuum per quod corpora ista, de quibus ibi agit, moverentur; cui proinde motus nullus imprimi posset a corporibus post contactum cohaerentibus, et per consequens corpora cohaerentia totum sibi motum retinerent, quem ante cohaesionem habuerant.

Art. 102. *Alia interim earum superficie, quae coelo obversa est, molli et rara remanente*] Nempe non est ibi fluxus ille continuus materiae primi elementi, qui concavam superficiem maculae semper fricat et polit; sed ad convexam hanc superficiem consistunt globuli secundi elementi, qui et impetum magnum in eam non faciunt, sed continuo se ab ea liberare conantur, cum tota vis secundi elementi nitatur in circumferentiam, non autem versus centrum vorticis et sidus. Etiamsi autem in interstitiis istorum globulorum reperiatur etiam materia primi elementi, tamen vis hujus, utpote divisa, debilior est, et proinde minus valida ad defricandam convexam istam superficiem. Cui et adde, quod similiter materia primi elementi ad convexam maculae superficiem consistens, vi ista qua ejecta est e sidere, affectet recessum ab illa superficie; cum contra eadem illa vis qua ex sidere emergit praedicta materia, eam fortius elidat in concavam superficiem maculae, atque hac parte etiam faciat ad magis poliendum illam superficiem atque indurandum. Atque ex eo quod hîc jam demonstratum est, pendet illud quod infra ad art. 132. sub finem Cartesius docebit, sc. in cometis aversam a sidere superficiem minus aptam esse ad reflexionem luminis, eo quod haec superficies pristinam suam mollitudinem retineat, cum ea quae sideri obvertitur, impulsu radiorum magis polita et indurata sit.

*Ideoque ipsas non facile dissolvi, etc. nisi simul etiam earum oras circumfluat et transcendat*] Cum transcenderit materia primi elementi, invenit particulas tertii elementi in convexa superficie, quas discutere a reliquis facile potest (nam convexa illa superficies, ut modo videbamus, minus polita est, et exstantias plusculas habet) secumque abripere, et in poros istius superficici illidere, adeoque compagem ipsius maculae dissolvere, sicuti simili artificio materia primi elementi, dum particulis tertii elementi impraegnata est hîc circa nos, et flammam constituit, lignum aliaque similia corpora dissolvit. Talibus autem

particulis ad concavam ſuperficiem maculae plerumque deſtituitur; unde nec impetum tantum in ejus poros facere poteſt, ſed propter inſignem ſuam tenuitatem eos innoxie perlabitur.

*Hincque poteſt contingere, ut aliquando una atque eadem macula etc.*] Non ſic perpetua et aequalis, quin alibi tenuior, alibi craſſior, alibi etiam fiſſuras et rimas agat. Nec enim fere aliter fieri poteſt, et diverſae maculae, quae unam illam et totam componunt, totum ſidus obtegentem, aliter bene poſſunt inter ſe quadrare, quam ut pluribus in locis interſtitia quaedam et rimas intercipiant. Et Carteſius ſatis agnoſcit part. 4. art. 59., ubi etiam artt. ſeqq. inſignes aliquos effectus et phaenomena deducit ex inaequalitate caloris, qui in Terram huic cruſtae incumbentem ex fiſſuris aut inaequalitate ejus derivatur.

*Supra totam ſuperficiem alicujus ſideris ſe extendat*] Vix eſt ut ſolida illa macula, quae proxime ſidus ambit, quaeque parte 4. art. 4. deſcribitur, ad polos ſideris etiam pertineat. Nam imprimis in partes polares non fit ejectio macularum, ſed illa ad eclipticam tantum et parallelos pertinet, potiſſimum majores ſeu eclipticae viciniores (ut art. 95. vidimus); deinde fundus ollae hic eſt, totaque materia ſideris a polis et toto axe verſus circumferentiam ebullit, proindeque ſpumam ſuam in his partibus non detinet, ſed verſus eas partes, in quas ebullit, ejectat. Et forte poli ipſius Terrae tali ſolidiore cruſtâ necdum intecti ſunt, ſed mare per unum polum continuo influit, et per medium illum ignem penetrat ad oppoſitum polum, unde poſtea ſe evolvit, et ſupra Terrae ſuperficiem aſcendit. Vide quae de hoc diximus in Phyſica Peripatetica.

Art. 103. *Referunt quidem Hiſtorici, etc.*] Plinius lib. 2. Hiſt. Nat. cap. 30. illum annum integrum, quo Julius Caeſar occiſus eſt, prodigioſum fuiſſe ſcribit, Solis pallore continuo, et quodam quaſi ejus defectu continuo; quo etiam alludunt iſtius aevi Poëtae. Virg. 1. Georg. ſub finem:

*Ille etiam* (Sol) *exſtincto miſeratus Caeſare Romam*
*Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit,*
*Impiaque aeternam timuerunt ſaecula noctem.*

Ovid. 15. Metamor.:

— — *Solis quoque triſtis imago*
*Lurida ſollicitis praebebat lumina terris.*

Sic etiam Tibullus et alii. Poſt haec ad annum octavum Juſtiniani Imperatoris, referente Cedreno, *Illo tempore ſol inſtar lunae, ſine radiis, triſti lumine totum annum rubuit, plurimum vero deficienti ſimilis; illo tempore, nec belli nec mortis inferendae hominibus requies aut finis erat.* Annales Conſtantinopolitani ad annum Dom. 798., Solem per dies 18 ita obſcuratum fuiſſe, ut naves in mari aberrarent; quod conferebant in crudelitatem Irenes, quae filium ſuum Conſtantium excoecaſſet. Ex his valde confirmatur mea opinio, qui exiſtimo ſidera aliquando planetas aliquos minus ſolidos, quam ut intra globulos ſecundi elementi verſari poſſent, abſorbere, horumque maculis obtenebreſcere; et alioqui Solem noſtrum majorem eſſe factum quam olim fuerit, ſatis conſentit cum Aſtrologorum obſervationibus, qui unanimiter dicunt, ipſum jam hinc a duobus annorum millibus multis terrae diametris ad nos acceſſiſſe; fieri facile poteſt ut imponat iis aucta Solis magnitudo.

Art. 106. *Tendentes non verſus unicum punctum I, ſed verſus totum medium coeli, H I Q*] Difficultas videtur, quomodo non impediantur particulae ſtriatae ab acceſſu illo ad medium coeli per materiam primi elementi I verſus Q et H (ſecundum inverſas illas pyramides, quas circa art. 86. depinximus) continuo ejectam. Reſpondeo: Cum craſſiores ſint particulae ſtriatae, hinc magis aptae ſunt ad perſiſtendum in motu ſuo ſecundum vias rectas, quas inveniunt in triangularibus illis canalibus, axi vorticis parallelis; ſicut eadem de cauſa art. 108. docentur ab uno polo ad oppoſitum polum per medium ſidus maculamque ſideris pervadere, cum caeterae particulae primi elementi, quae cum ſtriatis intraverant intra ſidus, in oppoſitum polum ſideris incurrentes, reflectantur undique verſus eclipticam, ut art. 75. deſcribitur. Similiter ergo per pyramides illas inverſas, de quibus circa praedictum art. 86., maxime reflectentur tenuiores particulae primi elementi cum ſtriatis a partibus circumpolaribus vorticis ad medium coeli appellentes, dum interea ſtriatae vias ſuas rectas diutius perſequentur. Secunda difficultas eſt: Quomodo ad medium coeli delatae jam iſtae particulae ſtriatae, non intricabuntur mutuo curſu, cum ex oppoſitis polis venientes, ibidem ſibi mutuo obviam fiant, contrariis determinationibus in ſe invicem impulſae? Reſpondeo: Saepe ſic eas intricari nihil vetat; ſed intricatio

ifta non diu durare poteft circa medium coeli, aft facile incurfu globulorum diffolventur, quae intricatae fuerunt. Primo etiam frangentur, eaque fragmenta, fiquidem majufcula fuerint, per materiam primi elementi ad H et Q ex I afcendentem repellentur, utrimque verfus axem A B fecundum art. 89., quae vero fragmenta admodum tenuia fuerunt, haec fe affociabunt torrenti primi elementi ex I per Q et Y, aut ex I per H et M in vicinos vortices irrumpent. Et notandum eft, ifta fragmina majufcula, dum fic ad axem revolvuntur, fimul fecundum longitudinem fuam converti, facileque rurfum in materiam ftriatam abire, quae ad fidus fecundum lineas axi propiores feratur.

*Eodemque modo particulae ftriatae venientes a parte B etc.*] Hîc etiam fimilis difficultas occurrit: cur nempe particulae ftriatae venientes a partibus circumpolaribus A in fuperficiem maculae *efg* non impediantur, et in viis fuis intricentur ab obviis particulis venientibus a partibus circumpolaribus B per alteram medietatem maculae *gde*? Et neceffum eft fateri, tales faepe fieri intricationes, praefertim cum macula primum formari incipit, eamque his intricationibus et cohaefionibus particularum ftriatarum ex adverfo inter fe incurrentium notabilitur condenfari. Sed fieri etiam facile poteft, ut fibi mutuo non tam directe obviam veniant illae particulae ftriatae ex oppofitis polis ad maculam fideris appellentes; praefertim cum particulae ftriatae non continue ferantur verfus fidus, fed intercedit inter illas modo plus modo minus de tenuiori materia primi elementi (ut art. 108. docebitur), — unde facile contingit, ut particulae ftriatae ab uno polo per unum canalem uno certo tempore magis continue venientes ad maculam fideris, meatus fibi accommodatos in eadem macula excavent; fic ut non impediantur a particulis ftriatis venientibus ab oppofito polo per canalem directe refpondentem priori canali, eo quod in hoc canali minus continue, et multa materia primi elementi percepta tenuiori procedant particulae ftriatae. Et certe cum ad minima illa, quae ad primum elementum pertinent, deventum eft, fere humano intellectui haeret aqua, et tantum fub generali ratione aliquid poffumus de illis differere, quod de macularum productione ac diffolutione (unde tamen praecipua naturae conftitutio pendet) Cartefius ad art. 101. fatis innuit ei, qui hac in Philofophia aliquid fapit.

Art. 111. *Fierique poteſt interim ut ille vortex praevaleat vorticibus ſibi vicinis*] Vix videtur alius caſus (cum ſidus obductum eſt maculis), quo vortex ſidus obductum habens, praevalere poſſit alteri vortici, niſi ſi planeta aliquis minime ſolidus in vorticem ſideris obducti devolutus, ei accedat, et dirupto cortice materiam primi elementi, quam in ſe continebat, ſideri quod macula inductum eſt, affundat, quae celerrime ſupra corticem prioris ſideris converſa, globulos adjacentes undequaque propellat. Quamdiu autem ſidus illud ſe ſolo manebit, tamdiu vortex ejus vicinis vorticibus debilior erit, et tantum ita comparatus, ut ab aliis illis abſorberi paulatim poſſit; non vero ut ipſe contra alios praevaleat (ut ſatis fatetur Carteſius art. 116.).

*Inde augeretur ſpatium in quo eſt ſidus I*] Augeretur, ſi inter Y et P vel vacuum, vel ſola materia primi elementi conſiſteret. Sed cum ibi pariter exſiſtant globuli ſecundi elementi, intelligo quidem vorticem A M B Y hac acceſſione majorem futurum, ita ut termini ejus jam ſint A M B P, circumducto ſc. jam aliquo cumulo globulorum ex vortice O deſumptorum circa I; ſed nulla ratio eſt dicendi, quod ideo augeri debeat ſpatium in quo eſt ſidus I, quod proinde eundem locum, ſeu aeque amplum ſpatium occupabit, ac ſi acceſſio iſta inter Y et P non eſſet vortici adjecta.

Art. 128. *Imprimis obſervatur illos ſine ulla regula nobis nota etc.*] Sed imprimis, quod maxime notabile eſt (et inter phaenomena hic a Carteſio non annumeratur), obſervantur quidem ſecundum ſucceſſionem ſignorum, contraque raptum vorticis ab Occidente in Orientem ferri; quidam vero etiam vice verſa contra ſucceſſionem ſignorum, contraque raptum vorticis quam celerrime ab Oriente in Occidentem ferri deprehendentur; ut imprimis cometa, quae nuper anno 1664. circa 18. Decembris apparere incepit, uno fere menſe, nempe a praedicto die Decembris anni 1664. uſque ad 18. Januarii anni ſequentis ſc. 1665. fere mediam coeli partem contra raptum vorticis noſtri peragravit, et a tertio circiter gradu Librae uſque ad 27. Arietis ordine retrogrado proceſſit. Quod difficile videtur intelligere in tanta violentia vorticis circa circumferentiam ſuam obnitentis huic cometae curſui. Reſpondent quidam, referendum id eſſe in vim illam enormem, quam cometa trajectione ſua per diverſos vortices, qua jam inde fere a

mundo condito divagatur, et fecundum ductum diverfiffimorum vorticum delatus eft, fibi acqufivit; hanc enim tantam effe, ut in noftrum vorticem poft haec delatus, contra niti, et fuperare torrentem iftum, quo alioqui in averfum ferendus erat, etiam tanta celeritate poffit. Sicut navis fecundo flumine delata, praefertim fi ventus etiam et validus fit et fecundus, apertis ante fe cataractis, unde aqua magno impetu in contrarium ruat, aliquamdiu obnititur tamen, et inftitutum fuum curfum, vi quam ante habuerat, adhuc perfeverante profequitur. Sed difficile eft cum his facere; vix enim cogitare poffumus, tantum virium acceffiffe cometae ifto fecundum diverfos vortices raptu, ut tantum fuperare vim adverfam valeat, et ita quidem fuperare, ut in toto fuo decurfu per noftrum vorticem non magis ab illa retardetur, quam fi ei obfecutus fuiffet cometa (nec enim qui fecundum fucceffionem fignorum delati aliquando funt cometae, celerius viam fuam confecerunt), praefertim cum nulla fit ratio dicendi, cur in aliis vorticibus celerius obfecutus fuerit, quam in noftro contraiverit. Hoc igitur difficultatem aliquam habet; convinci tamen non poffis, fi vim illam, qua cometa per tot vortices ante delatus fit, caufari volueris.


Art. 140. *Cumque tandem ibi erit, non amplius ad Solem magis accedet, nec etiam ab eo recedet, nifi etc.*] Planeta, qui jam primum ad Solem acceffit, diu quidem ofcillat verfus circumferentium et centrum vorticis. Nam primum impetu illo, quo decidit a circumferentia vorticis verfus medium propter impulfum globulorum fecundi elementi ad circumferentiam vorticis confiftentium, et ipfo planeta folidiorum, procedit ad notabile fpatium infra quod aequilibritas illum effe poftulat; ibi vero impingens in globulos fe minus folidos magifque agitatos repercutitur fpatiumque illud remetitur furfum eundo; denuoque deorfum reflectitur, et ita porro. Sicut lapis funiculo e trabe fufpenfus, et extra perpendiculum abductus, reflectitur verfus perpendiculum, et ifta vi ulterius procedens, ab altera parte tantundem fere abit a perpendiculo, rurfumque etc., qui motus ejus ofcillatio vocatur. Sicut autem in illa ofcillatione lapidis continuo fpatium decurtatur, per quod fingulae ofcillationes excurrunt, — fic etiam planeta, dum eo modo quo diximus per fpatium aliquod alterius afcendit et defcendit in vortice, in quem abreptus eft, intelligimus fpatium illud ofcillationis ejus continuo debere imminui, donec tandem

definente penitus ofcillatione confiftat in aequilibrio, ficut lapis in perpendiculo. Hac ofcillatione Telluris expediri quis poffe putet phaenomena aeftatis et hiemis; fi fcil. Terra viciffim ex plano eclipticae fuae verfus alterum polum vorticis elevaretur, et verfus alterum deprimeretur (et fiquidem talis ofcillatio in Terra locum haberet, poffent phaenomena ifta fic forte expediri). Sed notari debet, illam ofcillationem planetae, quam modo defcripfimus, non tendere verfus polos vorticis, fed verfus fidus et circumferentiam vorticis, feu inter Solem et eclipticam vel parallelos; unde illa ofcillatio tantum efficere poffet, ut Sol modo nobis vicinior, modo remotior videretur; quod equidem non eft exigui momenti phaenomenon, et ante aliâ viâ expeditum, ut videre potes in annot. ad art. 73; quanquam et hac, quam hic innuimus, non minus recte expediri videatur.

Art. 141. *Aliae autem caufae, quae planetam etc. nonnihil inde propellunt*] Inter caufas etiam illas haec effe poteft, quam Cartefius hic reticet, quod maculae circa concavam fuperficiem corticis, quo planeta obductus eft, aut accrefcant novis fubinde maculis ex primo elemento, quod in centro verfatur, genitis, aut decrefcant maculis quibufdam diffolutis, et in primum elementum converfis. Hoc enim non minus fieri poteft, dum planeta jam in alium vorticem conceffit, quam cum in fuo vortice maculis obductus adhuc verfaretur. Si igitur accrefcant maculae in planeta, aliaeque et aliae ad concavam corticis fuperficiem accedant, fiet planeta folidior, magisque femper et magis recedet a Sole; imo nihil obftat, quominus eo poffet venire foliditatis, ut e vortice fuo difcederet, e planeta in cometam mutatus. Si vero continuo diffolvantur aliquae maculae ad concavam corticis fuperficiem (quod difficilius, cum maculae ab ifta parte admodum fint firmae, ut art. 102 vidimus), fiet planeta continuo minus atque minus folidus, et confequenter magis continuo magifque accedet ad Solem; quod de Tellure noftra phaenomena et Aftronomorum obfervationes videntur indicare, quamvis et haec in aliam caufam referri poffint, ut annot. ad art. 103.

Art. 144. *Ita facile credi poteft, ex hoc folo, quod aliquis planeta etc.*] In planetis omnibus caufa eft aliqua converfionis eorum, non tantum quae olim praeceffit, ut hoc in exemplo de turbine, quod hîc Cartefius adfert, locum habet, fed quae hodie etiam adfit, et

eadem vi polleat. Nempe materia primi elementi in centro planetae et totum locum illum occupans, qui ſub cortice ejus conſiſtit (qui locus admodum magnus eſt ſi cum reliquo planetae corpore comparetur), continuo ſe circumvolvit circa centrum ſuum, et illa vi vorticem ſuum abripit in eandem vertiginem; niſi forte ingens hujus corticis in una parte ſoliditas, quae circumferentiam vorticis continuo ſpectare nititur, converſionem illam impediat. Secunda cauſa converſionis planetae circa ſuum centrum haec eſt, quod inferiori ſui parte deſcribat circulum minorem C D G circa Solem S, ſuperiori vero parte deſcribat circulum majorem, A B E; unde contingit eum expeditius aliquanto ferri ac liberius in ſuperiori ſua parte quam in inferiori (magis enim conſtringitur inter diametros vorticis pertinentes ad circulum C D G, quam inter eaſdem ſemi-diametros pertinentes ad circumferentiam circuli A B E, minorque eſt baſis trianguli C S D, cui planeta minuto circulo figuratus incumbit, quam baſis trianguli A S B, quam planeta integit). Hinc igitur fit, ut ſi vortex A B E H M ſecundum ordinem praedictarum literarum convertatur, planeta aliquanto liberius ab A verſus B ſuperne, quam a C verſus D inferne feratur; adeoque ſi nihil fortius obſtet, incipiat ſe convertere circa centrum ſuum ſecundum ordinem literarum A B D C; ſicuti ſimili de cauſa globus rectâ projectus per pavimentum, non tantum rectâ ut projectus erat, ſed etiam volutatim procurrit, ideo nempe, quia liberior ei motus eſt ſuperne ad aërem, quam inferne ad pavimentum. In vortice coeleſti aliqua cauſa eſt, quae hanc converſionis planetaris cauſam videatur impedire poſſe; nempe globuli propiores ſideri celerius feruntur quam remotiores, unde effici videtur, ut planeta convertendus ſit contra raptum vorticis. Nempe ſi globuli ad C D celerius ferantur quam globuli ad A B, clare intelligimus, planetam hunc convertendum eſſe ſecundum ordinem litterarum C D B A; unde videri poſſet, quod hae duae cauſae contrariae ſe mutuo elidant, et neutra ſortiatur aliquem



effectum. Cum tamen planetae omnes, de quorum converfione aliquid refcire poffumus ex phaenomenis (quales funt Tellus, Jupiter, et Saturnus), omnes convertantur circa centrum fuum eafdem in partes, in quas vortex noftri coeli convertitur, nempe fecundum ordinem literarum A B D C, non vero fecundum ordinem literarum C D B A, non videtur haec caufa nullius effe momenti. Et quantum ad adverfariam caufam, qua elidi videbatur, dicere poffumus, in tam exiguo fpatio, quale occupatur a diametro planetae verfus centrum et circumferentiam vorticis, nullam effe confideratione dignam inter inferiores fuperioresque globulos celeritatis diverfitatem. Si hae duae caufae converfionis planetae confpirent, tanto celerius convertetur; fi vero contrariae fint, impedient fe mutuo nonnihil, fortior tamen vincet. Judicarem autem eam, quae prius a nobis dicta eft, fortiorem effe, quamvis in phaenomenis nullum appareat exemplum, quo prior caufa fuperiorem fibi adverfam fuperet, ut patet ex iis quae ftatim dicebamus.

Art. 148. *Inferiores ex iftis planetis altioribus celerius in orbem ferri*] Non fequitur, quia inferiores planetae citius abfolvunt circulum fuum circa Solem quam fuperiores, ideo illos his etiam celerius moveri. Nam etiamfi minori tempore inferiores planetae Solem circumeant, habent etiam circulos minores circa ipfum conficiendos, quam planetae fuperiores; unde Peripatetici dixerunt, femper planetas fuperiores celerius moveri quam inferiores (contra quam hic Cartefius ftatuit). Volebant nempe, ficut orbitae fuperiorum planetarum magnitudine fuperant orbitas inferiorum planetarum, ita annos (fic vocatur tempus, quo planeta aliquis integram fuam orbitam circa Solem decurrit) fuperiorum planetarum magnitudine fuperare annos inferiorum planetarum; tali tamen proportione, ut orbitae magis orbitas, quam anni annos magnitudine fuperarent; ideoque abfolute fuperiores planetae inferioribus celerius ferrentur. Sed ex recentiorum accuratioribus obfervationibus, quas fupra Cartefius art. 5. et 6. adduxit, liquet fatis, aliam effe inter orbitas annofque fuperiorum ac inferiorum planetarum proportionem, inferiorefque et orbitas et annos quidem minores habere; tali tamen proportione, ut anni inferiorum annis fuperiorum magis minores fint, quam orbitae inferiorum orbitis fuperiorum inferiores fint. Cum enim juxta art. 6. Venus diftet a Sole

400. Terrae diametris, erit diameter integrae orbitae ejus 800. diametrorum Terrae, erit ergo circumferentia orbitae Veneris 2400. et ultra Terrae diametrorum (nam circumferentia circuli ter continet diametrum, et femel feptimam ejus partem); hanc autem orbitam Venus conficit fpatio 9. menfium. Saturnus vero juxta eundem art. 6. diftat a Sole 5000. aut 6000. diametris Terrae; erit ergo diameter orbitae Saturni 10000.; erit ergo circumferentia orbitae 30000. et amplius; quam orbitam cum 30. annis Saturnus conficiat, fequitur ut fingulis annis 1000. conficiat et aliquanto plus. Jam jam vero Venus non adhuc anno, fed tantum fpatio novem menfium conficit 2400.

*Cujus aetheris particulae, etc. fibi invicim fic adhaerent, ut non, etc.*] Quia fibi mutuo adhaerent, hinc multum refiftentiae patiuntur a fluiditate globulorum fecundi elementi, per quod circumagi debent. Sicut corbis, etiamfi multa interftitia inter vimina fua habeat, tamen non fine difficultate aliqua per aquam movetur, eo quod omnes ejus partes inter fe cohaereant; fic etiam aether Soli circumfufus, etiamfi multis interftitiis fecundum elementum intra fe admittat, tamen quia fibi totus cohaeret, partefque ejus ab aliis ejus partibus fuftinentur (unde fit ut non nifi totus fimul circumverti poffit), multum refiftentiae invenit in globulis fecundi elementi, non quidem quatenus illi confentiunt in eundem motum circularem vorticis (fic enim potius propellitur ab illis verfus Orientem), fed quatenus corpus fluidum conftituunt, et diverfimode atque confufe inter fe agitautur. Maxime vero ea tarditas macularum Solis ex eo provenit, quod ipfae ad concavam fuperficiem aetheris confiftentes, non multo celerius circumagi poffint quam convexa fuperficies ejufdem aetheris (propter nempe cohaefionem aetheris); ad convexam autem iftam fuperficiem non tanta vis eft primi elementi e Sole excurrentis et omnia adjacentia circumrotantis, haec vis enim minuitur pro rata diftantiae a Sole.

Art. 150. *Quanquam aliae praeterea fint caufae, cur Terra circa proprium axem vertatur*] Tres funt caufae converfionis Telluris circa axem fuum. Duas vide fupra in annotatis ad art. 144. (quarum priorem Cartefius hoc art. 150. ipfe adfert ad ifta verba: *fi enim antea fuerit fidus lucidum, etc.*, pofteriorem etiam fatis agnofcit part. 4. art. 21. et 22.). Tertiam caufam adfert Cartefius art. proxime praecedenti,

fc. hac part. 3. art. 149. Convertitur ergo Terra, et quia materia primi elementi fub cortice ejus latens fe convertit, et quia globuli fecundi elementi, plus agitationis habentes quam ad eam circa Solem deferendam requiratur, ipfam convertit, et quia Luna in minori vortice ipfam circumcurrens omnem materiam intra circumferentiam iftius vorticis exfiftentem convertit.

Art. 151. *Nec mirabimur hanc Terram fere tricies etc.*] Contra poftremam caufam feu tertiam, nempe quomodo Luna poffit effe caufa converfionis Terrae, cum terra trigefies convertatur, antequam Luna eam femel circumeat? refpondetur, illum Lunae circuitum non effe totalem caufam converfionis Terrae; duae enim praeterea aliae funt caufae, ut ad praeced. art. annotabamus.

*Cum enim haec circumferentia A B C D fit circiter fexagies major Terrae ambitu*] Juxta nempe ea quae Cartefius art. 5. ex recentiorum Aftronomorum accuratioribus obfervationibus refert, Luna diftat a Terra circiter 30. Terrae diametris; integra ergo diameter iftius minoris vorticis, quem Luna circa Terram defcribit, conftabit 60. Terrae diametris; adeoque fe in hoc minori vortice ad circumferentiam Telluris habet ficut 60. ad unum.

Art. 152. *Non etiam mirabimur, quod femper eadem pars Lunae fit etc.*] Objectio: quare Luna non convertatur circa centrum fuum, cum faltem duae priores caufae converfionis (de quibus in annot. ad art. 150.) in illa locum habeant? Refpondeo: Hîc forte intervenit contrarietas ifta caufarum, de qua agimus in annot. ad art. 144., et cum materia fecundi elementi convertere nitatur corticem Lunae in eafdem partes, in quas parvus vortex convertitur, tum materia primi elementi fub cortice Lunae in contrariam partem eundem corticem convertere nititur. Atque hae duae vires fibi fic adverfae fe invicem elidunt, et effectum nullum fortiuntur in difco lunari convertendo. Superaret forte primum elementum fub cortice fe convertens (juxta annot. ad art. 144.), fed contraria vis fecundi elementi, eundem corticem circumiens, juvatur a majori foliditate unius hemifphaerii lunaris prae altero; nam quod folidius eft, affectat convexam vorticis, quod minus folidum eft, concavam fuperficiem.

*Quod alia ejus pars aliquanto fit folidior*] Sufficit fi aliquanto fit folidior, pofita illa contrarietate primi elementi ad concavam, et

ſecundi elementi ad convexam ſuperficiem corticis lunaris, quam modo deſcripſimus; ſed ſi vires hae conſpirare ſtatuantur, omnino non aliquanta ſufficit, ſed magna valde ſoliditas unius hemiſphaerii prae alio requiretur, ut impediat vires has tam fortes in converſionem corticis lunaris conſpirantes.

*Hujuſque minoris ſoliditatis cauſa etc.*] Ita ſatis exigua cauſa, dum minori contrariarum virium acceſſerit, quando illae fere erant aequales, omnimodam inducet aequalitatem. Major enim raritas, atque adeo minor ſoliditas eſt in ea parte Lunae, quae Terrae obvertitur, ob radios a Terrae tanquam a luna quadam in eam Lunae faciem quae nobis obvertitur conjectos; nam in ea facie Lunae, quae Terrae obvertitur, ſi qui ſint incolae (an ſint, an non ſint, in medio relinquendum eſt, cum ea de re nihil certi habere poſſimus), his Tellus noſtra totum illud officium praeſtet, quod nobis Luna. Nam Lunâ plenâ ſeu exſiſtente in puncto B (vide fig. ſub art. 153.), Tellus eſt ipſis interlunaris, et propter conjunctionem ſui cum Sole illis interdiu ſupra horizontem verſatur, nec apparet et ſubinde etiam eclipſin Solis illis parit; nobis autem, ſi tunc in nocte ſumus, eclipſin Lunae. Luna autem interlunari, ſeu exſiſtente ad punctum D, Tellus iis exhibet ſpeciem Lunae plenae, et ſubinde etiam Lunae eclipſatae; tunc ſc. quando nobis eſt eclipſis Solis. Facile ex hiſce intelliges, quomodo ſimiliter Tellus iis exhibeat ſpeciem Lunae dividuae ſeu ſemiplenae, quando Luna exſiſtit in puncto A vel C.

Art. 155. *Praeterea non mirabimur, quod axis, circa quem etc.*] Objectio contra ſecundam cauſam inter eas, quae in annot. ad art. 150. perhibentur; nempe quomodo ſecundum elementum Terram convertat, cum converſio Telluris non fiat ſub axe parallelo cum axe vorticis (ſub quo materia ſecundi elementi verticem conſtituens gyrat), ſed ſub axe producatur, interſecante axem vorticis ad angulum 23. graduum cum medio. Facilis reſponſio, ſi dixerimus materiam primi elementi ſub cortice Terrae non quidem contrariari materiae ſecundi elementi ſuper cortice Terrae (ut in Luna id fieri veriſimiliter ad art. 152. ſtatueramus), ſed aliquantum nihilominus diſſentire, et has vires inter ſe fractas aliquatenus et temperatas hanc axis terreſtris ſuper plano inclinationem cauſare.

Art. 156. *Interim tamen quia duae converſiones etc.*] Paulatim an-

gulus ſit minor, qui ex interſectione axis Telluris et axis vorticis ſeu eclipticae conſtituitur. Paulatim enim vel materia primi elementi ſub cortice, vel ſecundi elementi ſuper cortice Terrae, vel utraque etiam ſimul, aliquid remittunt de ſuo rigore, quo magis et magis conſpirant, et ad parallelifmum inter axes illos ponendum vergunt.

Art. 157. *Denique non mirabimur, etc.*] Objectionem quidem movet Carteſius de aberratione planetarum a Terra diſtinctorum in longitudinem et latitudinem. Sed non ſolvit niſi admodum generaliter, unde hic art. comparatur cum art. 101.

# IN PARTEM QUARTAM.

## DE TERRA.

Art. 1. *Etſi credi nolim, etc.*] Philoſophus, ut part. 3. art. 44. notavimus, non quaerit quomodo mundus parteſque ejus, et quo ordine revera a Deo facta ſint; ſed quo ordine illa fieri commodiſſime poſſit ab humana mente intelligi.

Art. 2. *Ipſam una cum maculis et toto aëre etc.*] Non enim putandum eſt (quod alioquin rudibus facile incideret), Terram dum de loco ſuo cedit, et ex vortice ſuo abripitur, ab aëre ſuo, quo circumfunditur, deſtitui. Quamvis enim lapis ex aëre in aquam cadens, quam primum ſe intra aquam intruſit, deſeritur ab aëre illo, qui illum ante circumdabat; tamen ſi aër ille in veſica circa ipſum concluſus eſſet, facile intelligimus quod non deberet lapidem deſerere, quando is cum hac veſica ſub aqua deſcenderet. Atqui non minus aër Terram ambiens circa Terram ipſam continetur, ne diffluere ab illa poſſit, dum Terra inter globulos ſecundi elementi abripitur, quam aër veſicae inditus contineatur circa lapidem qui alligatus eſt veſicae. Nam globuli ſecundi elementi, ipſo aëre ſolidiores (ut art. 8. patebit), aërem continuo ad Terram apprimunt; neque appreſſio illa deſinit, dum Terra e vortice ſuo, cujus centrum inſidebat, in alium vorticem abripitur, ſed maximopere potius augetur. Terra enim e ſuo vortice abrepta, ubi ad circumferentiam alterius vorticis appellit,

offendit ibidem globulos longe majores iis, quibus ante aether ejus (juxta art. 9.) ad eam apprimebatur. Hi etiam globuli velociſſimi ſunt (part. 3. art. 83.), habentque longe plus agitationis, quam ſufficiat ad deferendum Terram circa Solem; unde totum hoc agitationis impendent in circumeunda Terra, omneſque ejus partes, atque adeo etiam aetherem ſeu aërem ejus, verſus centrum ejus contorquendas (vid. art. 19. et 20.). Unde ſequitur, aërem longe arctius appreſſum eſſe Terrae, dum e vortice ſuo aufertur Terra, quam unquam ante hac fuerit, dum in centro ſui vorticis Terra conſiſteret; et per conſequens nullum eſſe periculum defluxus, quo aër a Terra diffluat, dum ipſa e vortice ſuo abripitur. Similiter, dum jam intra hunc verticem ad diſtantiam ſexcentarum fere a Sole Terrae diametrorum circumfertur circa Solem, et quidem rapidiſſime (ut quae anno conficiat ſpatium plus quam 3600. terrae diametrorum), nullum eſt periculum defluxus aëris ab illa. Nam etiam in hoc ſpatio, ubi orbitam ſuam conficit aër, tantopere apprimitur ad illam, ut nunquam in proprio vortice tantopere ei fuerit appreſſus; nam et hic globuli longe majores ſunt, qui eam jugiter circumfluunt, omneſque ejus partes ad ipſam apprimunt, quam unquam fuerint illi, qui in proprio vortice Terram conſiſtentem circuibant, ut ſatis patet ex iis quae de regionibus vorticum dicta ſunt ſupra part. 3. circa art. 82, et ſeqq.

Art. 3. *Et ſane idcirco mihi facile perſuaderem, jam totum ſpatium I ſola fere materia tertii elementi plenum eſſe*] Quamvis enim, cum cohaerent partes primi elementi in ſidere et maculas componunt, ſemper aliquid motûs deponant in reſiduum materiae primi elementi, quod proinde tanto rapidius ferri neceſſum eſt, tantoque magis purum magiſque perfectum in ratione primi elementi evadit (ut part. 3. ad art. 101. annotabamus), tamen haec materia primi elementi ſic depurata, non neceſſario manet in ſidere, ſed multiplicatis maculis ex materia primi elementi impuriore craſſiore magiſque ad tertium elementum vergente, quae continuo cum particulis ſtriatis per poros ſideris in ipſum ſidus illabitur, facile cedit impuriori illi materiae, invenitque ſibi ſatis multas et patentes vias per poros macularum et interſtitia globulorum ſecundi elementi. Unde omnino fieri poteſt, quod Carteſius hîc dicit, ut ſidus aliquod ſucceſſu temporis non tantum in cute ſeu cortice ſuo, ſed intus etiam et quoad totam

medullam, naturam fideris deperdat, et loco primi elementi, quo antea plenum erat, jam tantum contineat tertium elementum; materiâ primi elementi (ut neceffum eft) tantum per minutiores ejus poros divagante. Quod fi quando accidat, nequaquam planeta poterit effe fidus illud; fed propter magnam fuam foliditatem (quae potiffimum hîc pendebit ex cohaefione omnium partium) induet naturam validiffimi et rapidiffimî cometae, qui quandoque etiam contra raptum vorticis ad quem forte pervenerit, quam celerrime niti poterit; vid. annot. part. 3. art. 128.

Art. 4. *Nulli videntur in eo meatus relicti effe nifi etc.*] Poffunt etiam fubinde fatis ampli meatus effe in illo cortice; nam maculae quae fidus obtegunt, coalefcunt ex pluribus maculis, quae proinde non ubique ita apte quadrant, ut non fatis amplas rimas hinc inde inter commiffuras fuas relinquant; quibus rimis fornicis inftar appreffus aether (qui preffione illâ naturam Terrae nancifcitur, ut infra ad art. 32. et feqq. defcribitur) cooperculi vice eft; et Cartefius fatis id ipfum innuit infra art. 59., ubi etiam art. 60. et aliquot feqq. multa phaenomena et effecta ex iftis rimis deducit, ut fuccos acres, acidos, fulphur, oleum, etc.

Art. 22. *Nec Terra proprio motu cieatur, etc.*] Terra, id eft, appreffus ille aether, qui cortici primum elementum in gremio Telluris exfiftens tegenti incumbit. Haec enim defertur et motu annuo cum tota Tellure circa Solem a fecundo elemento, motu diurno circa proprium centrum, tum a materia primi elementi exfiftente fub cortice, tum a materia fecundi elementi circumfiftente corticem; vid. annot. ad part. 3. art. 150.; unde ipfa Terra penitus habet rationem corporis quiefcentis et ab alio delati.

Art. 26. *Nullumque corpus a gravitate fua deorfum ferri, nifi eodem temporis momento aliud corpus magnitudine ipfi aequale furfum feratur*] Prorfus eft neceffarium; nam ni ita fiat, vacuum, aut penetratio, aut fimile abfurdum interveniet. Debet enim locus quem relinquit corpus defcendens, impleri ab alio aeque magno (alioquin enim vacuum foret), et debet locus in quem defcendit praedictum corpus, vacuari a corpore aeque magno (alioqui enim penetratio daretur). Hinc circulus; et corpore aliquo defcendente, tantum corpus quantum ipfum eft afcendit, et contra, afcendente aliquo corpore,

tantum corpus quantum ipſum eſt deſcendit; unde aſcendente ingenti fumo, neceſſum eſt tantundem aëris deſcendere. Unde non miraberis, magna incendia hoc ut plurimum habere infortunii, quod a ventis inſtigentur (vide infra, ubi Carteſius agit de candela). Sed ſcrupulus forte incidat alicui, et cogitet, in ſtatera deſcendente exiguo plumbi corpore, attolli in altera lance magnum ſaccum plumarum. Nihil habet difficultatis; etiam tunc, quantum corpus aſcendit, tantum etiam corpus deſcendit; non enim tantum cum lance ſua, ſed etiam aër, qui ſupra ſaccum plumarum erat, ſub ipſo deſcendit tanta copiâ, ut tantundem detrudatur deorſum, quantum elatum eſt ſurſum.

*Unde ſit ut in vaſe, etc.*] Hoc vas opponunt quidam iſti vaſi de quo Carteſius in Dioptrica cap. 1. art. 7., itemque iis quae Carteſius habet part. 3. art. 62., putantque eum hîc ſibi parum conſtare. Sed errant ipſi. Carteſius enim in Dioptr. item part. 3. locis citatis tantum agit de conatu et prima praeparatione ad motum, etiamſi motus ipſe impediatur (ut ipſe fere totidem verbis part. 3. art. 73. loquitur); hîc vero agit de motu, qui ſtatim ſuccederet, ſi ad B apertura aliqua daretur. Statim enim 1. 2. 3. 4. deſcenderent verſus aperturam B; per plana autem inclinata, qualia in aliis locis conſtituit, nondum eo ferri intelliguntur.

Art. 31. *In tam anguſto ſpatio vulgo non poſſe contineri*] Recte *vulgo;* nam ſive ſolito plus agitentur particulae terreſtres, ſive minus, ſive etiam penitus quieſcant, ſemper aeque multum ſpatii occupant, ſi non vulgariter, ſed rigoroſe et philoſophice loqui voluerimus, ut hoc ſatis demonſtratur part. 2. art. 19. Quae igitur plus ſolito agitantur inter ſe tantum, vulgariter loquendo occupant plus ſpatii, eo quod agitatione iſtâ in ſe invicem impulſa et a mutuâ viciniâ ſe repellentia plus ſpatii inter ſe admittant; unde non aliter plus loci occupant, quam rete expenſum occupet locum ampliorem quam rete convolutum; talis autem loci amplioris occupatio requiritur et ſufficit ad rarefactionem vulgarem.

Art. 32. *Aliquanto minoris iis qui reperiuntur in ea coeli parte, per quam tranſit, etc.*] Sidus e vortice ſuo abreptum tranſit per globulos multo majores iis quos circum ſe habet; unde neceſſum eſt, ut in tranſitu iſto patiatur ingentem compreſſionem aetheris circumfuſi ſupra corticem ſuum. Sed haec preſſio non diu durat; ſtatim enim

ſidus tranſmittitur a globulis illis ſolidioribus (quando ſcilicet illud ſidus ad naturam planetae, non autem cometae tendit), et verſus centrum vorticis deprimitur, ubi accedens ad globulos longe quidem minores iis per quos tranſiit, majores tamen iis inter quos olim verſabatur, minorem quidem preſſionem patitur, ſed continuam et ſemper deinceps durantem. Unde haec poſterior preſſio potiſſima cauſa eſt, unde proveniunt vulgo vocata elementa (terra, aqua, aër), quae ex preſſione illa aetheris ſuper cortice planetae partim generantur, et formam ſuam primum accipiunt (quod potiſſimum habet locum in terra), partim congregantur (quod potiſſimum habet locum in aqua), ut elegantiſſime ſeqq. art. Carteſius demonſtrat.

*Praeſertim in craſſiores, ipſaſque infra caeteras detrudere*] Si craſſiores illae particulae non tertii elementi, ſed ſecundi forent, non detruderentur infra reliquas, ſed aſcenderent ſupra reliquas, ſicut generatim globuli ſecundi elementi majores verſantur in circumferentia vorticis. Si etiam exſolutae eſſent illae particulae craſſiores tertii elementi nec aliis intricatae, non appareret, cur ſimiliter circa axem Terrae gyrantes non recederent inde longius, quam particulae minus craſſae et ſolidae (vide ſupra art 21. et 11.). Sed eum particulae aetheris ſibi mutuo intricatae ſint, adeo ut totus etiam aether (utpote globulis ſecundi elementi minus ſolidus) ad medium prematur, fit ut iſta preſſio majorem effectum ſortiatur in iis quae aptiora ſunt ad motum; adeoque hic quaſi contrarium aliquod fiat naturae generali, et ſolidiora, quae alioqui magis abire nata ſunt a centro, hic magis verſus centrum impellantur.


Art. 34. *Pleraſque ex oblongis fuiſſe interjectas, eaſque poſtea, dum ramoſae arctius jungebantur, ſupra ipſas aſcendiſſe*] Oportet oblongas illas, quae ſic ramoſis exprimebantur, etiam flexiles fuiſſe, et etiam aliquatenus laeves et lubricas. Nam ſi penitus rigidae fuiſſent, et valde aſperae, compreſſione particularum ramoſarum non fuiſſent expreſſae, ſaltem in notabili valde quantitate, ſupra has ramoſas; nam quae in latus reclinatae fuiſſent, manſiſſent cum ramoſis illis quae comprimebantur, quae vero alteri ſuae extremitati inſiſtebant, hae appreſſione ramulorum partim fractae et comminutae, partim incurvatae reſtitiſſent inter ipſas ramoſas. Cum enim ramuli plures comprimuntur, non ſemper interſtitia ſuperiorum quadrant interſtitiis

inferiorum, ſed ſaepe etiam brachiola interſtitiis ſuperincumbunt; unde, niſi particulae ſint flexiles et laeves, quae hîc in textu oblongae ponuntur, non apparet quomodo tanta quantitate ramoſis exprimi et ſuper has aſcendere potuerint, prout hoc ad tantam aquarum copiam, quantum hîc circa nos experimur, requiritur. Si autem particulae illae flexiles ponuntur et laeves, jam facile intelligimus, quomodo per ramoſas particulas arctius ad ſe invicem appreſſas per anfractus pororum et rimarum, quibus ſe facile accommodabant, exprimi potuerint; ſicut eaedem illae particulae etiam hodie per terram aſcendunt, imo facilius per eam quam per aërem aſcendunt (ut infra art. 64. demonſtratur). Hinc intelligetur etiam facile, cur multo plus ſit iſtarum particularum in aqua quae ad aquam dulcem pertinet, quam quae ad ſalinam; cum enim particulae ſalis ſint rigidae, ut art. 36. et ſeqq. deſcribitur, facile intelligimus has non tam apte exprimi potuiſſe, quam particulas ad aquam dulcem pertinentes. Videtur ergo jam aqua ante fuiſſe compoſita, quam ſidus e vortice ſuo abriperetur; ſed minus perfecta (id eſt, non tam flexilis, non tam laevis, non etiam tam aequalis magnitudinis ſecundum particulas ſuas), magiſque diſjuncta et cum aliis commixta; potuit autem tunc per circumfluentes globulos ſecundi elementi, non minus in diverſis locis aetheris teretem illam laevemque figuram, et flexibilitatem adipiſci, quam poſtea cum preſſione aetheris congregata eſt.

Art. 39. *Mutuo attritu laeves et teretes inter ſe aequales evaſerunt, etc.*] Hîc deſcribitur perfectio particularum aquae, quam acquiſiverunt poſtquam expreſſae fuerunt e ramentis terrae, et ad ſe invicem congregatae. Cum enim ante haberent rudimentum aliquod ſuae formae, id eſt oblongae, aliquatenus laeves, teretes et flexiles eſſent (ut jam proxime annotabamus), jam inceperunt accipere complementum, et mutuo attrita omnem aſperitatem exuentes, admodum laeves et lubricae factae ſunt; tum etiam continuo uſu ſe inflectendi convolvendique circa particulas ſalis (ut art. 36. deſcribitur) admodum flexiles evaſerunt. Tum propterea quod per eaſdem vias tranſibant, et aliae in aliarum loca ſuccedebant, quae loca non poterant majores recipere, nec a minoribus tota impleri, factae ſunt fere quoad magnitudinem et craſſitiem aequales. In quibus conſiſtit perfectio aeque major illâ, quam olim habuit, dum Terrae adhuc exſiſtente in proprio

vortice commixta erat cum particulis aetheris ad alia elementa pertinentibus.

Art. 52. *Maximos aeſtus maris eſſe debere circa initia veris et autumni*] Tunc enim ſpatium inter Terram E F et inter circumferentiam vorticis A C B D, quem Luna deſcribit, interceptum ſecundum diametrum C D, anguſtius eſt quam aliis temporibus. Tunc enim circulus maximus in terra E F jacet in eodem plano cum ellipſi A C B D; cum aliis temporibus non ille circulus maximus Terrae in eodem plano ſit cum praedicta ellipſi, ſed circulus aliquis minor et parallelus, quales hic depicti ſunt intra majorem circulum E F, et cogitandi ſunt protuberare extra planum hujus tabulae, ut conſtituant unum hemiſphaerium Terrae. Cum igitur auguſtius ſit ſpatium quod intercipitur inter C et extimum circulum Terrae, ſimiliterque anguſtius ſit ſpatium illud, quod intercipitur inter D et eundem circulum extimum Terrae, quam quod intercipitur inter C et interiorem aliquem circulum, itemque inter D et interiorem aliquem circulum, neceſſum eſt propter illam majorem anguſtiam ſpatii, materiam coeleſtem celerius fluere inter Terram et C, item inter Terram et D, quam aliis temporibus; ideoque mare ſubjectum magis premi, magiſque verſus partes E et F extuberare. Et quamvis inde potiſſimum ſequatur, in aequinoctiis (id eſt, ſub initium veris et autumni) maximos aeſtus eſſe debere, Lunâ exſiſtente in alterutro extremo diametri C D (id eſt plenâ Lunâ, aut interlunari), tamen etiam aliquid hoc conferre poteſt ad majores aeſtus Lunâ exſiſtente in alterutro diametri A B extremo (id eſt, Lunâ dividuâ exſiſtente ſeu ſemiplenâ). Quia non tantum brevior eſt linea



recta a C ad extimum circulum, itemque linea a D ad eundem extimum circulum ducta, fed etiam lineae A E, B F, ad extimum illum circulum terminatae breviores quam fi terminarentur ad circulos interiores; cum tamen diameter A B major fit diametro C D, hinc illa major anguftia in aequinoctiis magis notabilis eft, majorefque aeftus operatur in mari Lunâ exfiftente in diametro C D, quam Luna exfiftente in diametro A B.

Art. 58. *Facile tamen agitentur tum a minutioribus ex iftis globulis*] Minutiores enim globulos, quibus olim circumdata erat Terra, cum adhuc in proprio vortice verfaretur, non omnes potuiffe ab ea excuti, fed quafdam remanfiffe, quibufdam partibus meatus habentibus ad menfuram fuam accommodatos, in quos majores globuli non quadrabant, docetur fupra art. 12. Hi ergo minores globuli illi funt, qui argento vivo imperfectam aliquam liquiditatem conciliant, utpote cujus particulae ita fibi mutuo vicinae funt, ut per interftitia fua majores illos globulos, inter quos Terra jam verfatur, non admittant. Ex quo etiam facile intelligitur pondus et foliditas iftius imperfecti liquoris; perinde enim fere ac fi partes ejus cohaererent, quae tam anguftis interftitiis inter fe abeunt, et ab exiguis illis globulis modice agitantur.

Art. 59. *Non ubique effe aequaliter denfam*] Non tantum, fed multis etiam in locis rimis quibufdam fatifcere, fatis evincunt novi montes, novaeque infulae ex intervallo temporis in altum ejectae; hoc enim non bene poteft alio referri, quam in ignem illum Telluris per rimas fui corticis terram fuperingeftam, cum eam primo ad ignem concipiendum difpofuerit (eo modo quo et hîc in artt. feqq.) furfum efferentem.

Art. 62. *In multos minutiffimos et quam maxime flexiles ramulos*] Defcribitur materia inflammabilis, ex qua (ut ftatim in textu fequitur) fulphur, bitumen, et alia omnia pinguia et oleaginea formantur. Nam minutiffimos effe ramulos, angulosque inter brachiola fua peracutos contineri, hoc facit ut multum materiae primi elementi a reliquis elementis feparatae contineant, nam in acutos illos angulos globuli fecundi elementi non admittuntur; flexibilitas autem eorundum ramulorum eo facit, ut concuffae a vi aliqua extremitates (inter quas globuli fecundi elementi adhuc verfari poterant, eo quod hac extremitates longius diftarent ad bafin, ubi major amplitudo) globulos


ſecundi elementi abarceant, adeoque toti aliqui ramuli incipiant jam primo elemento innatare, in quo ſolo conſiſtit eorum inflammatio, ut infra patebit, ubi de igne.

Art. 64. *Sed aliquanto latiores vias invenit in intervallis cruſtarum ſive corticum, quibus tota exterior Terra conflata eſt*] Quomodo cortices iſti et cruſtae diverſae cum intervallis ſuis genitae ſint, deſcribitur ſupra art. 38. Nempe propter viciſſitudines dierum et noctium, hiemiſque et aeſtatis contingebat, cum ſuperior Terra ex aëre potiſſimum formaretur, ut quod ad eam nocte et praefertim hieme accederet arctius compactum eſſet, quod die et praefertim aeſtate accederet, id rarius ac ſolutius. Cumque ſic alternarentur nox et dies, hiems et aeſtas, alternis etiam inter compactas cruſtas rariores et ſolutiores cruſtae interjiciebantur; per ſolutiores has (utpote quae habeant multos et amplos poros) aqua, quae in vapores ſoluta et ab inferioribus partibus Terrae ſurſum ſublata fuerat, facile invenit ſibi vias et meatus, donec alicubi erumpat et ſcaturiat in fontem.

Art. 67. *Per corporis duri declivitatem ſurſum attolluntur*] Facilius enim ſic aſcendunt, ſicut generatim gravia facilius per planum inclinatum ſurſum aguntur quam ad perpendiculum.

Art. 74. *Quae Soli meridiano vel orienti obverſae ſunt, et quia major ibi eſt calor*] Loca meridiano Soli obverſa magis calere, nihil mirum eſt; perſtringuntur enim radiis minus obliquis, quam quae orienti occidentique Soli obverſa ſunt. Sed cur orienti Soli obverſa magis etiam calent? Reſpondeo, hoc refundendum eſſe in auram illam, qua totus aër continuo ab oriente in occidentem decurrit, de qua vide ſupra art. 53. Hinc enim fit, ut ad loca orienti Soli obverſa toto tempore matutino affluat ex oriente aura quaedam calidior a partibus ſubſolaribus appulſa, quale quid non habet locum in locis occidentem ſpectantibus; haec enim cum tergum obvertunt orienti, non recipiunt in faciem ſuam praedictam auram, ſed haec ea loca praeterlabitur.

Art. 75. *Tum praecipue propter aquas intermedias etc.*] Cum enim ſatis profundos puteos effodimus, aqua, quae ad latus altius conſiſtit, per rimas et poros terrae tranſcolata inſinuat ſe intra capacitatem putei; ut ſi ſit puteus A G B, cui terra ad latus B D, et ad latus hujus terrae aqua D E, ſiquidem canalis C eſſet ductus ab aqua per




terram usque ad puteum, clare intelligimus aquam per praedictum canalem C defluxuram intra praedictum puteum, donec eadem sit altitudo aquae et in puteo et ad D E. Oportet autem scire, in terra B D quam plurimos esse tales canales, quidem non tam patentes, neque etiam tam rectos, sed tamen non ideo nullos, et per quos aqua pondere superioris aquae pressa extruditur in praedictum puteum. Nam aqua habet particulas teretes (ideoque propter angustiam canalium non facile sufflaminatur ejus fluxus), et admodum flexiles (et hinc anfractibus et flexibus canalium non impeditur multum a defluxu versus eundem puteum). Ex quo etiam incidenter intelligitur, cur putei circa mare defossi contineant aquam dulcem; quia nempe per angustos illos et flexuosos canales, quos jam descripsimus, facile quidem affluunt ad puteos aquae dulcis particulae, utpote teretes et flexiles, non vero particulae salis, utpote crassae (et sic in angustos canales non quadrantes) et durae atque rigidae, et per hoc potissimum excluduntur; nam anfractuosos illos et flexuosos canales propter illam rigiditatem suam permeare non possunt. Patet etiam incidenter, cur in profundioribus puteis aqua sit purior; cum enim diu defoditur, antequam aqua ad puteum allabatur, signum est aquam longe distare, aut rimas terrae admodum angustas esse, unde per illas nihil subtile et vix aliud quidquam terrestris et faeculentae materiae, quae ad aquam non pertineat, percolari possit. Ex quo etiam vides, cur hic in Batavia nostra putei contineant aquam minus puram; nempe putei non sunt profundi, propterea quod aqua nusquam longe absit, quodque terra nostra ipsa limosa sit et amplis rimis, ubi exsiccata est, fatiscat.

*Eo majore cum impetu salirent, quo profundior esset locus*] Satis intelligitur ex figura jam proxime depicta. Si enim canalis C profundus ponatur, majori impetu per illum decurret aqua ex D E in fundum G, qua si canalis ille altior ponatur, magisque vergat ad B D; eo quod tunc non tanta pressio sit aquae D E, minus altae supra


canalem C. Cum igitur in profundos puteos, ubi antehac aqua non fuerat, illabi ipſa incipit, non fit hoc moderate, ſed cum violentia et impetu, et certa nece eorum omnium, qui in iſtis puteis ſunt; detenta enim diutius ad obſtaculum aliquod aqua, et preſſa a magna mole altioris aquae, perrupto obſtaculo iſto tanto irruit vehementius, ſicut ex vaſe pleno aperto ſiphunculo (et dato etiam ſufficiente perſpiraculo) vehementius liquor effluit alte ſupra ſiphunculum intra vas conſiſtens, quam ſi vas tantum fuerit ſemiplenum, cum liquor non tam alte ſupra ſiphunculum conſiſtit.

Art. 76. *Hae ramoſae, ſuccis acribus admiſtae, ſulphur conſtituunt*] Nimirum in ſulphure inflammabilitas eſt, et haec debetur ramoſis particulis (ut ad art. 72. annotavimus), et inſuper in ſulphure eſt aciditas magna, quae et guſtu ipſo percipitur, et nares importune vellicat dum ſulphur accenditur. Haec aciditas debetur vitriolo et ſimilibus ſuccis acribus, qui conſtant particulis rigidis, planis, et acutis (ut deſcribitur art. 61.); ſulphur igitur conſtat ſucco acri ceu gladiolo, et lanugine particularum ramoſarum ceu vaginâ.

Art. 78. *Tum quia ſub montibus plures ſunt cavitates*] Ut ſatis patet ex ortu montium ad art. 41. et ſeqq. Fragmina nempe ſuperioris terrae non potuerunt inclinate ad ſe mutuo in interiorem terram decidere (prout hoc ad generationem montis requiritur), quin inter latera ſua multas et magnas cavitates ſolo aëre repletas relinquerent; ut ſubinde in domorum ruinis contingit, inquilinos aliquos non occidi, eo quod nempe fragmenta quaedam tabularum et aſſerum pyramidaliter ſeu per modum montis ad ſe mutuo inclinata decidant, et in cavitate illa ſalvetur, qui alioqui ruinâ obterendus erat.

*Faciliorem ibi praebent flammae exitum quam in ullis aliis locis*] Facilior enim eſt exitus flammae conſiſtentis ſub monte B quam ſub campo A [*fig. in p.* 508]; cruſtas enim exteriores Terrae ad ſe mutuo inclinatas in B, tantum leviter dimovere debet flamma ſub B conſiſtens, ut ipſa ibi verſus coelum erumpat, flamma autem ſub A debet integrum illum corticem in altum ſublevare, aut ipſum pertundere, ſi ibidem verſus coelum eruptura ſit. Et licet hoc difficilius fiat, non tamen nunquam fit, ut patet in agro Puteolano, apud Italos perpetuis incendiis et fumis horrendo.

Art. 80. *Craſſiores enim, niſi calore continuo agitentur, etc.*] Par-




ticulae aëris dum tardius agitantur decidunt, et amittentes formam aëris convertuntur in aquam vel terram; particulae ignis dum rapidiſſime agitantur (ut neceſſum eſt propter raptum primi elementi cui innatant), amittunt formam ignis et convertuntur in fumum; ita ut ignis et aër quo ad hoc quodammodo contraria ſint. In eo etiam diverſitas eſt, quod particulas aëreas nihil prohibeat formam aëris retinere, particulae autem igneae propter celerem ſuam agitationem (in qua ignis natura conſiſtit) ſemper nitantur ad egrediendum ex igne, et ſic naturam ignis deponendam; unde quodammodo ignis in interitum ſuum vergit, et exceptis raris quibuſdam caſibus (vide art. 117.) non diu perſeverat ſine novo pabulo.

Art. 83. *Non poſſunt ab iis impediri ne ulterius pergant*] Hoc ipſo enim, quo celerius per raptum primi elementi moventur quam ea quae circumſtant, neceſſum eſt ut ſuper ea aſcendant. Cum enim omnia hîc circa centrum in anguſtum compacta ſint, latiuſque inter ſe abeant, quo longius a centro receditur, intelligimus clare, hoc ipſo quo celerius quaedam hîc circa nos agitari incipiunt, hoc ipſo leviora eſſe et plus virium habere ad recedendum a centro, quam reliqua quae circumſtant et minus agitationis habent; a quibus proinde quaſi in altum extruduntur, ſicut in infundibulo B A C globulus ad fundum A jacens, mere per hoc aſcendit ad oras infundibuli, ſi tremulo motu infundibuli hoc efficitur, ut globulus ille intra latera infun-



dibuli ſatis concitate agitetur. Hac igitur ratione neceſſum eſt, particulas terreſtres primo elemento innatantes (atque adeo ignem apud nos conſtituentes) liberare ſe quantocius ab illo officio, et ſurſum ſupra aërem ſe efferre, ibidemque languere incipientes et magnâ parte agitationis ſuae amiſſâ converti in fumum.

Art. 87. *Quippe nihil refert, a qua cauſa etc.*] Ignis natura conſiſtit in eo, quod particulae tertii elementi raptum primi elementi, in quo natent, ſequantur; ſequuntur autem illum, dum a ſe invicem ſatis disjunctae ſunt, ita ut nec a ſe invicem, nec a globulis ſecundi elementi ſuſtineantur; et totum quidem artificium ignis comparandi in eo fere vertitur, ut a globulis ſecundi elementi particulae terreſtres ſecludantur. Secluduntur autem aliquando celeri et vehementi agitatione ſuâ, qua globulos ſecundi elementi a ſe repellunt; ſic alliſione ſilicis ad chalybem, confrictione lignorum inter ſe ſatis validâ (ut fit cum molae ventoſae vehementiori vento circumactae incenduntur), ignis excitatur; aliquando anguſtiâ viarum quas pervadunt. Fit enim inde nonnunquam, ut particulae terreſtres aliquando cogantur aliquam partem iſtius viae ſine globulorum comitatu conficere; et eo ipſo in primo elemento natant, ejuſque raptibus obſecutae in latera viae impinguntur, eaque dejicientes, fruſta iſtorum laterum ad eandem materiam elementi accedentia, ulterius ignem illum propagant. Sic in foeno (de quo art. 112.) ignis excitatur; ſic etiam in calce vivâ, cui aqua affunditur, calor ſeu ignis non lucens excitatur.

Art. 90. *Lucem duntaxat aliquam emittunt*] Datur enim triplex fere ignis. Primo lucens et ardens, qui ſolus proprie ignis dicitur, cum non tantum particulae terreſtres, ſed etiam globuli ſecundi elementi ſatis valide concutiuntur ad producendum in nobis ſenſum luminis. Secundo lucens et non ardens; qualis eſt in lignis putridis, piſcium ſquamis, aliiſque ſimilibus, quae nocte quidem lucent, ſed non ardent. Oritur imperfectus hic ignis ex certa conſtitutione pororum corporis lucentis; nempe pori ſatis ampli, ſed anguſta orificia, quae globulos ſecundi elementi excludant, unde ad orificia iſtorum globuli quidem impelluntur a materia primi elementi, ſatis magnâ copiâ in poris illis exſiſtente (ſicuti ſimiliter a Sole, quamvis multo validius impelluntur). Tertio ignis ardens ſeu urens et non lucens; qualis imperfectus ignis habetur in aqua bulliente, et generatim in

iis quae calent quidem, ſed non lucent; qui ignis oritur ex celeri agitatione particularum terreſtrium, nondum tamen ſatis a ſe mutuo diſjunctorum, ſed adhuc ſe mutuo ſuſtinentium, et ſic conjunctim raptui primi elementi obſequentium.

Art. 100. *Primo ut in eo ſint particulae terreſtres*] Non tam hoc requiritur ut ignis conſervetur, quam ut ſimpliciter maneat. Ignis enim hîc circa nos eſſe non poteſt, niſi particulae terreſtres in prîmo elemento natent, et a ſe mutuo diviſae, ſingulae ſeorſim raptum ejus ſequantur. Sicut per hoc mere ignis deſinit, quod particulae terreſtres vel a ſe invicem vel a globulis ſecundi elementi ſuſtineantur.

Art. 101. *Alterum quod ad ignis conſervationem requiritur etc.*] Hîc demum adfertur aliquid, quod vere et proprie requiſitum eſt ad ignis conſervationem. Sed mirum eſt, Carteſium ſubticere tertium requiſitum ad conſervationem ignis, ſc. ſpiraculum; ignis enim ſine ſpiraculo non conſervatur, ut ſatis notum eſt ex inſtrumentis illis domeſticis, quibus ignem exſtinguimus. Et quamvis ignis ſub cineribus longa etiam hiemis nocte ſervetur, tamen ibi non eſt ſine ſpiraculo, quod praebent interſtitia cinerum, utpote qui ſint corpora anguloſa, quae pauco ſui ſe mutuo contingunt. Et alioqui certum eſt, ſi ignem ſub cineribus indas cacabo illi domeſtico, quo ſolent ignem ſuffocare, non permanſurum, ſed brevi exſtinguendum, utique defectu ſpiraculi. Reſtat igitur nobis videndum, qua de cauſa ignis indigeat ſpiraculo ſeu aëre apertiore? Et ratio haec eſt, quod fumus (qui artt. 97. 98. 99. deſcribitur), aſcendens jugiter ex igne, aërem verſus radicem ipſius ignis per circulum adigat, ut praedictis artt. elegantiſſime demonſtratur; hic aër in anguſto loco, dum fumus ſemper fumo accedit, valde comprimetur ad radicem ignis, et tandem ita, ut particulae terreſtres, quae raptum primi elementi in igne ſequuntur, non habeant ſat virium amplius ad aërem illum repellendum, et lacunam iſtam, in qua primum elementum cum praedictis particulis terreſtribus continebatur, ſartam tectam ſervandam; unde latera iſtius lacunae ab aëre circumſtante ad ſe invicem apprimuntur, et materia primi elementi ſic eliſa per poros et meatus circumſtantium corporum diffunditur. Id ita eſſe, fere ipſis oculis notare poteris. Sume tibi candelam ardentem, qua ſartores uti ſolent; inde illam in lagenam vitream, quam tranſverſim in manu teneas; videbis flammulam a radice ſua,

et poſtea a toto ellychnio ſuo, verſus fundum lagenae protrudi, ibidemque in aëre fere ſeu in cono ellychnii ſui elidi et exſtingui. Sed cur hoc idem non fit in loco amplo? Reſpondeo: quia fumus ubi longius abivit a candela, et magnam partem deponit motum ſuum ſeu agitationem, quam in igne conceperat, et circulos ſuos inter movendum non contorquet amplius ad radicem ignis, ſed diſgregatus et late diffuſus cum ſit, ſingulae ejus particulae exiguos circulos cum aëre faciunt inter movendum. Sicuti ſi per aquam incedant ſimul plures homines aut equi, cumulus hic euntium, per amplum circulum propellens aquam ante ſe, eandem hoc ipſo repellit poſt ſe; ſed ſi diviſim ire incipiant, et multum a ſe invicem diſjuncti, quilibet eorum parvum circulum in aqua facit, dum illam perpetuo pectore propulſam, ſibi per circuitum a tergo ſufficit.

Art. 108. *Hocque videre eſt in carbonibus accenſis, qui cineribus tecti per multas horas ignem retinent*] Si nimis alte ſub cineribus recondantur, exſtinguuntur defectu ſpiraculi ſufficientis, de quo vide in annot. ad art. 101. Si vero juſta altitudine ſub cineribus condantur, vivunt per multas horas, ad minus per 24., ut rerum domeſticarum iſtarum curam gerentibus notum eſt; cum caeteroquin vix unam aut alteram horam, ſi cineribus obtecti non eſſent, ignem ſuum conſervarent. Ratio hujus rei eſt, quod nec particulae terreſtres, in quibus natura ignis conſiſtit, tam confeſtim egrediantur per exiguos et ſatis etiam flexuoſos meatus, qui in cinerum interſtitiis patent, nec etiam aër per circulum tam confeſtim accedat ad radicem ignis, novum ei ſemper pabulum ex carbonum fruſtis allaturus. Itaque diu ignis eodem pabulo ſub cineribus gaudet, cum illud non nam facile poſſit ab eo in fumum abire; unde hic rudimentum aliquod et apparatus ad illum ignem, de quo art. 116. exhibetur. Si nullum ſpiraculum ſit, ignis ſtrangulatur et eliditur (ut in annot. ad art. 101.); ſi amplum ſit ſpiraculum, ignis pabulum ſuum jactat, et hoc luxu brevi ad inediam redactus, pabulo non amplius ſufficiente, exſtinguitur. Itaque anguſtis meatibus ſub cineribus et continentius vivit et ſine metu ſuffocationis.

Art. 110. *Nitrum autem conſtat particulis etc.*] Sulphuris naturam bene deſcripſit Carteſius, et natura ejus intelligi facile poteſt ex iis, quae tum art. 61. et 62. tum 76. dicuntur; his enim artt. tum ſuc-

corum acrium, tum exhalationum ramofarum origo defcribitur, ex his autem fulphur conftat, ut ex annot. ad praedictum art. 76. fatis intelligitur. Sed nitri figura, quam quidem hic accurate delineat, cui caufae originem fuam debeat, non fatis fpecificavit; tantum art. 69. aliquid in genere de illa cenfet; hoc vero art. 110. experientiam quidem fuffragantem ifti figurae producit, nondum tamen caufam generationis ejus. Poffumus dicere, falis particulam aliquam, poro terrae, infundibuli fere formam habenti, infiftentem, dum inferiori parte cohaeret, fuperiori parte per vim ignis fubterranei circum oras iftius pori actam, longo affrictu fuperiorem quidem illam partem, quae ad oras pori circumacta eft, acuminatam fuiffe, inferiori parte remanente obtufa. Ita ut in pulvere pyrio jam fuccenfo fere fimili modo (vide fig. ad art. 112.) nitrum fe circumvertat, ficut in poro fuo feu infundibulo ifto, in quo primum formam fuam accepit.

Art. 111. *Talem effe inter illa proportionem, etc.*] Haec proportio in igne exitando fere femper fervatur, ut primo tenuiores particulae concuti incipiant, et ex ramulorum fuorum interftitiis fecundum elementum excutere, deinde procedatur ad paulo majores, deinde fuccedant etiam rigidae et durae, quae baliftarum inftar funt ad frangendam compagem corporis, quod in alimentum igni fuppeditat; diffracta autem hac compage, aliae continuo atque aliae fuppetunt ex fragmentis iftis particulae, quae raptum primi elementi fequantur. Confule etiam art. 106.

Art. 120. *Quaeque facillime exhalantur, funt illae quae etc. componunt fpiritus quales ex vino, etc.*] Spiritûs enim illi, ut patet ex art. 102., conftant particulis valde tenuibus, ramulis valde brevibus et flexilibus; unde facile et primo fere omnium ex corporibus quibus infunt, vi ignis eliciuntur.


*Sequuntur deinde aquae dulces*] Harum particulae funt quidem magis lubricae, nec ita ramofae ut fpirituum particulae; et eatenus deberent etiam ante fpiritus e corporibus elici (et quidem ita etiam pro parte fit, nunquam enim fpiritus tam purus extrahitur arte chymica, quin habeat admixtum aliquid phlegmatis feu aquae infipidae, quod et iteratâ diftillatione et philtratione per chartam emporeticam oleo imbutam fpongiamve, et fimiles chymicas operationes tandem deponit). Sed obftat etiam his aquae particulis major earum craffities, quam fit

in spiritibus; unde non tam facile vi ignis sursum aguntur quam spiritus.


*Tertio loco sunt aquae erodentes etc.*] Quomodo generentur succi illi acres in natura, pulchre describitur supra art. 61. Ars autem imitatur naturam, dum ex salibus succos acres vi ignis elicit; admiscent enim arenam, argillam, silices, etc., ut inter latera horum corporum salis particulae, vi ignis qui vasi subjicitur, ita contundi et velut in gladiolos efformari possint, sicut id supra praedicto art. 61. describitur.

Art. 123. *Nec alia inter cineres et calcem differentia est etc.*] Cineres sunt reliquiae eorum corporum, quorum bona pars in fumum abiit. Nempe multae particulae ex illis extractae sunt vi ignis, quae raptum primi elementi secutae, hoc ipso pabulum suppeditarunt igni; ex pabulo autem in fumum conversae sursum abiverunt. Cineres vero pro bona parte functi fuerunt vice balistarum ad frangendam compagem corporis, quod ignis depascebat; adeoque allisione sua ad parietes rimarum, et ipsi varie fracti sunt, et ad motum tam celerem et confusum minus idonei, non sursum, ut aliae particulae, quae pabulum suppeditaverant igni, sed deorsum vi gravitatis suae expulsae sunt.

Art. 132. *Nempe si exempli causa, in arcu laxo etc. meatus circulares sint*] Supponamus figuram A B designare poros ad concavum




arcus, antequam flectatur, figuram vero C D designare poros ad convexam partem arcus, antequam inflectatur: figura igitur *a b* [*p.* 514] repraesentabit poros ad concavam superficiem arcus jam inflexi, et figura *c d* repraesentabit poros ad tergum seu ad superficiem convexam arcus inflexi. Cum enim pori ante inflexionem arcus (facilitatis causa) supponantur esse rotundi, clarum fit eosdem illos poros ellipticos fore seu ovales, cum arcus inflectetur, et quidem ad concavam




ſuperficiem coni ellipſium ſpectabunt latera arcus (ut repraeſentatur in *a b*), ad convexam vero ſuperficiem *c d* coni ellipſium ſpectabunt extremitates arcus ſeu cornua. Cum igitur in ellipſi diameter illa ſit minor, quae eam diametrum, quae ad conos utrimque pertinet, ad angulos rectos interſecat; major hîc fiet incurſus ſecundi elementi, qui et arcum ſoluto tendine erigere poterit, hoc ipſo quo poros ejus reducet ad priſtinam figuram, qualis repraeſentatur in AB et CD. Quod autem hic oſtenſum eſt de ellipticis et rotundis poris, facile intelligitur de quibuſlibet aliis poris, quomodocunque figuratis; neceſſum enim eſt inflexione corporis, tum in convexa tum in concava ſuperficie corporis inflexi anguſtiores reddi, lateraque qua parte ante inflexionem magis diſtabant, poſt inflexionem magis connivere, et ad ſe mutuo accedere.

*Arcus autem diu intentus, etc.*] Non tantum lignum, chalybs, vitrum, et ſimilia corpora admodum dura, ſed charta etiam leniter inflexa, praeſertim ſecundum portionem aliquam circuli et ſine plica, habet vim reſiliendi, quam etiam amittit ſi diutius inflexa ſeu convoluta jaceat. Ratio eadem eſt quae de arcu; nempe in concava ejus ſuperficie circulares pori (quod propter facilitatem dicitur, nam idem erit cujuſcunque alterius figurae fuerint) in ellipticos, et ſimiliter in convexa ſuperficie circulares pori in ellipticos, quorum maximae diametri parallelae ſint cum minimis diametris priorum, convertuntur, in quos poros vehementius incurrens materia ſecundi elementi, ſecundum minimam diametrum, laxat eoſdem poros et reſtituit priſtinae figurae, quando a fortiori non impeditur. Hoc autem fieri non poteſt, niſi erigatur charta, quae ante fuerat convoluta; retinens tamen ſemper aliquid curvitatis ex iſta convolutione, quia cum parietes pororum in charta non ſint admodum validi, facile eâ convolutâ, mutatiſque rotundis poris in ellipticos, ſecundum elementum tantum habet virium, ut minorem diametrum iſtorum pororum

ellipticorum majori diametro praeter propter exaequet, oras minorem diametrum terminantes nonnihil a ſe invicem dimovendo; unde ſecundum elementum ſolitos ſuos motus in illis poris jam habens, nihil etiam attentat novi, ſinitque chartam in iſta curvitate permanere, in quam primo convoluta fuerat. Ex quo facile etiam intelligitur, cur charta quae diu convoluta fuit circa cylindrum, ſi explicetur, et mox ſibi relinquatur, convolvat ſe denuo; mutatis enim poris per convolutionem primam, rurſumque reſtitutis in priſtinam figuram poris, propter diutinam convolutionem oris ex adverſo per minimam diametrum ſe mutuo reſpicientibus abs ſe invicem diductis; ſi denuo explicetur charta, mutantur jam ſimiliter circulares pori in ellipticos, adeoque eadem vis, quae primo involutam chartam evolvebat, diu involutam et jam ſubito evolutam, dum ſibi relinquitur, denuo involvit. Cur majoribus voluminibus et paucioribus? Non eſt opus ut pluribus dicatur; ſatis ſequitur ex dictis. Satis etiam ſequitur ex dictis, cur charta ſtricta aliquatenus et oblonga ſuper acie cultri ducta, oppreſſo leniter pollice, in contortum cincinnum convolvatur, etc. Hinc etiam apparet, cur arcus ex chalybe diu intentus, reſiliat tamen, arcus ex ligno minori morâ, id eſt flexurâ, intentus non reſiliat amplius, et charta valde parvâ morâ convoluta non explicet ſe amplius; itemque cum vice verſa charta parvâ morâ convoluta, cum ſubito explicatur, ſtatim ſe convolvat iterum, et lignum non niſi diutius arcuatum, cum explicatur, in arcum ſe reponat, et chalybs non niſi longo tempore arcuatus, dum explicatur, ſe denuo arcuat.

Art. 133. *Ac praeterea etiam eaſdem particulas etc.*] Duae ſunt cauſae cur meatus recipientes materiam ſtriatam ab Auſtro venientem, non recipiant venientem a Borea, nec contra. Prima quia cavitates in iſtis meatibus quam in his aliter intortae ſint; ſecunda, quia ramuli intra cavitates iſtas prominentes, in oppoſitas partes inflexi ſunt. Haec antea parte 3. ſatis demonſtrata ſunt.

Art. 138. *Ipſaſque paulatim in aliam partem inflectere, et quo ſaepius etc.*] Cum hoc art., ut titulus ipſe praefert, Carteſius intendit oſtendere, quomodo meatus particularum ſtriatarum poſſint reddi accommodati ad recipiendas particulas ex utrovis polo allabentes; unam tamen tantum cauſam, quae huic accommodationi obſtare poſſet, removet, erant autem art. 133. duae tales cauſae aſſignatae. Oſtendit

igitur, ramulorum illam inflexionem verſus unam partem, quae impedire poterat ingreſſum ſtriatarum ex oppoſita parte venientum, tolli poſſe, et continuâ in contrarias partes inflexione flexibilitatem tantam acquiri poſſe in his ramulis, ut ſtriatis ab utravis parte venientibus non obſtent, aut non magnopere obſtent. Sed quid facias de altera cauſa? Nempe meatus in oppoſitas partes intorti ſunt, unde non poſſunt admittere ſtriatas contrariis ſibi ſtriis intortas; non magis certe quam in calamariis noſtris cavitas ſtriata poſſit admittere ſtilum habentem ſpiras in oppoſitum tortas. Reſponderi forte poteſt, inter ſtriatas quaſdam eſſe exiliores, quaſdam etiam imperfectas et rudes et tantum ad particulas primi elementi pertinentes (de quibus agitur part. 3 art. 87. 88. 89.); harum particularum tranſcurſui non magnopere obſtare ſpirales meatuum cavitates, in utramvis etiam partem intortae ſint illae ſpirae; magnopere vero obſtare exſtantias ramulorum intra cavitates illas; ubi hac exſtantiae flexiles redditae ſint, tum vero imperfectam illam ſtriatarum ſcobem aeque facile ab utravis parte diſcurrere per praedictos meatus.

Art. 158. *Nihilque ipſi deeſt ad etc.*] Petes: unde fit ut promineant? nam ſupra ad artt. 138. et 139. tantum oſtenditur, in ferro ramulorum extremitates illas prominentes in utramque partem flexiles eſſe redditas, eo quod ſaepe particulae ferri, dum ab interiori Terra ſurſum per rimas et poros ad ſuperiorem Terram efferuntur, converſae fuerint. Ex quo nullatenus ſequi videtur, quod quaedam iſtorum ramulorum extremitates promineant intra cavitates ſeu meatus particularum ſtriatarum; ſed ad ſummum, quod omnes illae extremitates eam in partem inflexae ſint, in quam particulae ſtriatae per meatus illos tranſcurrentes copioſius inflexas reliquerunt, antequam particulae iſtae ferri ad ſuperiorem Terram penetrarent. Reſpondeo: cum ſint flexiles illae ramulorum extremitates, poſſunt a levi cauſa ſingulae earum ſurrigi, aliaeque in alias partes propendere (ad hoc enim vagus ille motus primi elementi per canales iſtos tranſcurrentis ſufficere poteſt), atque ideo confuſionem et intricationem in meatibus illis ſtriatis cauſare (ſicut in ſemita aliqua, cui utrimque herbae et frutices adnaſcuntur, perplexio et intricatio quaedam oritur, peditem non nihil remorans, equiti vero nihil obſtans), quae quidem paucis particulis ſtriatis tranſgreſſum effectantibus impedimentum objiciat, tor-

rentem vero istarum particularum striatarum ex meatibus magnetis in meatus ferri irruentem remorari, aut saltem inhibere non possit. Atque adeo sic expedita sunt omnia, quae de magnete et virtutis ejus in ferrum transfusione nullo negotio ex iis quae praecessere sequuntur.

Art. 189. *Humanam animam, etsi totum corpus informet*] Pro more Scholae hoc dictum est (et *loquendum cum multis, sapiendum vero cum paucis*); nam mens nostra non est forma corporis, potius illud est forma mentis. Cum enim homo non sit aliud quam mens incorporata, patet corpus eodem modo hominis, ut chlamys est chlamydati, formam esse. Vide de hoc in Metaphys. nostra. Scholae vero inepte (ut levissime dicam) mentem humanam corporis humani formam esse volunt; considerantes nempe corpus tanquam ejus substantiam atque subjectum (sicut substantia seu subjectum figurae humanae est corpus seu moles quaedam et extensio), unde non mirum quod eorum multi existimaverint, eam a corpore separari non posse, quod eorum multi latius hoc diffuderint, et cum Aristotele ipsam divinitatem corporibus coelestibus alligaverint, putantes hanc tantum esse attributum aliquod, corpora vero substantiam atque subjectum esse.

*Praecipuam tamen sedem suam habere in cerebro*] Mens nostra proprie nullum locum occupat; unde si proprie loquendum sit, non magis est in cerebro quam in calcaneo (quod inepti quidam dixerunt; et quid est tam ineptum, quod non dicitur ab aliquo?). Dicitur ergo mens praecipuam sedem habere in cerebro, quia praecipue ratione cerebri afficitur a corpore et sentit; quae cerebri praerogativa in eo consistit, quod cum caeterae partes nostri corporis transmittendo speciem sentiant, tum cerebrum, vel potius certa pars cerebri recipiendo sentiat. Quod ita esse, clarissimum est per experientiam; nam cum via a parte aliqua alia nostri corporis ad illam cerebri partem interclusa est, quia pars illa non potest jam speciem seu motum transmittere ad praedictam partem cerebri, hinc etiam in alia illa parte nostri corporis sensus extinctus est. Patet hoc in iis qui integris oculis et illaesis, obstructo tantum nervo optico, per quem oculus speciem transmittit ad cerebrum, coeci sunt. Patet idem in apoplecticis, quia quod terminus viae, per quam ab omnibus caeteris partibus ad cerebrum transmittuntur motus et species, obstructus sit vel aliter interclusus, nihil omnino sentiunt, et integris et apertis oculis ac

auribus etc. nihil vident, nihil audiunt, etc.; manifeſtiſſimo argumento, quod omnes illae aliae partes noſtri corporis tantum tranſmittendo ſentiant, et dum a tranſmiſſione ſpeciei ad partem recipientem impediuntur, tunc nihil omnino ſentire.

*In quo ſolo non modo intelligit*] Caute hoc accipias velim, et de illis tantum modis intelligendi, quos intellectus noſter mutuatus eſt ab imaginatione et ſenſibus, qui equidem quam plurimi ſunt (ut videre potes in noſtro de Peripateticorum Metaphyſica tractatu). Alioqui ſi intelligas de illis modis intellectus noſtri, quos ſecundum ſe habet, et nullatenus mutuatur a corpore (quales ſunt illi qui pertinent ad ideas et notiones noſtras), ſic falſiſſimum eſt mentem intelligere in cerebro, ſed haec intelligit in Deo ſuo, ad quem proprie etiam ideae et notiones aeternae pertinent. Vid. quae annotavimus ad art. 49. part. I.

*Hocque ope nervorum, qui filorum inſtar etc.*] Hi nervi varia habent in corpore noſtro officia, quae omnia hoc ipſo obeuntur, quo nervi iſti ſpiritibus, ceu flatu aliquo e cerebro influente diſtenduntur. Primo enim corpus noſtrum parteſque ejus firmas et rigidas reddunt, quales eas experimur in vigilia, cum alioqui in ſomno et morte, quando nervi iſti ſpiritibus quibus diſtendebantur carent, totum noſtrum corpus languidum ſit et flaccidum. Secundo, nervi ſic diſtenti motum, qui uni extremo imprimitur, deferunt ad alterum extremum; et ſic dum in parte aliqua noſtri corporis (ut in oculo, in aure, in cute) una eorum extremitas pulſatur, motus ille pertingit ad alteram extremitatem, quae cerebrum ſpectat, ibidemque offert menti ſpecies luminis, colorum, ſonorum, commodi, incommodi, doloris, etc., niſi forte impediatur. Tertio, dum ſpiritus illi per nervos tanquam canales quoſdam in unum muſculum copioſius influunt quam in alium, diſtendunt illum, et ſecundum longitudinem ſuam contrahunt, ſecundum latitudinem vero dilatant (ſicut in veſica quae inflatur fieri videmus), et hoc ipſo membrum, ut caput, pedem, brachium, etc. cui muſculus ille connexus eſt, de loco movet. Fitque hoc ſaepe nobis conſciis et volentibus, aliquando etiam inſciis, ut patet in convulſionibus epilepticis.

*Motus autem, qui ſic in cerebro a nervis excitantur, mentem diverſimode afficiunt*] Nulla ſua vi, natura, proportione; nec enim

motus mentem ipfam tangere poteft, aut ullum impetum, aut ullum motum ei imprimere, cum mens omnis extenfionis fit expers, totaque ejus natura ex cogitatione abfolvatur. Et fi per impoffibile motus impelleret mentem, atque de loco moveret, nulla tamen in hoc proportio, nulla vis intelligi poffet, qua mentem in cogitationibus fuis afficeret atque variaret. Imo etiamfi per impoffibile mens motu tangeretur, nullatenus inde confequeretur, quod mens eum ipfum motum perciperet; tantum abeft, ut inde tot diverfis perceptionibus et fpeciebus (quales funt colorum, fonorum, odorum, faporum, etc.), quibus ipfam mediante motu affici fentimus, perfundi deberet. Excitantur igitur in mente noftra omnes illae fenfuum fpecies, mediante motu (ut art. 97. et 98. demonftratur), non tamen vi ipfius motus, qui ut jam videmus, nihil hîc de fe valet; fed vi divina et ineffabili, cujus quidem effectum clariffime fentimus in nobis, qui homines fumus, et fpeciebus iftis, mediante motu in nobis fufcitatis, jugiter perfundimur, modum autem profundiffime ignoramus, et ignorare nos femper debere intelligimus, quomodo haec fiant. Quemadmodum igitur aurum valet, ut panem, ut pannum, et haec fimilia ufibus noftris neceffaria tibi compares, fed non de fe ex natura fua hoc valet, aft ex hominum inftituto, quo valor ifte ei confignatus eft; fic motus etiam, quo diverfi nervi in corpore noftro diverfimode concutiuntur, valet ad afferendum menti noftrae diverfiffimas fpecies, imagines, et phafmata; nulla equidem vi fuâ, fed inftituto quodam decretoque divino. Quod quo pacto (certe fummam hic et fapientiam et potentiam fuam oftendit) Deus exfequatur, nemo dicet hoc; cum cogitationes noftras bene difcutimus, intelligimus clare id limites ingenii humani tranfcendere. Plura de hoc vide in Autologia noftra feu prima parte Metaphyfices, itemque in Ethica, ubi de Infpectione fui.

Art. 190. *Horum fenfuum diverfitates primo etc.*] Diverfitas fpecierum, quibus mens humana, feu mens in hoc mundo verfans perfunditur, pendet a diverfitate nervorum et a diverfitate motuum, quibus nervi ifti vibrantur; major autem diverfitas a diverfitate nervorum, quam a diverfitate motûs in eodem nervo, tefte experientiâ et confcientiâ, nobis obvenit. Sic diverfimode vibrato nervo optico, tum lumen, tum varii colores offeruntur menti; et quidem hoc ordine, ut valide vibrato nervo, obverfetur menti fplendor et lumen, poft

haec colores magis rutilantes et vividi (qualis eſt color puniceus, ruber, citrinus), poſt haec colores aliquanto obſcuriores (ut viridis, coeruleus, violaceus), et denique color niger. Haec omnia eodem ordine experiuntur, quibus oculus in tenebris quaqua de cauſa valide concuſſus eſt; hoc etiam, qui in Solem intuiti, faciem intra cavum pilei ſui abſcondunt. Sed etiamſi diverſae illae ſpecies, quae a diverſa nervi optici vibratione pendent, multum inter ſe differant, non putamus tamen tantam inter ipſas eſſe diverſitatem, quanta eſt inter ipſas et ipſarum aliquam et ſonum aut odorem aut dolorem, etc.; eo quod haec poſterior diverſitas pendeat a diverſitate nervorum qui vibrantur, ubi prior illa pendet tantum a diverſitate vibrationis ejuſdem nervi.

*Neque tamen ſinguli nervi faciunt ſingulos ſenſus etc.*] Fere duo nervi ſemper ſunt, qui eundem ſenſum faciunt; ut duo nervi optici ſinguli ad ſingulos oculos pertinentes, ſic et duo nervi auditorii, etc.

*Sed ſeptem tantum praecipuas differentias*] Genericae ſunt iſtae differentiae, et habent ſub ſe valde diverſas ſpecies. Sic qui in primo genere collocantur nervi, qui nempe ad ventriculum, oeſophagum, etc. protenduntur, faciunt ſenſus longe diverſos; ſic alia longe ſpecies eſt, quam menti offert vibratus ille nervus qui ad oeſophagum pertinet, qui excitat in nobis ſenſum famis; alia longe ſpecies eſt, quam menti offert vibratus ille nervus qui ad fauces pertinet, quae ſpecies ſitis vocatur. Et adhuc magis diverſa ſpecies, quam offerunt nervi in inteſtina deſinentes ac veſicam, qua ſpecie ad exonerandum alvum et urinam reddendam ſollicitantur; et denique longe diverſiſſima ſpecies, quam offerunt nervi in partes genitales deſinentes, qua ſollicitantur ad venerem. Et profecto non minus differunt quidam horum ſenſuum, qui hîc omnes ſub uno genere cenſentur, quam viſus et auditus, qui infra tanquam diverſa genera recenſentur. Diverſitatis enim illius majoris minoriſve, non aliunde quam a nobis ipſis rationem et argumentum petere debemus, et facile poſſumus.

*Nervuli vero qui ad cor et praecordia*] Animi pathemata (ut laetitia, triſtitia, metus, ſecuritas, favor, invidia, etc.) etiamſi multum inter ſe differant, fere tamen ſic ut colores differre intelliguntur, qui omnes quidem ab eodem nervo pendent, ſed diverſimode vibrato, ſic et haec animi pathemata pendent ab eodem nervo, qui circa cor

deſinit, ſed diverſimode vibrato. Oportet autem diligenter diſtinguere a paſſionibus; ut ab ira caute ſecludenda eſt cupiditas ulciſcendi; a metu cupiditas fugiendi; a libidine ſeu ſpecie venerea cupiditas concumbendi. Clare enim intelliguntur, jam ante et quaſi praevie ad illas cupiditates, haec animi pathemata totam ſuam eſſentiam et naturam, quae in certa ſpecie ac phaſmate, quo nos afficiunt, abſolvitur, completam habere; non minus ſane, quam ante cupiditatem edendi, fames completam habeat ſuam naturam; idemque eſt de ſiti, etc. Quod bene notandum et bene perpendendum eſt; nam qui haſce cupiditates cum paſſionibus confundunt (ut facit vulgus omne), totam Ethicam evertunt, Deumque ipſum, ſi conſentanea ſibi ipſis loqui velint, peccati auctorem faciunt. Deus enim ſolus eſt, qui omnes ſenſus noſtros ſeu omnes illas ſpecies mediante motu (cujus is ſolus auctor eſt) nobis offert, et in ſpeciebus illis nihil turpe eſt, arguunt vero in auctore ſuo ſummam ſapientiam et potentiam pari bonitate et pulchritudine conjunctam. Aſt cupiditates noſtrae, quas nos paſſionibus illis et ſpeciebus ſufficimus, turpes ſunt et ſceleſtae; utpote quibus ſola Ratio conſtituta eſt ut regula atque norma quam inter agendum et omittendum ſequamur. Vide plura hanc in rem circa Tractatum noſtrum Ethicum 4., ubi de Paſſionibus.

FINIS.

ERRATUM.

in Arn. Geulincx Opp. Philos. vol. III p. IX vſ. 9 a ſ.: *m. Nov. a.* 1658.
Lege: *m. Nov. a.* 1653.